

23385

LES
Philosophes Belges

Textes et Études

Collection publiée par l'Institut supérieur de Philosophie de l'Université de Louvain
sous la direction de M. DE WULF

—
TOME III

LES QUODLIBET CINQ, SIX et SEPT
de Godefroid de Fontaines

(TEXTE INEDIT)

PAR



M. DE WULF

Professeur à l'Université de Louvain

et

J. HOFFMANS

Docteur en Philosophie



LOUVAIN
INSTITUT SUPÉRIEUR DE PHILOSOPHIE DE L'UNIVERSITÉ

—
1914

5
76

64

1837

LOUVAIN. — Imprimerie de F. G. ... rue Vit. Des ...

BOSTON COLLEGE LIBRARY
CHESTNUT HILL, MASS.

1837

417292

AVANT-PROPOS

Le texte des *Quodlibet* V, VI et VII de Godefroid de Fontaines, dont l'impression s'échelonne le long de quatre ans, a été constitué d'après les suivants manuscrits :

1° Codex n° 14311 du fonds latin de la Bibliothèque nationale (XIV^e siècle), dont on trouve la description dans l'Introduction du tome II¹.

On l'appellera codex V.

2° Codex n° 15842 du fonds latin de la Bibliothèque nationale, légué par Godefroid même à la maison de Sorbonne, ainsi que l'atteste le dernier feuillet : « Questiones magistri Godefridi de Fontibus pertinentes ad domum scolarium sorbonistarum... ex legato eiusdem ».

On l'appellera codex P.

3° Codex n° 170 (ancien 2038) de la Bibliothèque de Pembroke College à Oxford. Ce codex nous a été gracieusement prêté, il y a plusieurs années, par les soins de M. Ellis H. Minns, bibliothécaire de Pembroke College, et nous lui exprimons tous nos remerciements.

Ce codex sera appelé codex C.

Nous publierons plus tard, dans une introduction à l'édition complète des *Quodlibet*, un chapitre consacré aux manuscrits

¹ M. De Wulf et A. Pelzer, Les quatre premiers Quodlibet de G. de Fontaines, I, II, des *Philosophes Belges*, Louvain, 1904, p. V et VI.

qui contiennent les Quodlibet V-XIV du maître liégeois. On y trouvera une description complète des manuscrits, ainsi qu'une étude de leur filiation et de leur valeur respective. Pour des raisons qui seront alors exposées, c'est le codex V qui a servi de base à l'établissement du texte des Quodlibet V, VI, VII. Les leçons de P et plus secondairement celles de C ont corrigé ou complété V, aux endroits où ce dernier codex semblait inférieur.

Le texte placé entre crochets [] se rencontre dans les manuscrits, mais nous semble devoir être supprimé du texte ; on a imprimé en italiques les lettres ou les mots qui doivent être ajoutés à la leçon des manuscrits.

Le grand texte a été utilisé pour les questions philosophiques ; le petit texte, pour les questions étrangères à la philosophie, que par souci d'intégrité, il a semblé utile d'éditer in extenso.

LES ÉDITEURS.

Louvain, 30 mai 1914.

Cod. V = n° 14311 lat. Bibl. nat. Paris.

Cod. P = n° 15842 " " " " "

Cod. C = n° 170 " Pembroke College, Cambridge.

QUODLIBETUM QUINTUM

QUAESTIO I.

*Utrum Deus posset transsubstantiare naturam spiritualem
in substantiam corporalem*¹.

| Quaerebantur quaedam circa Deum, quaedam circa creaturas. Circa Deum quaerebantur quaedam pertinentia ad essentialia, quaedam pertinentia ad personalia. Circa pertinentia ad essentialia quaerebantur duo pertinentia ad divinam potentiam. Primum erat utrum Deus posset transsubstantiare naturam spiritualem sive angelicam in substantiam corporalem, puta in lignum vel lapidem, vel e converso. Secundum erat utrum Deus posset ex materia corporis corruptibilis, puta terrae, producere aliquod corpus incorruptibile per naturam, puta corpus alicuius stellae vel caeli.

Ad primum arguebatur quod Deus posset angelum in corpus aliquod transsubstantiare, quia maius est ex nihilo aliquid producere quam ens aliquod in ens aliud transsubstantiare vel transmutare, eo quod maior videtur distantia vel repugnantia nihili ad aliquid quam cuiuscumque entis ad ens aliud. Sed Deus potest ex nihilo aliquid producere. Ergo poterit quodcumque ens in ens aliud transmutare, et lapidem in angelum transsubstantiare.

Contra. Deus non potest facere id ex quo sequitur inconveniens et impossibile. Sed ex transsubstantiatione angeli in corpus aliquod sequitur inconveniens et impossibile. Nam si angelus in lapidem transsubstantiaretur, sicut cum substantia panis in corpus Christi convertitur manent accidentia panis sine subiecto, ita etiam, cum converteretur substantia angeli in lapidis

cod. V
fol. 57 Ra
cod. P
fol. 2 Ra
cod. C
fol. 1 Ra

¹ Utrum — corporalem] *quaestionem hanc, ceteras item, praescrripsimus*; incipit quintum quodlibet magistri Godefridi de Fontibus P.

naturam¹, accidentia angeli sine subiecto manerent. Ergo maneret intellectus et voluntas angeli sine substantia angeli quae est subiectum illorum, et sic esset ponere intellectum et voluntatem absque actu intelligendi et volendi, quod videtur inconueniens et impossibile.

cod. P
fol. 2 R^b

Respondeo dicendum quod quantum sufficit ad praesens, triplex est transmutatio. Quaedam, cuius est tantum unus terminus positivus, et hoc est sine subiecto communi, et illud quod transmutatur huiusmodi transmutatione, quod scilicet praecognoscitur² sub termino a quo et ut transiens ad terminum ad quem, nullo modo manet nec in se nec in alio in quod scilicet transmutatur³, ut conuenit⁴ in creatione vel adnihilatione; et hac transmutatione omnis creatura a Deo est ex nihilo ad esse transmutata, large de transmutatione loquendo, et posset Deus potentia absoluta quamlibet in nihilum redigere. — Quaedam autem est transmutatio quae habet utrumque terminum positivum et subiectum commune utrique, in qua transmutatum secundum aliquid sui manet in eo in⁵ quod transmutatur, et de hac transmutatione loquendo non posset Deus transmutare unam naturam materialem in aliam naturam quae non esset etiam natura materialis. Non enim posset sic ex lapide angelum producere quod lapis vel aliquid lapidis in angelo remaneret, sed sic posset Deus immediate convertere quodlibet corpus in quodlibet aliud quod in eadem materia communicat; unde ex lapide immediate posset producere asinum, leonem, et quodcumque aliud huiusmodi. Unde dicit Augustinus septimo super Genesim capitulo decimo et capitulo decimo sexto: Omne corpus in omne corpus posse mutari sunt qui assererent⁶, quia supra aestimabant ea omnia in materia eiusdem rationis communicare, corpus autem aliquod converti in animam fierique naturam incorpoream nec quemquam sensisse scio nec fides habet. — Alia autem transmutatio est⁷ quae habet utrumque terminum positivum, sed subiectum commune non habet, et haec dicitur transsubstantiatio qua scilicet res aliqua non accidentaliter sed substantialiter secundum illud quod est in aliam iam existentem transit et convertitur; et de ista transmutatione est quaestio, an sic posset Deus angelum in lapidem vel e converso transmutare.

Et circa hoc est intelligendum quod si, prout aliqui videntur dicere, pro tanto dicitur panis in corpus Christi transsubstantiatus et non esse adnihilatus, quia aliquid eius manet eo quod accidentia panis manent, tunc res quae non haberet accidentia quae possent manere ipsius substantia

¹ lapidis naturam] naturam lapidis P. — ² intelligitur C. — ³ manet — transmutatur] mutatur C. — ⁴ contingit *corr.* 2^a m. P et *margin.* V. — ⁵ *add. marg.* 2^a m. P, om. VC. — ⁶ asserunt *corr.* 2^a m. P. — ⁷ transmutatio est] est transmutatio P.

transsubstantiata, hoc modo non posset in aliam | transmutari. Et quia ita videtur de angelo, quod scilicet non habet huiusmodi accidentia, scilicet quae possent manere ipso transsubstantiato, diceretur quod angelus non posset sic in lapidem transmutari; sed cum huiusmodi accidentia habeat lapis, videtur quod nisi aliud obstet, posset lapis in angelum | sic transmutari. Hoc autem est inconueniens; nam in huiusmodi transmutatione videtur esse convenientia terminorum, et sicut unus potest converti in alium, ita e converso.

cod. V
fol. 57 R^b

cod. P
fol. 2 V^a

Praeterea, licet panis sic conversus non diceretur omnino adnihilatus, quia scilicet aliquid eius maneret, non quidem pertinens ad eius essentiam sed ad accidentalem dispositionem, tamen sic adnihilatus | esset quia ¹ ex remanentia huiusmodi ² accidentium non diceretur aliquid ad eius essentiam pertinens remanere, et sic substantia panis simpliciter esset adnihilata, cum scilicet nec in se nec in alio aliquo modo maneret.

cod. C
fol. 1 R^b

Praeterea, non est sic intelligenda non adnihilatio, quia in huiusmodi transmutatione non solum dicitur non adnihilatum, propter id quod secundum se manet de eo quod prius erat eius quod transmutatum est, sed etiam id ipsum quod transmutatum est dicitur non adnihilatum ita quod, si totus panis quantum ad substantiam et accidentia in corpus Christi transmutaretur (sive conversione substantiali quantum ad materiam et formam substantialem panis in cuius materiam accidentia resolverentur, sive etiam tali transmutatione quod substantia panis conversa accidentia quae nunc manent adnihilarentur), diceretur quod substantia panis ³ non esset adnihilata eo quod id in quod ⁴ substantia panis est conversa est aliquid in quod substantia ipsa panis diceretur aliquo modo manere, illo manente. Non enim dicitur quod oportet accidentia manere ad hoc, quod tali conversione transmutatum dicatur non adnihilari, sed ad hoc quod id in quod conversum est dicatur esse sacramentaliter, ubi prius erat substantia eius quod conversum est realiter et localiter; quod non posset esse nisi aliquid per quod substantia rei conversae erat in loco, maneret. Et ideo contra rationem et veritatem sacramenti videntur dicere qui ponunt, quod si panis totaliter converteretur in corpus Christi, ita quod nec substantia panis nec aliquid ⁵ accidens eius maneret, quod corpus Christi esset ubi panis prius erat. Quia ergo hoc non impedit quin possit substantia angeli converti in lapidem, possibile est hoc fieri, si aliud non obsistat.

Cum autem | in secundo modo transmutationis impediat fieri trans-

cod. P
fol. 2 V^b

¹ quod *corr. 2^a m. P.* — ² huius P C. — ³ accidentia — panis] *bis P.* — ⁴ quo V. — ⁵ aliquid C.

mutationem lapidis in angelum et e converso¹, hoc quod non important naturam communem ratione cuius quodlibet in alio secundum aliquid sui maneret, in hac autem transmutatione ad hoc quod non fiat adnihilatio non oportet ponere aliquid sic commune quod esse habeat in utroque termino, quia transmutatum non manet secundum aliquid sui quod secundum essentiam non transmutetur, immo solum manet in quantum manet illud in quod est conversum. Unde si lapis sic convertatur in lignum, licet communicet cum² ligno in materia, non tamen plus dicitur manere, ut videtur, quam si in caelum transmutetur³, esto quod in illo non sit materia saltem eiusdem rationis, eo quod nihil eius secundum se manet. Secundum hoc ergo videtur posse dici quod lapis posset in angelum transmutari et e converso. Solum enim in hoc dicitur manere conversum, quod entitas sua fit illa, et quia Deus habet potestatem super totum ens, quamlibet entitatem creatam videtur posse in aliam transmutare sic quod transmutatum non adnihilatur, quia manet illa entitas in quam est conversum.

Non poterit tamen Deus aliquid in seipsum transmutare, quia de ratione talis transmutationis est quod uterque terminorum sit transmutabilis, et unus in alterum; quia qua ratione unus potest in alterum converti, eadem ratione alter quantum est de se debet esse transmutabilis in illum, et debet uterque terminus sive entitas utriusque termini subiacere potestati eiusdem agentis. Non sic autem se habet Deus respectu creaturarum, et hoc videtur dicere Ambrosius, in libro de sacramentis, de totius mundi operibus legimus quia dixit Deus et facta sunt. Sermo ergo qui potuit ex nihilo aliquid facere quod non erat non poterit⁴ mutare ea quae sunt in id quod non erant. | Et secundum hoc processit prima ratio.

cod. V
fol. 57 Va

Sed quia haec conversio, quam certa fide tenemus, est supernaturalis et ab intellectu creato incomprehensibilis, quia fit sola virtute divina, praeter ordinem naturae ut ibidem dicit Ambrosius, ideo, licet non possimus comprehendere modum quo fieri habent, tamen⁵ certum est ipsam non fieri contra naturae ordinem, id est modo qui contradictionem | includat, quia hoc nulli potentiae⁶ subici potest. Cum ergo illud quod convertitur dicatur in huiusmodi transmutatione non adnihilari, oportet supponere sic fieri huiusmodi⁷ conversionem, quod illud quod convertitur aliquo modo possit dici manere; sed hoc non videtur posse dici nisi illud quod convertitur in aliud, et illud in quod⁸ convertitur sic se habeant quod unum sit aliquo modo potentia ad aliud, ut modus faciendi sit⁹ supernaturalis, sed termini

cod. P
fol. 3 Ra

¹ propter *add. marg.* C. — ² illo *add.* P. — ³ transmutaretur V. — ⁴ potuit P V. — ⁵ si V. — ⁶ materiae V, potentiae *corr.* V. — ⁷ *om.* C. — ⁸ quo V. — ⁹ faciendi sit] sit faciendi P.

sic se habeant et ad invicem communicent quod unus quantum est de se aliquo modo est alius¹ in potentia : nulla enim potentia videtur posse fieri quod aliquid fiat aliud quod, quantum est de se, nullo modo natum est esse. Videtur ergo supponendum in hac conversione, quod illud quod iam existit fiat aliquid aliud iam existens, quod quidem est tale, quod ipsum conversum, quantum est de se, absolute natum est aliquo modo esse illud.

Nunc autem sic se habent quae conveniunt in materia, sed ordine quodam. Unde lapis est in potentia asinus, et planta, sed ordinate, et e converso. Et quia Deus potest agere in res immediate, absque aliquo ordine determinato, immediate potest ex quocumque corpore quodcumque aliud, cum illo communicans in materia, producere. Si ergo Deus | produceret ex lapide existente asinum non existentem, lapis non diceretur adnihilari, quia totus maneret in asino, sed² secundum aliquid eius, scilicet secundum essentiam suae materiae in quam sua forma resolveretur. Sed si ex lapide existente produceretur angelus non existens, non diceretur lapis manere, sed adnihilari, quia non maneret secundum aliquid eius in angelo ad quem nullo modo erat in potentia. Unde non posset dici proprie angelus prius non existens produci ex lapide, immo diceretur angelus produci post esse lapidis, vel post eius corruptionem, vel post eius adnihilationem. Consimiliter videtur quod si aliquid existens convertatur in aliquid iam existens, ad hoc quod possit conversum dici, non adnihilari, debet converti in tale quid ad quod sit aliquo modo in potentia, et quod natum est fieri ex ipso, si non esset, et quod sit in potentia illud idem in specie virtute naturali, et idem numero virtute supernaturali, qua potest etiam aliquid | adnihilari et idem numero reparari. Unde nihil potest converti sic in aliud, nisi illud vice versa possit converti in primum, et huius causa videtur esse communicatio in materia eiusdem rationis, prout dicit Boetius in libro de duabus naturis et una persona Christi, capitulo octavo : non omnis res in rem omnem converti potest aut transmutari, nam neque corporeum³ in incorporeum, neque incorporea in eam quae corpus est mutari potest, nec incorporea in se invicem proprias formas mutant : sola enim mutari et transformari quidem in se possunt quae habent unius materiae communem substantiam⁴. Ita ergo nullo modo fieri potest ut incorporea⁵ in incorporealem speciem permutetur ; quorum enim communis nulla est materia, nec in se converti⁶ nec permutari possunt. Et quia Deus potuit ab initio corpus suum ex materia panis, quae⁷ secundum suam essentiam praeexiste-

cod. C
fol. 1 Va

cod. P
fol. 3 Rb

¹ aliud P. — ² om. V. — ³ corporeus C V, 1a man. P. — ⁴ ut commune subiectum add. marg. 2a m. C. — ⁵ corpus C P. — ⁶ verti C P. — ⁷ non V.

bat, producere; ita potest etiam substantiam panis eandem in idem corpus iam existens convertere, et sic conversa non debet dici adnihilari. Quia ergo lapis non est in potentia ut ex eo producatur angelus non existens, nec e converso, ita etiam nunc non videtur posse converti lapis in angelum existentem, nec e converso, absque a Inhibitione; immo hoc non esset aliqua conversio unius in alterum, sed esset desinere esse alterum, reliquo in sua entitate manente. Et ad hoc etiam facit quod dicit Augustinus, septimo super Genesim, capitulo sexto quod etiam est supra allegatum: Omne corpus in omne corpus mutari posse credibile est; quodlibet autem corpus posse mutari in animam fierique naturam incorpoream absurdum est credere. Super hoc tamen nihil assero, quia quae divinae potentiae sunt subiecta, non potest humanus intellectus perscrutari. Si autem sic ponatur quod corpus in spiritum¹ non possit trans | mutari, remanet dubium quomodo fiet conversio substantiae panis in corpus Christi, si in eo non sit aliqua forma substantialis alia ab anima in quam oportet substantiam panis converti, quae tamen est substantia a materia abstracta, posito quod tota substantia panis composita ex materia et forma substantiali per se convertatur in totum corpus Christi compositum etiam ex materia et forma substantiali. Sed non pertinet hoc ad praesentem perscrutationem et alias absque assertionem dixi quod mihi | super hoc videbatur posse probabiliter opinari.

cod. V
fol. 57 Vb

cod. P
fol. 3 Va

Ad argumentum in oppositum² est dicendum quod verum est quod aliquo modo maius est producere aliquid ex nihilo, quam quod iam est in aliud convertere. Hoc enim verum est conversione qua convertitur aliquid³ materiale in aliquid⁴ materiale non existens, ut cum fit asinus ex lapide, vel cum in iam existens convertitur; sed non est verum de conversione materialis in immateriale, vel e converso, quia cum producitur non ens ex nihilo, non est ibi repugnantia vel contradictio quae hoc⁵ includeretur.

¹ ipsum V. — ² contrarium P C. — ³ aliquid V. — ⁴ aliquid V. — ⁵ hic 2^a m V.

QUAESTIO II.

Utrum Deus possit ex materia corruptibilis producere aliquod corpus incorruptibile.

Postea arguebatur ad secundum, quod Deus possit ex materia corporis corruptibilis producere corpus aliquod incorruptibile per naturam, quia materia non est causa corruptionis nisi ratione privationis quae machinatur ad maleficium et corruptionem. Privatio autem non est in materia nisi materia sit sub forma habente contrarium: tali enim formae est annexa privatio. Corpus ergo, in quo est materia sub forma non habente contrarium, cum careat causa corruptionis, est incorruptibile per naturam. Sed Deus posset producere ex materia corporis corruptibilis aliquod corpus in quo esset forma non habens contrarium, et sic in illo non esset privatio, et sic nec causa corruptionis esset in eo; ergo esset incorruptibile per naturam. Maior patet per Philosophum, primo Physicorum, minor probatur. Nam forma caeli est forma non habens contrarium, quod patet ex eo quod caelo non competunt proprietates contrarietatem importantes, quia nec est leve, nec grave, nec calidum, nec frigidum, et cetera. Sed Deus posset ex materia terrae producere aliquod corpus caeleste, tum quia videretur derogare divinae omnipotentiae si non posset quamcumque formam materiale[m] | producere in quacumque materia, tum quia secundum sanctos aliquos et plures doctores, caelum quod nunc existit productum est ex materia eiusdem rationis cum materia elementorum. Sed qua ratione Deus produxit caelum ex tali materia, cum non praeexisteret prius sub forma contrarium habente, posset et iam ex materia quae nunc est sub forma corruptibili tale corpus incorruptibile producere.

cod. C
fol. 1 V^b

Contra. Quae non communicant in genere non communicant ¹ in materia eiusdem rationis. Sed corruptibile et incorruptibile | non communicant in genere, ut patet per Philosophum, nono ² Metaphysicae. Ergo et cetera.

cod. P
fol. 3 V^b

Respondeo dicendum, quod secundum illos qui dicunt Deum posse separare secundum esse omnia quae important diversitatem in essentia,

¹ in — communicant], *add. 2a m. C.* — ² decimo PC.

scilicet motum a mobili, materiam¹ a forma, et albedinem a quantitate, videretur forte dicendum quod etiam omne ens posset cuilibet enti unire, et quamlibet formam cuilibet materiae, et sic posset formam angeli sive angelum qui est forma quaedam, vel formam caeli producere in materia, vel ex materia elementi, vel alterius corporis corruptibilis: tale autem esset incorruptibile. Sed non video quomodo omnia talia sint possibilia: confiteor tamen Deum posse omne illud quod contradictionem non includit, licet non intelligam omnia quae facere potest.

Quia ergo, sicut contradictionem videtur importare quod Deus formam secundum se subsistentem, a materia nullo modo dependentem, vel ad ipsam habitudinem essentialem nullam habentem, faceret in materia; et sic illud quod est omnino independens a materia ab illa per se et essentiali habitudine dependeret, et quod est omnino immateriale faceret materiale, et sic idem esset materiale et immateriale, — ita etiam quod in materia quae, quantum est de se, nata est esse sub omnibus formis materialibus et sic, quia nullam sibi determinat, cum est sub una appetit esse naturaliter sub alia, et talis appetitus inseparabilis est a materia et necessario includit veram privationem eo quod diminute perfecta est quia caret forma qua nata est perfici, fiat aliqua formarum secundum naturam suam inseparabilis a materia, videtur contradictionem importare. Nam ex hoc quod poneretur talis materia secundum se esse in potentia ad formam aliam, poneretur naturaliter spoliabilis ab illa sub qua sic esset, eo quod non posset esse simul sub pluribus. Ex hoc autem quod tale corpus poneretur naturaliter incorruptibile, talis forma poneretur naturaliter a materia² inseparabilis³, et sic poneretur separabilis et inseparabilis; et ideo videtur quod impossibile sit fieri aliquod⁴ corpus incorruptibile per naturam ex materia tali. | Dictum est enim alibi diffusius quod licet materiale non possit converti in purum immateriale, non est tamen negandum quin possit converti in materiale compositum ex vera materia et forma non sic omnino in materiali; quin vere det esse et actum primum composito, faciens unum ens per se cum ipsa materia quae est principalis ratio quod talia sunt convertibilia ad | invicem. Immo etiam generaliter loquendo, impossibile est aliquod corpus incorruptibile per naturam habere quamcumque veram materiam partem sui, appellando veram materiam id quod excludit omnem actualitatem et de se non importat nisi puram potentiam in genere substantiae, quia cum talis res ratione suae talis potentiae de se sit indifferens ad esse et non

cod. V
fol. 58 Ra

cod. P
fol. 4 Ra

¹ naturam PC. — ² talis — materia] *om. C, add. marg. 2a m. C.* — ³ separabilis C, inseparabili P. — ⁴ aliquid P.

esse simpliciter, et sic est id quo aliquid habet potentiam qua potest esse et non esse simpliciter, omne illud in quo est talis natura est naturaliter corruptibile, habens naturam per quam potest non esse. Unde dicit Philosophus nono Metaphysicae, quod nihil in quo est potentia est sempiternum, quia omnis potentia ad esse est contradictionis, et ideo illud quod habet potentiam ad esse habet etiam potentiam ad non esse.

Nec potest dici quod ista et consimilia dicta sunt intelligenda de illa potentia ad esse quae est potentia primae materiae generabilium et corruptibilium, quae dicitur hyle, sed est quaedam alia potentia et alia materia corporum incorruptibilium differens ab illa, non per aliquid sibi additum, sed per habitudinem ad aliam et aliam formam, scilicet quia materia caeli habet habitudinem ad formam quasi universalem et perfectam, alia vero ¹ habet habitudinem ad particulares et imperfectas. Ex quo enim haec habitudo non tollit quin haec materia et illa sit de se potentia ad esse simpliciter, nullam actualitatem secundum quamcumque formam includendo, nullam differentiam potest hoc ponere in natura materiae. Cum etiam habitudo materiae non sit nisi quidam appetitus quo inclinatur materia ad formam, materia quae est talis potentia ad esse simpliciter non potest determinari ad habitudinem determinatam respectu alicuius formae determinatae, ita quod quaecumque alia habitudo ad quamcumque formam aliam excludatur. Unde non potest convenienter dici quod materia, quae est talis potentia, appetat aliquas formas secundum quod sunt imperfectae vel non potentes perficere totum appetitum materiae: hoc enim est ex imperfectione formae in quantum nulla est quae perfecte possit totum appetitum materiae terminare ². Potentia enim materiae est sic infinita quod, cum sit ad esse simpliciter, quocumque esse | acquisito per quamcumque formam, cum adhuc sit nata esse sub alia forma dante aliquod esse simpliciter, materiae appetitus remanet indeterminatus respectu illius, et ita est | de omnibus. Unde non potest poni diversitas in essentia materiae talis ex diversitate ³ formarum quarum una perfectior et universalior ⁴ altera, quia materia quae non est nisi potentia ad esse secundum se, indifferens est ad omnes. Item arguit sic Commentator, primo Caeli et mundi: si caelum haberet materiam quae est potentia ad esse aliquid, esset frustra in natura, quia propria operatio potentiae est corruptio et generatio ⁵, vel transmutatio de forma in formam. Si ergo esset aliqua materia quae de se est in potentia ad esse, sine generatione et corruptione,

cod. C
fol. 2 R^a

cod. P
fol. 4 R^b

¹ vere C. — ² determinare VC. — ³ figurarum vel *add.* V. — ⁴ est *add.* 2^a m. C. — ⁵ corruptio et generatio] generatio et corruptio P.

contingeret quod aliquod ens esset sine actione, propter quam est huiusmodi sua potentia et cetera. Et ex istis apparet quod manifestum inconueniens est dicere quod in caelo est materia eiusdem rationis cum materia corruptibilium, et ex hoc etiam patet quod nec hoc est possibile.

Et ad evidentiam solutionis rationis ad hoc factae est intelligendum quod, secundum doctrinam Philosophi in primo Physicorum, ista tria sunt ab ¹ invicem omnino inseparabilia, scilicet materia prima ², et privatio, et contrarium sive forma contraria formae generandae, quia ubicumque est unum ³ istorum, sunt alia duo. Quia enim materia quae quantum est de se est pura potentia in genere substantiae, nullum actum substantialem sibi determinat, sed ad omnes formas materiales quantum est de se est indifferens, propter quod non potest esse sine omni forma, sed oportet quod semper sit sub aliqua formarum ad quas de se sic est in potentia, et quia ⁴ cum est sub una non potest esse simul sub alia ad quam tamen quantum est de se est in potentia; — ideo materia semper est sub privatione omnium formarum, una excepta. Sed sicut est ordo in formis et gradus in contrarietate | earum, ita etiam suo modo est in privationibus. Unde dicit Commentator primo Physicorum, privatio universaliter non separatur a materia, quia quantumcumque forma admiscetur cum illa ⁵ materia, tantum admiscetur cum privatione formae oppositae illi formae cui admiscetur, et ipsa non habet in se formam propriam neque privationem propriam et cetera.

cod. V
fol. 58 R^b

Nec aliud est privationem esse in materia, vel esse annexam formae contrariae vel quae habet contrarium, quam materiam esse sub aliqua forma determinata qua determinate ⁶ perficitur et qua in existente materia caret alia qua nata est perfici. Privatio enim nihil aliud est quam negatio vel carentia alicuius formae qua nata est | perfici subiectum cuius est illa negatio. Unde dicitur quod non est negatio simpliciter ⁷, sed negatio in subiecto apto. Sed quaecumque forma posita in materia tali quae secundum se est in potentia ad omnes formas naturales, omnia ista concurrunt. Ideo impossibile est privationem a materia separari quae est indifferens de se ad plures formas sive in qua communicant plures formae. Nam, ut iam dictum est, privationem esse in materia nihil aliud est quam ipsam materiam carere forma quae communicat in ea cum forma sub qua est, non compatiente secum aliam, ipsa materia necessario existente sub aliqua forma, sicut in substantia dicitur forma formae contraria nonnisi ex hoc

cod. P.
fol. 4 V^a

¹ ad V. — ² potentia PC. — ³ est unum] unum est PC. — ⁴ om. C. — ⁵ alia C. — ⁶ determinata C. — ⁷ simplex PC.

quod communicant in eodem subiecto sive in eadem materia ¹ a qua mutuo se expellunt, quia in ipsa non possunt simul esse. Unde omnis forma substantialis quae est in materia in qua, quantum est de se, nata est esse alia forma, est illi alteri formae contraria. Et haec est causa quare omnia quae communicant in materia eiusdem rationis sunt ad invicem transmutabilia, unitas scilicet et indifferentia subiecti respectu formarum. Unde dicit Philosophus octavo Metaphysicae : Omnia quae sunt ex eadem materia unum generatur ex reliquo. Idem etiam dicit primo de Generatione quod ² quae communicant in materia sunt ad invicem transmutabilia, ex quo potest argui a destructione consequentis : quae non sunt ad invicem transmutabilia non communicant in materia.

Cum autem dicitur ad talia dicta Philosophi, quod verum est quod quae non sunt ad invicem transmutabilia non communicant in materia, ut est transmutationis subiectum et ut est privationi coniuncta, quia sic est principium transmutationis, sed non oportet quod non communicent in materia ut secundum suam essentiam consideratur, — parum videntur a sic dicentibus talia dicta Philosophi reputari ; quia per hoc imponitur Philosopho quod dictum suum non sit per se verum, et casuale dictum sive per casum sed importet petitionem principii. Quia cum dicitur quod quae ³ non sunt ad invicem transmutabilia, non communicant in materia et cetera, si hoc sic intelligatur quod verum sit quod quae communicant in materia ut est transmutationis subiectum sunt ad invicem transmutabilia, tunc dictum suum importat petitionem principii ut nihil aliud sit dictum : quae ⁴ communicant in materia ⁵ sunt ad invicem transmutabilia — quam quae ⁶ sunt ad invicem transmutabilia sunt ad invicem transmutabilia. In hoc enim | quod dico : materia ut est subiecta transmutationi, importatur transmutabilitas | aliquorum ; illa ergo dicere esse transmutabilia est dicere transmutabilia esse transmutabilia. Ergo cum Philosophus non intendat, nec consuevit sic loqui sed causaliter, et idem sit causa transmutabilitatis aliquorum et huius quod est materiam ⁷ esse subiectam transmutationi, non potest etiam hoc esse intentio Philosophi ut velit dicere quod materia ut est subiecta transmutationi est causa quare aliqua ad invicem transmutantur ; — sic enim aliquid esset causa sui ipsius, — sed intendit quod ipsa identitas materiae in pluribus per se est causa transmutationis eorum ad invicem. Quod patet per hoc quod dicit septimo Metaphysicae : materia in unoquoque est per quod est possibile esse et non esse. Unde ubique

cod. P
fol. 4 V^b
cod. C
fol. 2 R^b

¹ eadem materia | materia eadem. V. — ² om. P C. — ³ om. P C. — ⁴ quam 2^a m. C. — ⁵ communicant — materia | del. 2^a m. C. — ⁶ quam quae | om. C. — ⁷ naturam PC.

manifeste intelligit Philosophus quod impossibile est aliqua communicare in materia eiusdem rationis secundum ipsam essentiam materiae, et illa non esse transmutabilia naturaliter ad invicem, licet materia numquam sit transmutabilis absque contrario et privatione; quae secundum ipsum etiam impossibile est a materia separari universaliter; immo cum corrumpitur¹ una privatio per accessum formae qua prius materia carebat, statim adest privatio alterius.

cod. V
fol. 58 Va

Ex praedictis ergo patet quod ponentes in caelo materiam eiusdem rationis cum materia elementorum et tamen dicunt ipsum esse incorruptibile per naturam, contradictoria simul ponunt. Nam in hoc quod dicunt quod materia non est subiectum transmutabile nisi cum est sub privatione et sub forma contraria, verum dicunt, sed ista sunt a materia inseparabilia et ista non sunt per se et primo totalis ratio transmutabilitatis rerum corruptibilium, sed ipsa essentia materiae quae tamen non potest esse sine his. Cum autem dicitur quod forma caeli non habet contrarium nec privationem annexam verum dicitur, sed cum dicitur quod est in materia eiusdem rationis cum materia elementorum iam contradictoria ponuntur², unum ratione materiae, aliud ratione ipsius formae secundum se. Nam ex hoc quod est in materia quae est talis naturae quod est in potentia dicto modo quae non potest separari a privatione et contrario, ponitur forma esse habens contrarium et cui privatio est annexa. Ex hoc autem quod dicitur quod eam non consequitur³ neque gravitas neque levitas neque calidum neque frigidum et huiusmodi, ponitur quod est non habens contrarium et ideo sic ponendo ponunt contradictoria.

Per dicta patet responsio ad obiecta.

QUAESTIO III.

Quid est illud positivum quod est substractum negationi quae importatur in hoc nomine innascibilitas quae est notio Patris.

cod. P
fol. 5 Ra

[Deinde circa personalia quaerebantur quaedam pertinentia ad personam Patris, quaedam pertinentia ad personam Filii Circa Patrem quaerebatur unum, scilicet quid est illud positivum quod est substractum negationi quae importatur in hoc nomine innascibilitas, quae est notio Patris. Et arguebatur quod illud positivum quod est sub-

¹ corrumpatur PC. — ² ponunt *corr.* 2^a m. C. — ³ sequitur C.

stractum negationi importatae nomine innascibilitas, non sit essentia ¹, quia cum innascibilitas sit notio propria Patris, et personam Patris notificans, illud quod illi negationi substernitur non potest esse id quod commune est tribus personis; hoc est essentia ². Ergo et cetera.

Item nec ipsa persona Patris. Quia cum notio dicatur quia notificat personam, sive notionem facit de persona ³, illud quod substernitur huic ⁴ negationi debet esse aliquid notificans ipsam personam Patris. Ergo nec ⁵ potest esse ipsa ⁶ persona Patris, alioquin idem secundum idem notificaret seipsum.

Item nec proprietas Patris, sive personae Patris constitutiva, quia cum illa sit etiam quaedam notio Patris, iam in Patre non essent duae notiones propriae Patri sed una tantum.

Contra. In persona Patris non sunt nisi praedicta positiva, ergo in altero illorum oportet huiusmodi negationem fundari.

Respondeo dicendum quod circa istam ⁷ quaestionem ⁸ tria sunt declaranda. Primo quomodo, quia notio aliquid dignitatis importat, oportet quod ingenitum fundetur ⁹ super aliquo positivo. Secundo quomodo fundatur super positivo quod est ipsa essentia communis et tamen est proprium Patris. Tertio quomodo fundatur in ipsa essentia praecise ut est Patris vel in Patre, et ideo etiam aliquo modo ei substernitur proprietas Patris alia existens a proprietate innascibilitatis.

Quantum ¹⁰ ad primum, ergo sciendum quod notio in divinis dicitur id quod est propria ratio cognoscendi aliquam personam. Cum ergo secundum originem ¹¹ et emanationem personae divinae multiplicentur et distinguantur, per ea quae ad huiusmodi originem pertinent notificantur; et quia ad huiusmodi originem pertinet quod una persona sic se habeat quod non sit ab alia, sed aliae ab ipsa, et sic habet rationem primi principii, duo ad eius dignitatem pertinent per quae potest ipsa notificari. Nam | in quantum habet rationem primi et sic non entis ab alio, notificatur ¹² per aliquid quod negationem im- | portat, scilicet per innascibilitatem, vel per ingenitum. In quantum autem habet rationem principii et ut ab ea alius, notificatur per aliquid positivum, scilicet per Paternitatem. Et sic personae Patris conveniunt duae notiones propriae, quarum unam oportet importare negationem.

cod. C
fol. 2 Va
cod. P
fol. 5 Rb

Sed quia notio debet importare aliquid ad dignitatem pertinens, negatio autem et non ens non videtur aliquam dignitatem importare — nam negatio simpliciter quae dicitur negatio extra genus ita dicitur de non ente sicut de ente quia non homo dicitur leo et chimaera, — ideo oportet quod negatio notionem importans fundetur in aliquo positivo, et sic sit negatio in genere importans aliquid quod est secundum aliquem modum essendi. Patet igitur primum.

Sequitur de secundo quomodo haec notio fundatur in essentia communi et tamen est propria Patri. Propter quod sciendum quod ¹³ quia illud quod substractum ¹⁴ est notionibus et relationibus in personis divinis est ipsa essentia, ideo videtur dicendum quod substractum huic negationi est divina essentia, ut sit sensus. Pater est ingenitus, id est | est habens in se divinam essentiam non ab alio, hoc enim scilicet habere divinam

cod. V
fol. 58 Vb

¹ esse C. — ² esse C. — ³ patre PC. — ⁴ om. C. — ⁵ non PC. — ⁶ om. C. — ⁷ fundari — istam] *scrips. 2a m.* C. — ⁸ om. C. — ⁹ fundentur C. — ¹⁰ quo *corr. 2a m.* C. — ¹¹ ordinem V. — ¹² notificantur C. — ¹³ quia C. — ¹⁴ substratum C.

essentiam in se non ab alio ¹ est proprium personae Patris, et hoc modo etiam ² ingentum est ³ proprium illi. Nam ingentum, prout per ipsum importatur negatio in genere in divinis, dicit uno modo id quod non est terminus productionis alicuius determinatae scilicet generationis per se, est tamen communicatum vel habitum in aliquo per generationem et sic divina essentia dicitur in se esse ingenta; alio modo id quod nec est terminus per se generationis nec habitum vel communicatum per generationem, est tamen terminus productionis alterius sive habens esse per aliam productionem quae tamen non est sine generatione, et hoc modo Spiritus Sanctus secundum Iohannem ingentus dicitur.

cod. P
fol. 5 Va

Tertio modo id quod nullius productionis est terminus, immo nec est terminus generationis nec in alio habet esse per generationem nec habet esse modo essendi qui supponat generationem, et hoc modo Pater dicitur ingentus. Sed quia generatio divina est prima omnium productionum, dicere in divinis sic esse aliquid ingentum idem est cum eo quod est nullo modo esse ab alio; et ideo, ut dicit Ricardus sexto de Trinitate: quia solus Pater a nullo est, idcirco nulla ratione genitus dici potest, propter quod nomen ingenti accepit. | Ex quo patet quod per illud ingentum includitur inspiratum, quia ablata prima processione autertur secunda, et sic hoc modo dicitur solus Pater ingentus. Unde dicit Hilarius, tertio de Trinitate, de Patre: ipse est plenus, perfectus, aeternus, non aliunde quid sumens, sed ad id quod ita manet sibi ipse sufficiens, hoc ergo ⁴ ingentus. Ex quo patet quod ingentum positive dicit plenitudinem et sufficientiam in Patre, ex se negative autem dicit nihil habere ab alio: ut secundum hoc ingentum sit notio ratione negationis quam importat, aliquid tamen dignitatis importans ex hoc quod supra talem affirmationem fundatur. Habere enim omnia quae divinitatis sunt essentialia ex se formaliter toti Trinitati convenit. Sed ea sic ⁵ habere ex se formaliter quod cum hoc a nullo principiative, hoc magnae dignitatis est, et soli Patri convenit. Patet ergo ⁶ quod licet ingentum habeat fundamentum positivum quod est essentia communis, tamen est proprium Patri esse ingentum et sic patet secundum.

cod. P
fol. 5 Vb

Sequitur de tertio, scilicet quomodo fundatur in essentia praecise ut est Patris, et ideo etiam aliquo modo ei substernitur proprietas Patris, ita tamen quod ipsa essentia sit formalis ratio innascibilitatis, et non paternitatis, propter quod oportet aliam esse proprietatem innascibilitatis ⁷ a proprietate Paternitatis. Ad cuius evidentiam est ulterius intelligendum quod ei quod est ingentum in divinis non substernitur sola divina essentia, nec etiam quodcumque suppositum simpliciter et absolute, sed suppositum determinatum cum determinata ⁸ proprietate. Nam hoc quod dico ingentum potest considerari dupliciter. Uno modo secundum se et ratione formae, et sic ei non est substractum nisi essentia, absque aliqua proprietate relativa: ingentum enim simpliciter dicitur suppositum quodcumque, sive absolutum, sive respectivum, habens essentiam aliquam ex se formaliter, ita quod a nullo principiative ⁹. Secundum hoc, si persona Patris esset hypostasis absque proprietate paternitatis quae essentiam divinitatis haberet non ab alio, esset ingenta, absque eo quod huiusmodi relatio vel notio haberet aliquid ¹⁰ relativum substractum. Alio modo consideratur ratione materiae, scilicet ut circa divinam naturam, et sic substractum est illi negationi, uno modo aliquid | quasi dispositive et

¹ hoc — alio] *scrips.* 2^a m. P. — ² est P. — ³ etiam P. — ⁴ modo P. — ⁵ ea sic] sic ea C. — ⁶ igitur PC. — ⁷ *scrips.* 2^a m. P. — ⁸ cum determinata *cm.* C. — ⁹ principiative P. — ¹⁰ aliquid C.

determinative ut in quo habet fundari et hoc non est nisi divina essentia, — alio modo ut quo¹ habet fundari in illo, et haec est ipsa proprietas Paterna sive generare — eo enim quod generare in divinis est prima productio necessarium est quod generans non ab alio princi | pative² habeat divinam naturam, — tertio modo ut cuius est et hoc est ipsum suppositum cum proprietate Paternitatis.

cod. C
fol. 2 V^b

Per praedicta potest responderi ad obiecta.

QUAESTIO IV.

*Utrum verbum in divinis sit solum personale soli Filio
conveniens vel sit aliquod verbum essenziale in divinis.*

Deinde circa personam Filii quaerebantur duo. Unum erat pertinens ad ipsam personam divinam, utrum verbum in divinis sit solum personale soli Filio conveniens, vel sit aliquod verbum essenziale in divinis. Aliud quaesitum circa personam Filii erat pertinens ad naturam humanam assumptam, scilicet utrum | illius incorruptionis corporis Christi, de qua praedixit Psaltes: non dabis³ sanctum tuum videre corruptionem, fuit causa acceleratio resurrectionis, vel conservatio miraculosa alicuius formae quae prius erat in corpore vivo.

fol. 2 V^b

Ad primum arguebatur quod verbum in divinis non solum sit personale et proprium Filio, sed sit essenziale et commune tribus personis, quia verbum est terminus intellectualis operationis. Ergo secundum multiplicationem intellectualis operationis oportet multiplicari verbum; sed non solum est⁴ intelligere personale quo producitur Filius qui est verbum personale, sed est etiam intelligere essenziale commune tribus personis. Ergo etiam per illud intelligere producitur verbum essenziale.

cod. V
fol. 59 R^a

Contra. Illud quod importat relationem in divinis non est essenziale sed tantum personale; sed verbum importat relationem quia dicitur relative ad dicentem; ergo et cetera.

Respondeo dicendum quod verbum dicit aliquid emanans ab intellectu et⁵ operatione ipsius intellectus. Unde secundum Augustinum, quinto decimo de Trinitate capitulo vigesimo octavo: verbum est quod nascitur ex

¹ quae 2^a m. C. — ² principiative PC. — ³ dabo P. — ⁴ scrips. 2^a m. C. — ⁵ add. VC. — ⁶ intellectu et] intellectuali PC.

cod. P
fol. 6 R⁴

scientia quam memoria tenemus, quod eiusmodi omnino est cuiusmodi est illa scientia de qua nascitur: formata enim cogitatio ab ea re quam scimus verbum est quod in corde dicimus. Et ¹ prout dicit capitulo trigesimo octavo ²: sic verbum nostrum nascitur ³ de nostra scientia quem | admodum verbum Patris aeternum de substantia Patris natum ⁴; et secundum hoc de ratione verbi est quod sit quaedam notitia quae procedat ab intelligente. Quia ergo in divinis non est notitia emanans et declarativa ab intelligente, nisi illa quae est id ⁵ ipsa persona Filii, ideo non est ibi verbum realiter nisi personale. Unde propter rationem inductam in principio est intelligendum quod non est in divinis nisi unum intelligere, scilicet intelligere essenziale commune tribus personis, quod tamen convenit ipsi Patri ut primae personae, et quia actus intelligendi non perficitur sine conceptu aliquo emanante ab ipso intelligente, mediante huiusmodi actu intelligendi, ideo intelligere essenziale Dei non potest esse sine verbo producto et concepto. Sed quia nulla actio procedit ab essentia secundum se, sed a supposito, quia per se suppositi est agere licet ratione formae, ideo etiam ipsum intelligere, secundum se, scilicet ut est essenziale et commune tribus, non potest esse principium huiusmodi verbi emanantis ab intellectu divino, sed ⁶ ut est primae personae quae non est ab alia et quae includit proprietatem relativam quae est vis generativa; et ideo verbum productum per tale intelligere dicit respectum determinatum ad determinatam personam et non ad ipsum actum intelligendi secundum se. Et ideo licet intelligere in divinis sit quid essenziale, verbum tamen quod per ipsum concipitur non est nisi personale.

Per hoc patet responsio ad obiecta.

¹ om. C. — ² sexto P. — ³ et add. C. — ⁴ est add. PC. — ⁵ quod add. P. — ⁶ nisi corr. 2^a m. P.

QUAESTIO V.

Utrum incorruptionis corporis Christi fuit causa acceleratio resurrectionis vel conservatio miraculosa alicuius formae quae prius erat in corpore vivo.

Postea ad secundum arguebatur quod causa incorruptionis illius ¹ non fuit acceleratio resurrectionis, quia illa incorruptio soli Christo et ex speciali privilegio videtur convenire. Sed incorruptio, quae est praeservatio ab incineratione et putrefactione per acceleratam resuscitationem, antequam facta sit huiusmodi corruptio, non fuit privilegium Christi nec soli Christo convenit, quia etiam videtur matri suae Virgini Beatae convenire; ut patet per Augustinum, in quodam ² sermone de Assumptione Beatae Mariae. Ergo oportet ponere aliquam incorruptionem aliam a praedictis, et aliam causam illius incorruptionis a putrefactione et incineratione, quam accelerationem resurrectionis. Hoc autem non videtur esse nisi reservatio alicuius | formae praeexistentis in corpore, qua manente miraculose, non potest corpus Christi putrefieri vel incinerari, etiam si resuscitatum non fuisset.

cod. P
fol. 6 R^b

Contra. Petrus sic arguit Actuum vigesimo quarto. David praedixit de Christo: non dabis ³ sanctum tuum videre corruptionem, et sic secundum David, corpus Christi non vidit corruptionem. Sed si non vidit corruptionem, surrexit. Ergo sequitur ex auctoritate David, quod Christus surrexit. Dicit enim Petrus sic, ut habetur Actuum ⁴ vigesimo quarto: David dicens, | caro mea requiescet in spe quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ⁵ sanctum tuum videre corruptionem, locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, nec caro eius vidit corruptionem, sed ista consequentia quam facit Petrus ex dicto David non teneret, si alia fuit causa dictae incorruptionis quam resurrectio praeveniens huiusmodi corruptionem. Quare et cetera.

cod. C
fol. 3 R^a

Respondeo dicendum quod Christus fuit vere homo, et veritatem humanae naturae voluit ostendere, in vita defectus naturales, sive poenales,

¹ incorruptionis illius] illius incorruptionis P. — ² quaestione de *corr.* 2^a m. C. — ³ dabo P. — ⁴ actu V. — ⁵ dabo P.

cod. V
fol. 59 R^b

scilicet famem, | sitim. et ¹ cetera talia suscipiendo, et in morte sicut alii homines vera mortis corruptione deficiendo. Unde supponendum est quod, sicut ipso vivente fuerunt in ipso ² omnia quae ad naturam vivi hominis pertinent, quantum ad naturalia omnino univoce prout sunt in aliis hominibus puris, ita etiam suppono esse tenendum quod in instanti suae mortis fuerunt in corpore eius mortuo omnia quae ad naturam corporis hominis mortui naturaliter pertinent. omnino univoce prout sunt in corporibus aliorum hominum mortuorum, in hora qua anima a corpore separatur; quia nec auctoritas docet contrarium, nec sensus aliquid ³ etiam potuit apprehendere per quod posset aliud iudicari. Ipse enim voluit fratribus per omnia assimilari in vita et in morte, quantum ad defectus naturales. Unde dicit Damascenus, libro tertio, capitulo vigesimo septimo, quod in graeco corruptionis nomen duo significat ⁴. Signat ⁵ enim humanas has ⁶ passiones, famem, sitim, laborem, clavorem perforationem, et mortem, scilicet animae a corpore separationem, et quaecumque talia. Secundum hoc autem signatum dicimus | corruptibile Domini corpus; omnia enim haec voluntarie assumpsit.

cod. P
fol. 6 V^a

Cum ergo diversae sunt opiniones circa qualitatem corporis cuiuscumque hominis mortui, secundum diversitatem opinionum circa formam corporis eius vivi, secundum hoc diversimode est loquendum de modo existendi corporis Christi post animae separationem ⁷. Secundum ponentes enim ⁸ in homine tantum unam formam substantialem, scilicet animam, virtute continentem omnes alias inferiores formas, esset dicendum quod reservatio corporis Christi ab incorruptione, post separationem animae, non potuit esse conservatio alicuius formae praeeistentis; immo oporteret ponere fuisse in corpore eius aliam formam sicut et in aliis hominibus, quae tamen non fuit corrupta ulteriori resolutione in elementa per putrefactionem. Sed hoc posito, adhuc remanet quaestio, utrum talis forma aliquo miraculo sic fuit conservata per unum diem integrum et duas noctes absque corruptione ulteriori, aut solum per tam velocem resurrectionem fuit praeventa huiusmodi corruptio.

Secundum ponentes autem plures formas in homine sic quod, anima separata, remanet naturaliter et absque miraculo aliqua forma praeeistens quae stat per aliquantulum tempus, absque resolutione ulteriori manens, est dicendum quod etiam in corpore Christi remansit huiusmodi forma

¹ om. VC. — ² eo PC. — ³ aliud V. — ⁴ duo significat] significat duo P. — ⁵ significat 2^a m. C. — ⁶ humanas has] has humanas P. — ⁷ existendi — separationem] scrips. 2^a m. C, *excepto verbo* Christi. — ⁸ ponentes enim] enim ponentes C.

naturalis per dictum spatium absque ulteriori corruptione. Sed hoc posito, adhuc remanet etiam quaestio praedicta.

Secundum illos autem qui ponunt in homine duas formas, ita tamen quod in separatione animae alia, scilicet naturalis, simul naturaliter corrumpitur et alia introducit, nec potest ista forma naturalis ¹ remanere anima separata etiam ad horam, nisi miraculose et virtute supernaturali; qui simul cum hoc ponunt quod corpus Christi mortuum fuit unum et idem numero cum corpore eius vivo, non solum unitate suppositi divini, sed unitate eiusdem formae naturalis, non sic autem in aliis hominibus contingit, sed corpus Beatae Mariae mortuum, in hora separationis animae, fuit omnino aliud numero per aliam formam substantialem de novo introductam; — secundum istos inquam oportet ponere quod in corpore Christi remansit supernaturaliter et miraculose ² huiusmodi forma naturalis. Potest etiam secundum istos dici quod miraculose, sed forte virtute primi | miraculi quo a verbo assumpta fuit haec forma simul cum materia, etiam eodem miraculo ab ulteriori corruptione praeservabatur; et tunc esset soluta quaestio praedicta quia diceretur quod causa ulterioris incorruptionis non fuit acceleratio resurrectionis huiusmodi corruptionem praeventis sed miraculosa retentio ³ talis formae sic supernaturaliter retentae et conservatae, ratione cuius non magis propinquum fuisset illud corpus corruptioni usque ad mille annos quam in ipsa prima hora separationis animae.

cod. P
fol. 6 Vb

Sed ut dictum est alias, iste modus ponendi non videtur conveni | ens, tum quia excludendo univocationem et unitatem speciei in corpore Christi mortuo et corporibus aliorum hominum mortuorum, ponit diversitatem ⁴ nimiam inter veritatem corporis Christi mortui et aliorum hominum, quae nec auctoritate nec ratione videtur haberi, immo videtur potius et auctoritati et rationi adversari, nam, ut dictum est, rationale videtur quod Christus veritatem mortis et quae ipsam in hora mortis naturaliter consequuntur sustinuit, sicut et alii, et puto quod quantum ad accidentia exteriora quae per sensum comprehenduntur, | et quae magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid ⁵ est, non fuisset inventa notabilis diversitas inter corpus eius et corpora aliorum mortuorum consimilis dispositionis et complexionis cum ipso qui in eadem hora mortui fuissent, eo modo ⁶ sicut ipse ⁷. Dicit etiam ⁸ Damascenus, quod omnia praedicta quae ad naturales praedictos defectus pertinent, Christus ipse ⁹ voluntarie suscepit. Talis modus etiam ² incorruptionis videtur non concordare Scripturae, quia ex Scriptura

cod. C
fol. 3 Rb

cod. V
fol. 59 Va

¹ naturaliter C. — ² corpore — miraculose] se C; corpore Christi remansit supernaturaliter et miraculo *add.* 2^a m. C. — ³ retento V. — ⁴ *scrips.* 2^a m. C. — ⁵ quid' P. — ⁶ quo *add.* 2^a m. P. — ⁷ *om.* P. — ⁸ *om.* P. — ⁹ *om.* PC. — ⁸ *scrips.* 2^a m. C.

cod. P
fol. 7 R^a

tantum colligitur duplex corruptio, una est per mortem et per alias poenaltates de qua dictum est per Damascenum, alia est per resolutionem in elementa sive per putrefactionem et a prima nullus ponit Christum exemptum, sed solum a secunda, nec inter ista media praedicta incorruptio est posita in Scriptura. Unde dicit Damascenus ubi supra: signat etiam corruptio perfectam corporis in ea ex quibus compositum est dissolutionem et destitutionem; huiusmodi autem corruptionis corpus Domini experimentum non habuit ut ait Propheta: quoniam non dabis | sanctum tuum videre corruptionem et cetera. Et ideo videtur quod in corpore Christi in hora separationis fuit forma eiusdem rationis et speciei cum formis quae in corporibus aliorum hominum in hora mortis reperiuntur, et quod illa forma fuisset corrupta et per putrefactionem in elementa resoluta, si naturae proprie fuisset derelicta et acceleratione resurrectionis non fuisset huiusmodi corruptio praeventa.

Sed quia, posito quod talis forma fuerit in corpore Christi, adhuc potuit reservari a corruptione ulteriori dupliciter, vel sic quod non solum a dicta ¹ resolutione in elementa sed etiam a quolibet alteratione disponente ad huiusmodi resolutionem quae non potuit fieri sine miraculo, vel solum a dicta resolutione et non ab alteratione tali, qualis in tam modico et tam frigido tempore fieri potuit, quid horum factum fuerit est incertum. Sed quia absque periculo et inconvenienti potest poni quod solum a dicta resolutione fuit praeservatum, quia potuit fieri virtute naturali in tali et tam modico tempore quod non corrumperetur ulteriori corruptione substantiali, et ubi potest sustineri cursus naturae non est ad miracula recurrendum, ideo videtur quod convenienter potest poni causa dictae secundae incorruptionis acceleratio resurrectionis, tali quidem modo quod quia praevenit antequam esset notabilis alteratio in eius corpore facta, ideo non fuit ibi talis corruptio, et hoc quidem videtur intellexisse Petrus. Actuum vigesimo quarto ², unde sumptum est argumentum ubi recitans verba Psaltis: caro mea requiescet in spe, non derelinques animam meam in inferno nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, subdit: propheta locutus est de resurrectione Christi propter quam non vidit corruptionem, quia neque derelictus est in inferno (glosa secundum animam) nec caro eius vidit corruptionem (glosa: putrefactionis et vermium). Item dicit glosa alia: ibi caro eius non est corrupta sed veloci resurrectione glorificata nec est derelictus quia surrexit. Hoc idem dicit glosa super Psaltem. Unde nusquam ³ fit mentio de illa

¹ a dicta] addita C, ab ista 2^a m. C. — ² XXIV] vigesimo corr. 2^a m. PC. — ³ nunquam V.

media incorruptione inter separationem animae a corpore quae fit per mortem et inter resolutionem in elementa quae fit per putrefactionem.

Sed quia haec | in facto et in potentia et miraculis Dei consistunt circa haec nihil est temere asserendum. Sed hoc est circa haec firmiter credendum ¹ quod Christus potuit corpus suum mortuum existens sub tali forma cadaveris absque ulteriori corruptione conservare etiam per tempus infinitum, si non fuisset eius resurrectio subsequuta; est etiam dicendum quod sic potuit corpus matris suae, post separationem animae absque putrefactione conservare; nec est necessarium dicere quod differenti miraculo conservaverit suum corpus ² et corpus matris suae, quoniam scilicet illo modo quo unum conservavit potuerit etiam aliud conservare. Fuit tamen aliqua differentia in ratione congruitatis talis conservationis. Quia enim prima corruptio quae est per mortem, et secunda quae est per resolutionem in elementa et per putrefactionem sunt in homine poena consequens originale, Christus debebat esse ³ immunis ab utraque; sed alteram voluntarie sustinuit, quia fuit pretium nostrae redemptionis, sed ab alia quae non nobis utilis fuisset se voluit conservare. Sed mater eius, quia supponitur contraxisse originale, utramque ⁴ secundum legem communem debuit sustinere, sed a secunda Filius voluit | ipsam | conservare ex gratia et privilegio speciali, prout docet Augustinus in secundo de Assumptione, et per haec patet responsio ad obiecta.

cod. P
fol. 7 Rb

cod. V
fol. 59 Vb
cod. C
fol. 3 Va

QUAESTIO VI.

Utrum in angelis sit aliquod principium activum aliud ab intellectu et voluntate.

Deinde circa creaturas quaerebantur quaedam pertinentia ad naturam pure spiritualem, scilicet angelicam; quaedam pertinentia ad naturam pure corporalem, scilicet quantum ad corpus caeleste; quaedam pertinentia ⁵ ad naturam compositam ex substantia corporali et spirituali, scilicet quantum ad hominem.

Circa naturam angelicam quaerebatur unum scilicet, utrum in angelis

¹ tenendum PC. — ² suum corpus] corpus suum C. — ³ om. V. et 1a m. P. — ⁴ utrumque C. — ⁵ om. P.

cod. P
fol. 7 Va

sit aliquod principium activum aliud ab intellectu et voluntate. Et arguebatur quod sic quia, secundum Damascenum, angelus ibi est ubi operatur. Ergo oportet¹ in angelo esse aliquid per quod habeat esse ubi operatur, et per quod possit applicari ei circa quod operatur. Sed intellectus et voluntas in angelo non sunt huiusmodi, quia secundum² haec ita se habet angelus ad propinquum et remotum quia remota cognoscit et diligit; ergo praeter haec oportet ponere aliquod aliud principium activum in eis.

Contra. Angelus est simplicior quam anima rationalis; ergo non videntur esse plura principia sed potius pauciora in angelo quam in anima rationali, ubi non ponuntur plura principia activa quam intellectus et voluntas. Ergo nec in angelo debent plura poni.

Respondeo dicendum quod si angeli essent motores orbium modo quo philosophi posuerunt, sic scilicet quod natura eorum esset movere, nec secundum se essent in sua perfectione si non moverent et quod moverent per suam essentiam; quia in eis non differt secundum ipsos substantia virtus et operatio, non esset in eis aliquid additum suae substantiae³ per quod⁴ corpora quaecumque moverent. Etenim quaecumque in eis, secundum philosophos, ultra essentiam ponuntur non sunt plura et differentia nisi secundum rationem, sicut et in Deo ponimus nos. Sed quia hoc non est ponendum, — nam nec moveri est⁵ perfectio naturalis corporum caelestium sic quin cessare debeat motus huiusmodi, — nec etiam sic est natura angelorum deputata ad movendum ipsa corpora quod non habeant suam perfectionem nisi ipsis existentibus in movendo. Ideo nec oportet ponere quod movent per suam essentiam et naturam, sed per aliquam virtutem activam in eis existentem quae tamen caelo non necessario sit applicata. Cum autem sint substantiae spirituales et intellectuales, non videtur quod in eis sit aliqua potentia quae sit principium alicuius operationis nisi intellectus et voluntas. Et sicut in nobis sunt plures virtutes passivae vel quasi⁶ passivae apprehensivae, in eis autem non est nisi una quae intellectus dicitur, omnem vim apprehensivam nobiliori modo quadam virtute eminentiori continens; ita etiam cum in nobis sint plures virtutes activae vel quasi activae scilicet appetitus intellectivus sive voluntas, et etiam aliquo modo sensitivus, et etiam illa potentia quae motiva secundum locum dicitur; videtur quod in angelis erit solum una potentia activa secundum rem, multiplex virtute quae voluntas dicitur. Nec tamen dicetur angelus movere caelum sola voluntate, quod est reprobaturum inter articulos condem-

¹ Ergo oportet] oportet ergo C. — ² per PC. — ³ scientiae C. — ⁴ quae V. — ⁵ moveri est] est moveri P. — ⁶ bis P.

natos (1), quia illud dicitur moveri ¹ sola voluntate alicuius quod omnino | movetur ² secundum eius libitum et non secundum aliquam determinationem et proportionem eius ad illud ³ et ad finem propter quem movere habet ⁴. Non sic autem dicitur angelus movere caelum voluntate, quia angelus bonus non movet nisi secundum quod ei praestitutum ⁵ est a Deo cuius est minister, malus ⁶ autem non agit circa corpora nisi secundum quod ei a Deo est permissum. Unde Augustinus de malo dicit undecimo super Genesim, capitulo decimo septimo : diabolus suam habet voluntatem vel cupiditatem nocendi, facultatem autem vel potestatem nec ut faciat habet, nec quomodo faciat nisi quia permissus est. Et sic cum divina permissione laxatur frenum voluntati daemonum ; ipsi sua voluntate faciunt quod faciunt. De bonis autem dicit Augustinus octavo super Genesim ad litteram capitulo XXXI : Dei providentia regens atque administrans universam creaturam subdit primitus omnia sibi, deinde corporalem creaturam spirituali, irrationalem rationali, terrestrem caelesti, ac per haec sublimibus angelis Deo subdite fruentibus, et Deo beate servientibus, subdita est omnis natura corporea, omnis irrationalis ⁷ vita, omnis voluntas vel infirma vel parva ⁸, | ut hoc de subditis agant quod naturae ordo poscit, in omnibus illo iubente cui subiecta sunt omnia, et eius in inferioribus iussa perficiunt, moventes se per tempus, corpus autem per tempus et locum. Constat autem quod non movent se nisi voluntate, et eadem virtute dicto modo regulata quo movent se, videntur movere corpora, ut scilicet moveri ipsos voluntate sua est ipsos habere esse ubi volunt sive coniungi corpori in ⁹ ratione moventis cui volunt et sic | coniuncta sua voluntate huiusmodi corpora movent secundum quod eis est praestitutum ¹⁰.

cod. P
fol. 7 Vb

cod. V
fol. 60 Ra

cod. C
fol. 3 Vb

Sed quia contra articulum dicere non intendo, quia etiam ¹¹ videtur in solo Deo ubi velle est agere hoc habere locum quod sola voluntate facit quae sibi placent in omni creatura, videtur in angelis aliquo modo appetitus distinguendus a virtute motiva sicut ab apprehensiva. Nam sicut opus apprehensivae est operationem extrinsecam apprehendere et regulare, et in hoc etiam ipsum appetitum dirigere, ita opus volun | tatis videtur esse id

cod. P
fol. 8 Ra

¹ movere PC. — ² movetur] movet PC. — ³ quod movet *add.* PC. — ⁴ movere habet] movet C. — ⁵ praestitutum V. — ⁶ in aliis C. — ⁷ enim rationalis C. — ⁸ prava V. — ⁹ om. C. — ¹⁰ praestitutum PC *2^a m.* V. — ¹¹ quia etiam] etiam quia C.

(1) Denifle et Chatelain, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, t. I, p. 543. Opiniones ducentae undeviginti Sigeri de Brabantia, Boetii de Dacia aliorumque, a Stephano episcopo Parisiensi de consilio doctorum sacrae scripturae condemnatae. N. 212 : « Quod intelligentia sola voluntate movet celum ».

quod extrinsecus faciendum apprehensum est appetere vel velle, et ut fiat imperare. Et quia imperare quod aliquid fiat non est facere illud, sicut nec dirigere faciendum est velle vel facere illud, sed est movere vel impellere potentiam motivam vel operativam ad eliciendum huiusmodi actum exterius transeuntem, videtur quod cum voluntate sit ibi aliquo modo virtus motiva ponenda, quae ab intellectu et voluntate movetur ad exercitium sui actus, et applicatur ad movendum corpus, quod voluntas vel angelus voluntate sua vult movere. Quia tamen ista virtus motiva est¹ quid spirituale, simplex, indivisibile, et non materiale nec locale, — sicut si² sola voluntate moveret non diceretur quod hoc contingeret per approximationem localem sed solum per hoc quod ipse actus voluntatis eliceretur a voluntate angeli quae est virtus in natura, quae est naturaliter super corporalem substantiam constituta, cum quadam applicatione et in ordine ad corpus movendum, et sic natura angelica existens in actu volendi tali mox tale corpus esset in actu movendi; — ita etiam si ponatur huiusmodi virtus alia³ a voluntate, non ideo ponetur quod ipsa realiter secundum approximationem localem accedat, modo ad unum corpus, modo ad aliud ut corpus moveatur, sicut etiam nec voluntas si sola poneretur movens non propter hoc poneretur⁴ movens corpus quia accederet vel approximaret localiter ipsa voluntas mobili corpori, nec ideo etiam ponetur talis virtus motiva quia ipsa suo actu magis accedat vel coniungatur corpori quam voluntas suo actu diceretur approximari vel coniungi si sola poneretur movens. Sed ponetur talis virtus proxime et immediate motiva propter ordinem potentiarum, quia scilicet apprehendere et appetere motum vel rem movere vel imperare quod corpus aliquod⁵ moveatur non sufficit, sed requiritur tertia potentia executiva per eius actum sic apprehensi et imperati: et per hoc patet ad argumenta. Cum enim dicitur quod in | anima rationali⁶ hominis non est aliqua alia virtus motiva ultra intellectum et voluntatem, ergo similiter erit in angelo, dicendum quod non est simile, quia anima rationalis naturaliter debet esse unita corpori humano ut forma dans illi et esse et⁷ moveri; existens autem in corpore habet cum potentiis sensitivis apprehensivis organicis etiam potentiam motivam organicam quae sufficit ad movendum⁸ corpus cui deputatur, ideo non oportet quod habeat cum potentia intellectiva et volitiva quae sunt potentiae non organicae aliam potentiam motivam non organicam.

cod. P
fol. 8 Rb

¹ om. V. — ² *dein. ras. C.* — ³ om. C. — ⁴ moveretur PV. — ⁵ aliquid C — ⁶ *seq. ras. C.* — ⁷ om. C. — ⁸ modum C, *1^a man. PV.*

QUAESTIO VII.

Utrum substantia caeli per se ipsam sit mobilis.

Deinde circa corpus caeleste quaerebatur unum, scilicet utrum substantia caeli per se ipsam sit mobilis. Et arguebatur quod non, quia nullum indivisibile per se movetur, ut probat Philosophus sexto Physicorum. Sed substantia caeli secundum se est indivisibilis, non habens partem et partem nisi per quantitatem. Ergo et cetera.

Contra. Secundum illud aliquid est mobile per se secundum quod mensuratur nunc temporis; quia sicut tempus est mensura motus, ita nunc temporis est mensura mobilis secundum quod mobile. Sed nunc temporis est mensura substantiae caeli secundum se; nam nunc temporis et nunc aevi sunt idem secundum rem et sunt idem cum ipsa substantia caeli. Cum ergo nunc aevi sit mensura substantiae caeli secundum se ut entiter entis, sicut aevum est mensura esse ipsius angeli, ita etiam nunc temporis est mensura substantiae caeli | secundum se, id est absque aliqua eius quantitate ut tamen ¹ mobile vel mobiliter ens. Ergo et cetera. cod. V
fol. 60 R^b

Respondeo dicendum quod ab aliquibus dicitur quod mobile est divisibile et quantum, nec moveretur si non esset quantum. Tamen ratio mobilitatis per se non convenit ei secundum rationem quanti et divisibilis, quia causam motus oportet reducere in naturam. Natura enim principium motus secundo ² Physicorum. Non ergo in quantitatem ³ sed in substantiam vel naturam caeli reducetur motus eius.

Item dicitur quod substantiae proprium est quod una et eadem numero per se susceptibilis est contrariorum. Ergo ipsa substantia secundum se, non secundum rationem quantitatis, est susceptiva contrarietatis, secundum ubi et situm sive quae consistit secundum loci mutationem.

Item dicitur quod accidentia secundum se | sunt invariabilia, et magis sunt termini transmutationum quam id quod transmutatur; sed substantia est id | quod per se transmutationi subicitur et non accidens. Accidens ergo non potest esse mobile per se sed solum per accidens. Cum enim accidentia non habeant esse per se, non moventur per se. cod. C
fol. 4 R^a

cod. P
fol. 8 V^a

¹ tantum C. — ² tertio C. — ³ quantitate C.

Contrario ergo modo se habent ad partibilitatem et motum substantia et quantitas. Quantitas enim est per se partibilis, quia extensum quid nominat, non tamen per se mobilis ¹, quia non est ens per se: quod enim per se movetur per se est, et quod non potest esse nisi in alio non potest moveri ² nisi per accidens. Sed substantia e contra se habet: partitur enim per accidens, quia per quantitatem, et tamen movetur per se quia per se est. Sed hoc videtur ³ male dictum, quia illi per se convenit moveri secundum locum et ad ubi, cui per se convenit esse in loco: sed hoc non convenit substantiae per se quia locus per se est contentivus corporis.

Item si esse in loco et moveri per se convenirent substantiae, ergo circumscripta quantitate ei conveniret, et ⁴ quia destructo posteriori non destruitur prius sed e contra ⁵. Amoto autem motu in actu non amovetur ⁶ quantitas, sed e converso ⁷. Unde etiam si substantia panis posset manere sine accidentibus non esset in loco, nec moveretur prout nunc loquimur de esse in loco circumscriptive, quod requiritur ad hoc quod aliquid proprie localiter moveatur. Nunc autem quantitas manens sine substantia est in loco et movetur, et ita patet motum non esse priorem quantitate, sed e converso quantitatem esse priorem motu.

Quia manifestum est quod motus per se vel esse in loco non convenit substantiae sine quantitate, dicendum est ergo quod substantia secundum se non movetur sic quod ratio substantiae sit immediata et proxima ratio movendi in ipsa. Sed ipsa substantia caeli est prima et radicalis causa omnium suorum accidentium et dispositionum, sed ordine naturae, primo quorundam, et ⁸ illis mediantibus, aliorum. Et sic primo est causa suae quantitatis, et mediante illa, motus. Secundum rationem secundum quam subiectum est causa suorum accidentium ordinate, prima ergo et proxima ratio mobilitatis caeli ad locum est eius quantitas continua, et sic ipsum esse mobile secundum quod quantum. Unde Aristoteles probare credit sexto Physicorum quod omne mobile secundum quod mobile de necessitate est divisibile, et hoc quidem multum manifestum est in motu locali, qui verissime | est continuus et unus. Et sua ratio non solum ostendit quod mobile est divisibile, sed quod mobile secundum quod mobile est divisibile. Quia, ut ibi declaratur, cum aliquid secundum se totum est in aliquo termino sive a quo sive ad quem, non movetur ad hoc. Ergo, quod moveatur, oportet quod secundum aliquid eius sit in uno termino et secundum aliquid eius sit in alio termino; sed non potest esse secundum

cod. P
fol. 8 Vb

¹ quia extensum — per se mobile] 2a m. C. — ² movere PC. — ³ esse add. C. — ⁴ om. C. — ⁵ contrario C. — ⁶ movetur C. — ⁷ contra P, contrario C. — ⁸ est add. marg. VP.

aliquid in uno et secundum aliquid in alio nisi habeat partem et partem. Cum ergo de ratione mobilis secundum quod mobile sit secundum aliquid eius esse in uno termino, et secundum aliquid eius in alio, de ratione mobilis secundum quod mobile est habere partem et partem. Sed mobile licet sit substantia, ratione substantiae tamen non habet partem et partem, sed secundum quod quanta. Quia, ut dicitur quinto *Metaphysicae*, quantum quod est per se divisibile in ea quae sunt in ipso et cetera. Unde quantum, quod est substantia quanta, est per se divisibile, et non substantia nec ¹ quantitas, sed substantia quanta est quae dividitur. Quantitas autem est ratio divisibilitatis vel est dispositio secundum quam substantia habet partes, sive est ipsa partibilitas substantiae.

Item de ratione motus est quod sit divisibilis; sed ipse est divisibilis secundum divisionem spatii et mobilis. Sed sicut ablata divisibilitate spatii, tollitur divisibilitas motus, ita etiam ablata divisibilitate mobilis, tollitur divisibilitas etiam motus. Motus ergo caeli duplex | est causa; una scilicet eius quantitas continua secundum quod quantitas quae communiter est causa omnis motus localis secundum quod huiusmodi; alia natura eius propria cuius est haec quantitas dispositio, quae est causa determinans motum localem caeli ad circularitatem, sicut in lapide causa motus eius localis per se est sua quantitas continua ratione cuius etiam contra naturam suam propriam potest moveri violenter sursum, sed causa motus eius deorsum est gravitas.

cod. V
fol. 60 Va

Ad argumentum est dicendum quod non bene dicitur quod nunc temporis et aevi sunt idem et quod sunt idem quod substantia mobilis, quia sicut se habet mensura ad mensuram, ita indivisibile et principium mensurae unius ad principium et indivisibile alterius. Si ergo tempus et aevum non sunt idem nec etiam ipsa nunc; sicut enim ² in caelo non est idem ipsa substantia eius secundum se, quae ut sic in essentia sua quantitatem non includit et cuius mensura est nunc aevi, et substantia eius secundum quod quanta sive secundum quod mobilis ratione quantitatis, quia substantia caeli ut sic iam includit | aliquid additum sibi ratione | cuius eius mensura est nunc temporis; — ita etiam realiter oportet ista nunc differre. Sed qualiter ipsum nunc temporis quod realiter est aliquid aliud a nunc aevi se habeat ad ipsum mobile secundum quod mobile; quomodo scilicet est idem vel non idem realiter cum ipso, et quomodo tamen est aliquod nunc intrinsecum ipsi tempori et ad eius essentiam pertinens, quia ³ ad rationem cuiuslibet continui tale indivisibile continuatum pertinet quod

cod. P
fol. 9 Ra
cod. C
fol. 4 Rb

¹ non *1^a m.*, V, vel C. — ² etiam PC. — ³ quod C.

tamen non ¹ potest esse idem ² realiter cum primo mobili, et plura alia circa haec considerata; — alterius sunt perscrutationis. Sunt tamen quaedam rationes in promptu ostendentes quod ipsum nunc non est idem cum mobili, quia secundum Philosophum quarto Physicorum, sicut se habet punctus ad lineam, sic ³ nunc ad tempus. Sicut ergo punctus continuatus lineae est aliquid ipsius lineae, nec potest manere linea non existente, nec potest esse idem realiter cum subiecto lineae, ita etiam nunc continuatum ⁴ temporis ⁵ est aliquid intrinsecum tempori, nec potest manere id quod realiter est instans, tempore non existente, nec potest realiter esse idem cum eo quod est subiectum motus et temporis; sed substantia mobilis potest manere motu et tempore cessante.

Item. Sicut se habet tempus ad motum et ad mobile mediante motu, ita se habet indivisibile in tempore quod est nunc ad indivisibile ⁶ in motu quod est mutatio vel immutatum ⁷ esse in potentia. Sicut ergo tempus non est in mobili nisi mediante motu, ita etiam nunc non est in mobili nisi mediante mutato esse; et sicut tempus non est idem cum mobili, sed aliquo modo est idem cum motu, ita ⁸ etiam nunc non est idem cum mobili, sed aliquo modo est idem cum mutato esse in potentia vel cum mutatione.

Item. Cum non minus immediate insit motus et quantitas mobili quam tempus et continuum est, cuius partes ad eundem terminum copulantur, corpus autem quantitas est quid continuum non tamen ex hoc quod eius partes copulantur ad substantiam indivisibilem quae est subiectum quantitatis, sed quia ad terminum intrinsecum copulantur, et similiter est de motu. Substantia autem mobilis non se habet ad tempus etiam nisi ut subiectum mediatum, quia mediante motu et quantitate dimensiva inest tempus substantiae. Ex hoc ergo non poterit dici tempus continuum quod partes eius copulantur | ad eam nisi ut ad subiectum etiam ⁹ non proximum sed mediante dimensiva quantitate et motu, qualiter tamen ipsum nunc aliquo modo possit dici idem cum mobili, vel si aliquo modo hoc verum sit quod sit idem cum eo, ut dictum est — hoc alterius perscrutationis est.

cod. P
fol. 9 Rb

¹ om. C. — ² esse idem] idem esse PC. — ³ sicut PC. — ⁴ continuans 2^a m. C. — ⁵ ut continuatum add. 2^a m. C. — ⁶ divisibile V. — ⁷ mutatum C. — ⁸ vel C. — ⁹ et PC.

QUAESTIO VIII.

*Utrum intellectus agens sit imaginis certa pars
quae dicitur memoria.*

Deinde circa naturam humanam quaerebantur quaedam pertinentia ad omnes homines cuiuscumque status generaliter, quaedam pertinentia ad homines quorundam statuum specialiter.

Circa pertinentia ad omnes homines generaliter, quaerebantur quaedam pertinentia ad intellectum agentem, quaedam pertinentia ad intellectum possibilem, quaedam pertinentia ad ipsam voluntatem.

Circa pertinentia ad intellectum agentem quaerebantur tria. Primum erat utrum intellectus agens pertineat ad imaginem sic quod sit imaginis certa pars quae dicitur memoria. Secundum erat utrum intellectus agens habeat aliquam operationem in aperta visione essentiae divinae. Tertium erat utrum | intellectus agens efficiat aliquam dispositionem vel virtutem circa phantasma, vel circa obiectum per phantasma repraesentatum, per quam ipsum obiectum vel quod quid est rei possit movere intellectum possibilem ad actum intelligendi.

cod. V
fol. 60 V^b

Ad primum arguebatur, et ostendebatur quod intellectus agens pertineat ad imaginem et sit pars imaginis quae memoria dicitur. Nam intellectui agenti convenire videntur quae memoriae attribuuntur, quia memoriae attribuuntur ¹ species intelligibiles continere, et notitiam perfectam in actum producere. Sed sicut corpus caeleste virtute continet omnes formas materiales secundum esse materiale, ita intellectus agens virtute continet omnes species intelligibiles sive omnes formas materiales secundum esse intelligibile, et sua virtute abstractiva educit intellectum possibilem de potentia intelligendi ad actum perfectum intelligendi. Quare et cetera.

Contra. Idem non potest esse continens species intelligibiles ut subiectum, et illas causans vel producens ut principium activum. Sed memoria continet species intelligibiles ut subiectum, intellectus autem agens | illas efficit ut principium activum. Ergo et cetera.

cod. P
fol. 9 V^a

Respondeo dicendum quod, secundum Augustinum, imago attenditur

¹ attribuitur PC.

in nobis secundum mentem, quae importat portionem vel partem superiore in anima, secundum quam a brutis differimus. Et sic, si secundum mentem sumus ad imaginem Dei, omnia quae mens includit ad imaginem pertinent. Prout ergo ponitur intellectus agens ad naturam mentis vel animae rationalis pertinere, videtur etiam quod ad imaginem pertineat.

cod. C
fol. 4 Va

Si ergo per intellectum agentem intelligatur | aliqua substantia separata vel etiam ipse Deus, illustrans intellectum possibilem et ipsum, praesentibus phantasmatis, reducens de potentia in actum, tunc secundum id quod est non dicitur ad imaginem pertinere, sed solum intellectus possibilis qui fungetur vice duarum potentiarum, scilicet memoriae et intelligentiae; et voluntas erit tertia pars. Secundum Augustinum autem, ubi loquitur de lumine intellectuali in virtute cuius illustratur intellectus noster possibilis, et fit actu intelligens¹ et producens verbum, videtur huiusmodi lumen referri² ad aliquid aeternum et increatum, scilicet ad ipsam veritatem primam. Unde dicit, primo Soliloquiorum: sicut visibilis est terra non nisi luce solis illustrata, ita etiam quae in disciplinis vera esse creduntur non possent intelligi nisi quadam luce sui generis illustrarentur. Et videtur per hanc lucem intelligere veritatem increatam, ut patet per ipsum, decimo quarto de Trinitate, capitulo decimo tertio: regulae illae quibus quid sit iustum etiam iniustus agnoscit, scriptae sunt in libro lucis illius quae veritas dicitur. Unde omnis lex iusta describitur, et in cor hominis non migrando sed tanquam imprimendo transfertur, sicut imago annuli in ceram transit et anulum non derelinquit. Item dicit nono de Trinitate, capitulo decimo octavo: in illa aeterna veritate, ex qua facta sunt omnia, formam secundum quam sumus et secundum quam vel³ in nobis vel in corporalibus vera et recta ratione aliquid operamur, visu mentis aspicimus, atque inde acceptam⁴ veracem notitiam tanquam verbum apud nos habemus, et dicendo intus gignimus, nec a nobis nascendo discedit. Et secundum hoc intellectus agens ad imaginem non pertineret, nec diceretur | memoria quae est prima pars imaginis; sed ipse intellectus noster possibilis, in quantum virtute illustrationis divinae fit in actuali intellectione sui ipsius vel alicuius cuius habet notitiam⁵ habitualement, haberet rationem memoriae; et ipsemet factus in actu secundum huiusmodi actualem intellectionem diceretur intelligentia.

cod. P
fol. 9 Vb

Sed quia communiter et rationabiliter tenetur quod intellectus agens sit aliquid animae et ad ipsam mentem pertineat, videtur quod ad imaginem debeat pertinere et ad memoriam reduci; non tamen sic quod per se sit prima pars imaginis, intellectus possibilis secunda, et voluntas tertia; sed

¹ intellectus PC. — ² referri 2^a m. C. — ³ om C. — ⁴ conceptam V. — ⁵ rationem V.

in constituendo imaginem aliquo modo concluditur cum intellectu possibili.

| Cum enim imago in nobis attendatur secundum emanationem actuum intellectualium prout producitur notitia de notitia, illud idem in nobis in quo producitur notitia declarativa quae verbum dicitur debet esse in quo est notitia quae declaratur, et illud debet esse ut parens notitiae declarativae in seipso. Unde imago prout proprie potest accipi, secundum actus quibus exteriora quae non sunt in anima secundum essentiam semper praesentia cognoscuntur, non est nisi secundum quod de notitia habituali acquisita quae est subiective ¹ in intellectu possibili. Virtute intellectus agentis praesente phantasmate producitur actualis notitia eius cuius notitia habitualis habebatur in eodem intellectu possibili in quo erat notitia habitualis huiusmodi. Unde dicit Augustinus, decimo quarto de Trinitate, capitulo undecimo: multarum disciplinarum peritus ea quae novit eius memoria continentur ²; nec est inde aliquid in conspectu mentis eius nisi unde cogitat; caetera in arcana quaedam ³ notitia sunt recondita quae memoria nuncupatur. Secundum hoc ergo videtur quod intellectus possibilis, ut continet species sive habitus intelligibiles in quibus continentur virtute intelligibilia, quibus ipse intellectus fit in actu intelligendi per lumen intellectus agentis, habet rationem memoriae; et ipse idem ut informatus actualiter notitia eorum quae habitualiter sic sciebat, habet rationem intelligentiae. Sed quia memoria debet habere rationem parentis | et agentis, et intellectus possibilis existens in potentia ad actum intelligendi ea quae habitualiter scit non reducit se ipsum de potentia in actum (hoc enim repugnat omni enti); ideo ad hoc requiritur illustratio activa intellectus agentis, supposita praesentia phantasmatis ipsum intellectum possibilem et ⁴ in virtute luminis intellectus agentis moventis. Ideo oportet intellectum agentem concludi cum ipso intellectu possibili sic species continente in illa parte imaginis quae memoria dicitur; non quia intellectus possibilis, sibi sic assistente lumine ⁵ intellectus agentis, vel virtute eius reducat se de potentia in actum et sic habeat rationem parentis; sed ratio agendi magis est ipsi intellectui agenti cum phantasmate illustrato attribuenda. Et sic intellectus agens, ut coniunctus intellectui possibili continente habitus intellectuales, habet rationem memoriae quae parens dicitur; et hoc generat vel producit verbum in actu. Quoniam ⁶ praesente et disposito phantasmate sic per coniunctionem intellectus agentis cum possibili, producitur actualis notitia in ipso ⁷ intellectu possibili quae est proles, respectu dictae notitiae habitualis. Sicut enim

cod. V
fol. 61 Ra

cod. P
fol. 10 Ra

¹ subiecta 2^a m. C. — ² continentur V. — ³ quadam 2^a m. P. — ⁴ del. 2^a m. C. — ⁵ intellectus — lumine] 2^a m. C. — ⁶ qñ V. — ⁷ potentia V.

cod. C
fol. 4 Vb

cum ex notitia principiorum elicitur notitia conclusionum, et producitur sic¹ notitia actualis et formalis et declarativa ex notitia quasi habituali et virtuali, quia principia virtute et quasi habitualiter non formaliter continent conclusiones; — vel sicut ex notitia simplicis et confusae intelligentiae producitur | notitia diffinitiva completa et distincta, et se habet notitia praecedens quasi parens respectu sequentis (non sic proprie quod intellectus possibilis existens in actu cognoscendi principia, in potentia tamen quantum ad actum cognoscendi conclusionem, se ipso producat se ipsum de huiusmodi potentia ad actum; sed sic quod virtute intellectus agentis praesupposita intelligentia principiorum fit in actu intelligentiae conclusionum; non enim alio reducitur in actum secundum quam primum, sed ab eodem tamen ordine quodam et quodam alio² actu praesupposito); sic ex habituali notitia existente in intellectu possibili, per intellectum agentem praesente² phantasmate illustrato, producitur notitia declarativa quae verbum dicitur. Per dicta patet responsio ad obiecta.

QUAESTIO IX.

Utrum intellectus agens habeat operationem in aperta visione essentiae divinae.

cod. P
fol. 10 Rb

| Postea arguebatur ad secundum praedictorum, ostendendo scilicet quod intellectus agens non habeat aliquam operationem in visione qua videtur Deus aperte a beatis, quia operatio intellectus agentis videtur esse, virtute sui luminis abstrahere species universales¹ a sensibilibus et facere intelligibilia in potentia in actu intelligibilia⁴. Sed Deus non est intelligibile sic in potentia quod per abstractionem fiat intelligibile in actu. Ergo et cetera.

Cod. V
fol. 61 Vb

Contra. Praemium respondet merito. Ergo | id quod est principium merendi debet praemiari. Sed intellectus agens est principium merendi, tam secundum vitam activam quam contemplativam, quia eius virtute fiunt nobis nota tam agibilia quam speculabilia, ergo debet premiari. Hoc autem non contingeret si nullam operationem in patria haberet; quare et cetera.

¹ fit 2^a m. V. — ² suo *add.* C. — praecedente C. — ³ materiales 2^a m. C. — ⁴ i. a. i.] intelligibilia in actu P.

Respondeo dicendum quod, prout dicit Augustinus quarto decimo de Trinitate, c. quinto decimo, imago naturae eius, qua natura nulla melior est, ibi quaerenda ¹ et invenienda est in nobis, quo etiam natura nostra nihil habet melius, et, prout ibi declarat, hoc est in actibus potentiarum animae, quibus attingit ad Dei cognitionem et amorem. Unde etiam dicit ibi, quod eo ipso anima imago Dei est quod capax eius est, particepsque esse potest, scilicet per cognitionem et dilectionem. Unde summe perficitur anima et summe habet perfectionem imaginis, cum actu beatificativo Deo fruitur, ipsum aperte videndo et perfecte diligendo. Et quia tota mens est ad Dei imaginem secundum omnes eius potentias, et est in ipsa secundum actus harum potentiarum imago, licet minus perfecte secundum quod cognoscit alia a Deo, et ad illos actus aliquid omnes potentiae operantur, et, ut dictum est, intellectus agens in quantum ad actum intelligendi operatur etiam ad imaginem pertinet; — illa autem quae pertinent ad imaginem respectu actuum in quibus minus perfecte ratio imaginis invenitur videntur etiam pertinere ad ipsam respectu actuum circa Deum in quibus imago perfectius invenitur; hoc autem non esset nisi ad actus illos aliquid operarentur vel conferrent ²; — ideo videtur dicendum quod intellectus agens aliquam operationem habet vel aliquid confert ad actum visionis beatae.

Sed tamen, quantum ad actum qui est respectu cognoscibilium materialium, intellectus agens cui est lumen quoddam, suo lumine habet duplicem operationem. | Unam scilicet respectu ipsorum cognoscibilium, et aliam respectu ipsius intellectus possibilis qui reducitur in actum cognitionis illorum. Quia et phantasmata, sive res materiales ut in phantasmate repraesentantur, aliquo modo illustrat et informat ad hoc quod habeant vim movendi intellectum possibilem sic quod ipse intellectus possibilis possit ³ secundum speciem intelligibilem per illa ⁴ fieri actu intelligens ut infra videbitur. Et etiam ipsum intellectum possibilem illustrat et aliquo modo informat ad hoc quod sit susceptivus speciei intelligibilis praesentibus phantasmatis. Unde dicitur esse quidam habitus ut lux, habitus quidem in anima existens ut lumen quoddam, ipsum ad receptionem specierum intelligibilium elevans ⁵ et disponens; — sicut si diceretur de aere diaphano illuminato, quod si ipsa *diaphaneitas* ⁶ esset virtus visiva, lux ejus quae est quasi quidam habitus et forma, duplicem operationem haberet, unam respectu coloris ponendo quod color non posset facere suam speciem intentionalem in diaphano ⁷ nisi virtute praesentiae lucis, et aliam respectu ipsius

cod. P
fol. 10 Va

¹ inquirenda. — ² conferret 2^a m. C. — ³ sic C. — ⁴ potest add. 2^a m. C. — ⁵ levans C.
⁶ dyofeneitas V, dyofoneitas P, dyafoneitas C. — ⁷ dyafano V, dyaphano C.

diaphani ponendo quod non esset susceptivum talis intentionis secundum quam fieret actu videns nisi illustratum huiusmodi luce; et sicut ¹ etiam modo ponitur secundum aliquos quod oportet pupillam esse aliqua luce illustratam, non solum medium vel colorem, ad hoc quod potentia visiva fiat actu videns.

cod. C
fol. 5 Ra

Sed respectu visionis divinae essentiae non potest habere intellectus agens aliquam operationem circa ipsam essentiam divinam, quia lumen suum est quasi tenebra respectu illius ² lucis infinitae quae seipsa est actualissima et summe intellectualis. Sed circa ipsum in | tellectum possibilem qui est nuda potentia respectu cuiuscumque ³ intelligibilis et luminis intellectualis, oportet quod habeat aliquam operationem quae est ipsum suo lumine naturali dispositive illustrare et informare ut sit susceptivus cuiuscumque intelligibilis.

cod. P
fol. 10 Vb

Licet tamen illud lumen sive huiusmodi illustratio, qua intellectus possibilis lumine intellectus agentis illustratur, sufficiat ad intelligendum intelligibilia sibi proportionalia, non tamen sufficit respectu intelligibilis infiniti et super | naturalis, sed cum hoc requiritur lumen aliquod gloriae perfectius, quo elevatur, et amplius et perfectius illustratur et disponitur, ut possit praesentia intelligibilis supernaturalis perfici, et eius aperta visione informari. Et quia gratia et gloria perficit et supponit naturam, sicut anima non posset perfici beata visione immo nec | quocumque actu intelligendi nisi in ea esset intellectus possibilis, qui est potentia ejus naturalis secundum quam est capax subiective cuiuslibet intelligibilis, ita etiam, si in ea non esset intellectus agens qui est potentia ejus naturalis qua ipse possibilis illustratur et disponitur vel perficitur ad hoc quod possit fieri in actu dicto modo, non esset capax cuiuscumque actus intelligendi.

cod. V
fol. 61 Va

Sed ut dictum est, lumen intellectus agentis sufficienter elevat et perficit intellectum possibilem ut praesente objecto sibi proportionato fiat in actu secundum illud, sed non sufficit respectu primi intelligibilis quantum ad immediatam visionem; sed ultra lumen connaturale intellectus agentis, requiritur lumen supernaturale scilicet lumen gloriae, elevans et illustrans intellectum possibilem sic quod idoneitas quaedam in ipso fit per hoc ⁴ ad hoc ut fiat in actu visionis huiusmodi ⁵ immediatae. Huiusmodi enim lumen gloriae non habet secundam actionem respectu obiecti, scilicet respectu Dei, quae attribuitur lumini intellectus agentis respectu obiectorum materialium. Et per hoc patet responsio ad obiecta.

¹ sic C. — ² ipsius PC. — ³ cuiuslibet C. — ⁴ in — hoc] per hoc fit in ipso V. — ⁵ visionis huiusmodi] huius visionis PC.

QUAESTIO X.

*Utrum intellectus agens efficit aliquam dispositionem
circa phantasma.*

Consequenter ad tertium praedictorum arguebatur quod intellectus agens aliquid facit circa rem sive circa phantasma quod est repraesentativum rei intelligibilis, quia, secundum Commentatorem, intellectus facit universalitatem in rebus. Et hoc arguitur ratione : cum aliquid est agens vel movens in potentia, si fiat agens vel movens in actu, oportet quod ipsum aliquo modo transmutetur, et quod circa ipsum fiat aliquid quod de se non habet ; ergo cum res quae erat intelligibilis in potentia fiat intelligibilis et movens intellectum possibilem in actu, et hoc virtute intellectus agentis, oportet quod circa ipsam aliquid fiat ab intellectu agente.

Contra. Secundum Commentatorem tertio de Anima, aliquo modo se habet intellectus agens ad possibilem sicut artifex ad naturam, et ad intellectum in actu sicut artificium ¹ ad artem. Ergo, ut videtur, circa id quod est extra ipsum, scilicet circa rem vel phantasma, nihil facit : sed circa intellectum ipsum ² possibilem.

cod. P
fol. 11 Ra

Respondeo dicendum quod, cum intellectus noster de potentia reducatur in actum, et aliquando sit intelligens in actu, aliquando intelligens in potentia, et nihil reducit seipsum de potentia in actum, oportet ponere aliquod ³ agens, virtute cuius sive quo movente reducatur de potentia in actum. Ideo cum intellectus existens in actu intelligendi dicat quoddam compositum, ad constitutionem ipsius compositi requiritur agens et patiens. Prout enim dicit Commentator, tertio de Anima ⁴, quemadmodum enim in generatione rerum naturalium generabilium et corruptibilium necesse est esse tria ex natura illius generis, agens scilicet, patiens, et factum, ita debet esse in intellectu, et sic intellectus agens videtur dici agens respectu possibilem. Sed cum semper sit naturaliter coniunctus ipsi intellectui possibili, non videtur quod aliquam novam actionem faciat in ipsum, nisi vel prius in ipso intellectu agente sit aliquid de novo factum, ratione cuius potest agere

¹ ad naturam — artificium] bis P. — ² intellectum ipsum] ipsum intellectum PC. —
³ aliquid C. — ⁴ quod add. P.

in possibilem cum prius hoc non posset, vel nisi ipse intellectus agens de novo aliquid faciat circa phantasma vel obiectum quod prius non faciebat, ratione cuius phantasma vel obiectum potest movere et immutare intellectum possibilem ad actum intelligendi quod prius facere non valebat. Primum est irrationale ¹, nam si hoc contingeret, iam intellectus agens possibilis et passibilis diceretur, quod est falsum. Ergo relinquitur secundum. Sed tamen, nec hic modus quo per intellectum agentem reducatur intellectus possibilis ad actum intelligendi sic quod, praesente phantasmate, aliquid fiat per intellectum agentem circa ipsum, quod prius non fiebat, est bene manifestum.

Sed cum agens et patiens per se ad invicem referuntur ², et intellectus agens dicitur agens respectu intellectus qui possibilis dicitur, videtur quod actio intellectus agentis per se sit in ipsum intellectum possibilem, non in phantasmata, quia respectu illorum per se et immediate non videtur dici agens, licet sua actio in intellectu possibili non sit sine ³ illis vel illorum praesentia, et licet etiam actio sua aliquo modo terminetur ad illa vel suscipiatur ab illis. Quod enim intellectus ⁴ agens primo et immediate agat aliquid sive aliquam dispositionem vel virtutem circa phantasmata ipsa, qua phantasmata quae prius erant ⁵ potentia intelligibilia fiant actu intelligibilia sive in actu moventia intellectum possibilem, non videtur. Nam quicquid fieri posset in phantasmatibus quae sunt in phantasia esset aliquid in phantasia organica et haberet esse signatum sicut ipsa phantasmata, et per huiusmodi dispositionem non possent fieri phantasmata intelligibilia. Quicquid enim est circa singulare, et singularem modum essendi habens, est etiam singulare singularem modum habens; cum tali autem dispositione intelligibile in potentia sicut est phantasma non potest movere intellectum vel actu intelligibile fieri.

Item cum universaliter agens sit praestantius patiente, secundum Augustinum duodecimo super Genesim, ipsum autem phantasma vel obiectum materiale sub quacumque dispositione existente in ipso, ut existit in phantasmate, vel singulariter, non potest esse praestantius intellectu possibili, ideo videtur quod intellectus agens aliquid non possit agere circa phantasma quo possit fieri actu intelligibile et movens intellectum.

Et secundum hoc ad videndum quid ³ intellectus agens faciat ⁴ circa phantasmata, quia ipsa ⁵ spiritualia secundum se intelligere non possimus, declaratur hoc nobis per quasdam similitudines et metaphoras, et dicitur quod intellectus agens est quasi lumen intellectuale se habens ad intel-

cod. C
fol. 5 R^b

cod. P
fol. 11 R^b

cod. V
fol. 61 V^b

¹ irrationabile V. — ² referantur PC. — ³ quod P. — ⁴ facit PC. — ⁵ ista PC.

lectum possibilem et ad phantasma sive ad obiectum repraesentatum in phantasmate, sicut lux sensibilis ad medium et organum et ad colorem; ut sicut organum visus vel medium diaphanum non posset recipere speciem coloris nisi virtute luminis ipsum illustrantis, nec color posset sua specie immutare vel movere hoc sine ipsa luce, ita potest in proposito adaptari.

Sed adhuc non quiescit intellectus, quia in luce sensibili videtur dicendum quod, quia per ipsam habet medium aliquam dispositionem quam prius non habebat, est receptivum speciei quam prius recipere non poterat, et ¹ etiam si color, quantum est de se, illam agere posset. Si autem sicut medium non potest huiusmodi ² speciem ex se recipere nisi lumine informatum, sic etiam color illum agere non potest de se, tunc videtur quod sicut | medium quod speciem coloris recipere non poterit aliquam dispositionem recipit a luce, ita aliquam dispositionem recipiet color ad hoc quod possit suam speciem efficere in medio. Ergo similiter in proposito remanet quaerendum. Cum phantasma secundum se non possit movere intellectum possibilem nisi illustratum lumine intellectus agentis, videtur quod illustratio intellectus agentis aliquam dispositionem efficiat circa ipsum phantasma, quia idem manens idem natum est facere idem. Ergo si praesente illustratione intellectus agentis, phantasma sive id quod in phantasmate repraesentatur fit ³ intelligibile actu et movens intellectum possibilem actu, videtur aliquid esse factum in ipso quod prius non erat; et tunc redit difficultas supra inducta: quia omnis dispositio possibilis esse in phantasmate vel in phantastico est singulare et modum singularis habens, cum tali autem dispositione non potest phantasma movere intellectum, ideo videtur dicendum quod huiusmodi actio vel operatio intellectus agentis non est positiva sic quod faciat aliquam dispositionem positivam et formalem subiective in phantasmate; sed est huiusmodi operatio vel actio per modum cuiusdam remotionis et abstractionis vel sequestrationis unius ab altero, non quidem secundum rem, sed secundum immutandi rationem.

Sicut enim si poneretur quod, cum albedo et dulcedo lactis simul sunt quod lac, per seipsum absque praesentia luminis non posset se facere in medio secundum speciem coloris vel albi quin faceret se secundum speciem dulcis, sed lumine praesente facere posset se secundum speciem albi absque specie dulcis, et sic diceretur fieri abstractio albi a dulci ⁴ non secundum rationem essendi sed secundum rationem immutandi; ita etiam cum in obiecto sensibili et singulari quod est aliqua substantia materialis puta hic lapis, apprehenso per speciem phantasmatis singulariter, aliud sit

cod. P
fol. 11 Va

¹ om. P et del. C. — ² om. C. — ³ sit V. — ⁴ dulcedine C. dulci corr. 2a m. C. colore PV.

cod. V
fol. 62 Ra
cod. P
fol. 11 Vb
cod. C
fol. 5 Va
 secundum rem ipsa quidditas, et aliud est designatio per accidentales dispositiones individuantes; nam illud | quod est in hoc lapide ad naturam suam substantialem pertinens etsi sit particulatum et individuatum, tamen ipsum quod est sic designatum et individuatum ¹ secundum se est quid non individuatum et indesignatum. Et si secundum se, praeter huiusmodi individuancia, existeret id ipsum quod sic est ² individuatum, videretur esse quoddam intelligibile per se; nec ad hoc quod intelligeretur videretur esse aliqua abstractio vel sequestratio necessaria. Ergo ipsam sic existentem particulatam impedit intelligi hoc solum, quod sic existit et sic in phantasmate repraesentatur. Sicut ergo qui ipsam realiter ab huiusmodi conditionibus separaret, sive qui illa realiter | excluderet et amoveret, potentia intelligibile faceret actu intelligibile, absque hoc quod aliquam dispositionem formalem in ipsa quidditate substantiali efficeret ³, sed prohibens quodam modo removeret; ita etiam separans ipsam sic secundum considerationem, sive faciens quod id quod est in hoc lapide suae quidditatis substantialis absque conditionibus praedictis immutet aliquam potentiam, facit ipsam de potentia intelligibili actu intelligibilem. Hoc autem fit quodam contactu spiritali et virtuali luminis intellectus agentis, nam supponendum est quod haec est natura intellectus agentis quod sua applicatione ad objectum singulare vel phantasma quodam modo contingat illud sua virtute solum quantum ad id quod pertinet dicto modo ad eius quidditatem substantialem; et hoc est in natura talis obiecti singularis, scilicet quod sit praecise tactum sive quod virtute intellectus agentis suo lumine ipsum contingentis, secundum illud praecise scilicet secundum huiusmodi suam quidditatem, sic possit movere ipsum intellectum possibilem. Et ista videntur concordare his quae communiter dicuntur et his quae dixit Commentator in hac materia, tertio de Anima, dicens quod intentiones imaginatae non sunt ⁴ solae moventes intellectum possibilem extrahentes eum de potentia in actum. Ita enim non esset differentia inter universale et individuum, et intellectus esset de genere virtutis imaginativae. Unde cum hoc quod intentiones imaginatae se habent ad intellectum possibilem sicut sensibilia ad sensum, oportet ponere alium motorem qui facit eas in actu movere intellectum possibilem, et hoc nihil aliud est quam facere eas intellectivas in actu, abstrahendo eas a materia. Et ita quemadmodum visus non movetur a coloribus nisi quando fuerint in actu, quod non completur nisi lumine praesente cum ipsum sit ⁵ extrahens

¹ tamen — individuatum] *om.* P; tamen etiam id ipsum — individuatum C. *In aliis codicibus legitur* tamen etiam ad ipsum, *verbi gratia* *cod. Paris. Bibl. nat.* 11694. — ² *om.* C. — ³ substantiali efficeret] efficeret substantiali C. — ⁴ *om.* C. — ⁵ ipsum sit *om.* C.

eos de potentia in actum, ita intentiones imaginatae non movent | intellectum materiale nisi quando fuerint intellecta¹ in actu, quod non perficitur in eis nisi aliquo praesente quod sit intellectus in actu. Abstrahere enim intellecta nihil aliud est quam facere intentiones imaginatas in actu postquam erant in potentia: intelligere enim nihil aliud est quam recipere huiusmodi² intentiones. Cum enim invenimus idem transferri in suo esse de ordine in ordinem, scilicet intentiones imaginatas, dicimus quod necesse est ut hoc sit a causa agente et recipiente; recipiens ergo est materialis, et agens est efficiens.

cod. P
fol. 12 Ra

Et secundum ista multa verificari possunt³ communia dicta. Sic enim verum est quod intellectus facit universalitatem in rebus, non quidem quod per eius actionem contingat quod res secundum id quod sunt in seipsis sint universales, sed sic quod eius actione vel virtute fit quod quidditas rei, quae singulariter existit, per hoc quod per lumen intellectus agentis attingitur secundum id quod est quidditas essentialis praeter designantia accidentia, ab intellectu possibili sic apprehendatur. Illud enim quod sic ab intellectu agente attingitur et intellectui possibili obicitur, quamvis in esse quod habet cum determinatis conditionibus individuans ipsum, sit solius Sortis determinate, secundum id tamen secundum quod attingitur sive id quod solum⁴ attingitur sic non plus est determinatum ad Sortem quam ad Platonem. Sicut⁵ enim materia Sortis ut secundum se absque omni forma determinata considerata non plus est Sortis quam Platonis vel cuiuscumque alterius, et sic in omnibus quadam unitate est una natura; ita etiam forma Sortis sive ipsa humanitas Sortis, ut praeter omnes condiciones praedictas considerata, non plus est Sortis quam alterius, | sed est id quod est aliquid secundum se in tali specie vel natura; et sic quadam unitate est una humanitas in omnibus quia non importat in se unde in diversis distinguatur. Unde Avicenna, quinto Metaphysicae: humanitas quae est in Platone, ex eo quod humanitas, non est alia ab ea quae est in Socrate. Non est tamen concedendum quod haec et illa sunt una numero. Hoc tamen, scilicet ut absque diversitate numerali ipsa quidditas secundum se absolute comprehendatur, fit contactu luminis intellectus agentis praeter condiciones individuantes ipsam quidditatem in se attingentis, ut dictum est | ut sic ipsum universale secundum formalem rationem sit in intellectu subiective, quia ipse conceptus intellectus est universalis et abstractus, quia nec est in subiecto designato nec est etiam obiecti quantum ad huiusmodi condiciones

cod. V
fol. 62 Rb

cod. P
fol. 12 Rb

¹ intellectae corr. 2^a m. P. — ² om. C. — ³ multa — possunt] verificari possunt multa P. — ⁴ om. P. — ⁵ sic C.

cod. C
fol. 5 V^b

designantes. Non sic autem universale est secundum formalem rationem in re extra, quia nulla res materialis existit extra in rerum natura nisi singulariter sit, scilicet per conditiones individuantes designata; sed materialiter est universale in rebus quia in singulari est res quidditativa aliud essentialiter a conditionibus individuantibus cui intellectus agens non dat esse separatum et abstractum ab illis secundum rem. Et ideo rei extra non dat universalitatem realem et formalem, sed hoc dat ei quod quia attingitur dicto modo secundum hunc modum quo sic attingitur fit obiectum intellectus abstracti et causat abstractum conceptum qui est universale formaliter. Et hoc est quod dicitur quod licet res existant singulariter, tamen universaliter intelliguntur. Unde dicit Commentator ubi supra, universalia nullum habent esse extra animam. Quod intendit Plato, quoniam si ita esset non oporteret ponere intellectum agentem et etiam quae dicuntur de intellectu agente verificantur secundum hunc modum ponendi, scilicet quod se habet ad intellectum possibilem sicut ars ad materiam et ad intellectum in actu sicut artificium ad artificiatum et huiusmodi. Et non dicitur quod se habeat ad phantasmata sicut ars, quia proprie loquendo actione intellectus agentis non fit aliqua dispositio formalis in ipsis phantasmatibus quasi in materia sed solum fit ¹ dicta sequestratio vel arbitratio vel remotio prohibentium et huiusmodi, quo facto virtute ipsius ² intellectus agentis et in eius lumine fit informatio intellectus possibilem ab ipsa intellectione talis cognoscibilis sive a specie intelligibili quae aliquo modo in lumine intellectus agentis continetur virtualiter. Per hoc patet responsio ad obiecta.

QUAESTIO XI.

*Utrum intellectus humanus ex naturalibus possit cognoscere
Deum esse principium effectivum creaturarum.*

Deinde circa intellectum possibilem quaerebatur unum pertinens ad eius actum vel operationem, scilicet utrum intellectus humanus ex naturalibus, scilicet absque fide, possit cognoscere vel intelligere Deum esse principium effectivum vel productivum creaturarum. Et arguebatur quod

¹ sic C. — ² om. C.

non, quia suppositi est agere vel producere; ergo | qui non potest intel-
ligere Deum sub ratione suppositi, non potest Deum intelligere ¹ sub ratione
principii productivi. Sed intellectus humanus non potest Deum intelligere ²
sub ratione suppositi sine fide, nam aut intelligit Deum sub ratione absoluti
suppositi aut ³ relativi; non sub ratione absoluti, quia non intelligitur nisi
ens et verum, tale autem suppositum non est in divinis; nec sub ratione
relativi, quia cognosceret distinctionem et trinitatem personarum, quod non
potest intellectus sine fide.

cod. P
fol. 12 Va

Contra. Philosophus in pluribus locis probat Deum esse principium
creativum omnium rerum, ergo hoc intellexit.

Respondeo dicendum quod, cum ad hoc quod aliquid agat vel producat
aliquid, sufficiat quod sit ens non alii inhaerens, nec ratio agendi alicui per
se enti et subsistenti, sed sit ens secundum se et existens et subsistens,
et sit habens rationem suppositi in genere substantiae, ita quod sit etiam
ens in actu tale quale est aliud in potentia; — qui Deum intelligit ut ens
subsistens, non alii inhaerens, et sic ut habet rationem suppositi, et ut ens
in actu tale quale est quodcumque ens quantum est de se solum in potentia,
(etiam large appellando esse in potentia id quod importat quamcumque rem
praedicamentalem quae contradictionem non implicat), intelligit ipsum ⁴
vere ut principium causativum vel productivum omnium.

Ex creaturis autem hoc potest intelligi de Deo, scilicet quod oportet
ponere aliquod ⁵ ens primum a nullo dependens, sed a quo omnia dependent
et sic ut in se subsistens et ut habens rationem alicuius suppositi | et ideo
poterit Deus ex naturalibus intelligi esse principium causativum vel produc-
tivum rerum omnium.

cod. V
fol. 62 Va

Sed quia, ut tangitur in argumento, in divinis non est suppositum nisi
relativum, praedicto autem modo non poterit Deus intelligi sub ratione
suppositi relativi, quia per creaturas ex naturalibus absque lumine fidei
non potest intellectus in notitiam trinitatis sufficienter pervenire, quaerit
quaestio sub qua ratione suppositi Deus intelligitur ex puris naturalibus.

Et est dicendum quod non sub ratione suppositi relativi, sed aliquo
modo in generali sub ratione suppositi absolute et indefinite ⁶ (intelligendo
id scilicet quod non est secundum rem nisi suppositum relativum ⁷, absolute
et in definite) ⁸, id est non determinate ut subsistens ad se solum, nec deter-
minate ut subsistens | ad alium, sed in generali. Intelligere enim aliquid
sub ratione suppositi absoluti potest intelligi dupliciter, vel ut ratio absoluti

cod. P
fol. 12 Vb

¹ Deum intelligere] intelligere Deum C. — ² Deum intelligere] intelligere Deum C et P.
³ autem P. — ⁴ ipsam PV. — ⁵ aliquid C. — ⁶ indeficiente *1^a m.* PCV; indefinite *corr.*
2^a m.; indeterminate G. — ⁷ non *add.* C. — ⁸ intelligendo — indefinite] *om.* P.

cod. C
fol. 6 R^a

ponatur ex parte rei intellectae, vel modi intelligendi. Primo modo ¹ non potest intelligi Deus sub ratione suppositi absoluti, quia non intelligitur recto intellectu nisi verum. Impossibile autem est in Deo esse suppositum absolutum, et ideo impossibile est hoc intelligere vel apprehendere vero intellectu, scilicet quod Deus in se subsistat secundum rationem absolutam et non secundum rationem proprietatis relativae. In divinis enim non est aliquid absolutum nisi essentia et essentialia, et ideo nihil potest intelligi secundum rationem absolutam isto modo nisi essentia ² et essentialia ³; suppositum enim absolutum vel est communicabile, sicut in creaturis ubi intelligitur natura in abstracto, non secundum abstractionem naturae a supposito nec formae a materia, sed secundum abstractionem universalis a suppositis singularibus; et illud dicitur suppositum universale vel indefinitum, ut homo respectu huius et illius hominis, quod quidem non dicit aliquam unitatem realem in diversis sed solum secundum conceptum et secundum rationem. Et tale non est in divinis ubi non est universale nec particulare proprie, quia non est ibi natura una secundum rationem multiplicabilis in diversis secundum rem, vel est incommunicabile sicut ponunt Philosophi in substantiis separatis in quibus non est natura specifica aliquo modo multiplicabilis vel communicabilis secundum eos; et illud est suppositum singulare absolutum. Sed quia in divinis est una essentia vel natura, non quidem omnino incommunicabilis, ideo non potest ibi esse suppositum singulare quasi unicum et solitarium, quod necessario esset absolutum et esset sic singulare, quod et ⁴ incommunicabile, communem naturam unam secundum rem cum alio non participans. Sed quia essentia divina est communicabilis sed non multiplicabilis secundum plura supposita, ideo licet ibi non sit suppositum singulare ut dividitur contra universale, tamen est ibi suppositum singulare ut distinguitur contra communicabile. Sed illud suppositum singulare non potest esse absolutum, quia tale solum est ubi est natura realiter multiplicabilis in diversis ubi unumquodque est id quod est ad se et secundum se distinctum in natura sua, et cum alio non communicat nisi secundum rationem intellectus abstrahentis.

cod. P
fol. 13 R^a

Item si in divinis esset suppositum absolutum, impossibile esset ibi esse aliquod suppositum ⁵ relativum, quia impossibile esset ⁶ ibi esse plura supposita realiter distincta. Impossibile autem est esse unum solum suppositum relativum, quia omne relativum exigit et ponit suum correlativum. Antecedens patet, quia illud suppositum aut esset unum solum secun-

¹ om. C. — ² esse C. — ³ et ideo — essentialia] om. P. — ⁴ etiam corr. 2^a m. C. — ⁵ om. C. — ⁶ om. C.

dum rationem et considerationem sed secundum realem existentiam multiplicatum et communicatum, et huiusmodi¹ est suppositum termini universalis in concretionem significatum, ut homo vel asinus, — hoc autem non potest reperiri in divinis; — aut esset unum secundum realem existentiam sicut et secundum rationis considerationem, sed tale nullo modo est communicabile, quia sicut essentia non potest pluribus essentiis communicari aliquo modo nisi ipsa realiter plurificetur, etsi secundum rationem sit una sicut patet in universalibus ut animalitas quae non communicatur nisi secundum sui realem divisionem, ita etiam suppositum nullo modo potest communicari pluribus suppositis nisi ipsum realiter plurificetur. Sicut ergo impossibile est patrem et filium communicare in eadem essentia indistincta, et ipsos importare distinctionem realem in essentia, ita impossibile est eos communicare idem suppositum, et ipsos importare distinctionem realem in supposito. Si ergo possetur suppositum absolutum in divinis non esset ibi nisi unum solum suppositum solis nominibus et relationibus secundum rationem plurificatum, prout Sabellius fingebat.

cod. V
fol. 62 V^b

Hoc etiam patet ex ratione actionum divinarum, quia cum suppositi sit agere, sicut actiones essentialis sunt suppositi, ita et personales sive notionales. Unde illius eiusdem cuius est generare est etiam intelligere et e converso ejus cuius est intelligere est generare vel spirare, et non est alicuius in divinis intelligere cuius non sit aliqua actio notionalis nisi sit tertia persona². Ergo illud suppositum absolutum sicut intelligeret ita etiam generaret vel spiraret; sed generans dicitur relative ad genitum, ergo esset suppositum relativum quod est contra positum. Sicut ergo essentiae in divinis non competit generare ita nec alicui supposito absoluto, et sicut ei non convenit generare ita nec creare vel intelligere quia illius eiusdem est actio essentialis cujus est actio notionalis et e converso, excepta persona Spiritus Sancti cui non competit aliqua operatio notionalis active. Non ergo in divinis potest intelligi suppositum secundum rationem absoluti ex parte rei.

cod. P
fol. 13 R^b

Sed si ratio absoluti referatur ad modum intelligendi nostrum, sic aliquo modo potest dici quod Deus intelligatur sub ratione suppositi absoluti; intelligendo, ut dictum est, illud quod non est secundum rem nisi suppositum relativum, absolute et indefinite, id est non determinate ut subsistens ad se solum, nec determinate ut subsistens ad alium, sed in generali sub ratione in se subsistentis, absque hoc quod intelligatur proprietas relativa vel habitudo eius ad aliud vel ad alium; et hoc modo recti

cod. C
fol. 6 R^b

¹ om. C. -- ² Spiritus Sancti *add. marg. 2^a m. P.*

philosophi Deum simpliciter et absolute subsistentem intellexerunt, absque hoc quod determinate intelligerent ipsum sub ratione subsistentis ad se sic quod non ad aliud. Sic etiam fideles qui non semper actu intelligunt distinctionem personarum cogitando de Deo et loquendo de ipso sub hoc nomine concreto Deus intelligunt ipsum sub ratione suppositi absoluti. Cum enim aliquis dicit : Deus creavit mundum vel huiusmodi ¹, non statim in actu apprehendit per hoc quod Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus creavit mundum ; sed Deus, id est ens primum et quo nihil maius excogitari potest, in se subsistens absque determinatione modi subsistendi vel solum ad se vel ad alium, creavit mundum.

Fideles etiam ulterius qui credunt et supponunt Trinitatem personarum in divinis, hoc nomine Deus bene possunt intelligere suppositum absolutum dicto modo secundum rationem intelligendi, sed non proprie indefinitum, quia non proprie universale, sed indefinite id est indefinitum ² secundum modum intelligendi ; quia per hoc nomen Deus intelligunt Deum Patrem vel Deum Filium vel Deum Spiritum Sanctum sive Deum qui est Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Cum autem intelligitur Deus qui est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, simul ut unitatem indivisibilem intelligamus ex parte eius quod Dei nomine importatur, et per Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, spiritualia specialia relativa intelligimus perfectius. Sed qui primo intelligeret Deum sub ratione suppositi secundum rationem intelligendi, post hoc determinando istum ³ modum ex parte rei et secundum rationem essendi determinatam, ut scilicet per hoc nomen Deus intelligeret naturam summam subsistentem | in se et ad se, nullo modo ad alium, talis intellectus esset falsus et erroneus. Nec ad hunc intellectum debent philosophi descendere, sed debent in illa ratione generali stare, nisi velint errare, sicut erravit Commentator, sic suppositum aestimans in divinis et Trinitatem personarum excludens, ut patet duodecimo Metaphysicae. Per hoc patet responsio ad obiecta.

cod. P
fol. 13 Va

¹ om. C. — ² infinitum *ta m.* V. — ³ relata PC. — ⁴ illum PC.

QUAESTIO XII.

*Utrum ratione manente erronea per actus appetitus
posset homo fieri virtuosus.*

Deinde circa voluntatem quaerebantur quaedam pertinentia ad ipsam in comparatione ad intellectum, quaedam pertinentia ad ipsam in comparatione ad exteriorem actum.

Circa voluntatem in comparatione ad intellectum, quaerebatur unum pertinens ad modum acquirendi virtutes morales opere ipsius voluntatis, scilicet utrum ratione manente erronea, per actus appetitus posset homo fieri virtuosus. Et ostendebatur quod sic, quia quando aliqua sic se habent quod unum est in potestate nostra et aliud non est in potestate nostra, possimus habere illud quod est in potestate nostra, absque | hoc quod habeamus illud quod non est in potestate nostra. Sed in potestate nostra est fieri bonos vel malos, ut ostendit Philosophus tertio Ethicorum; sed non est in potestate nostra recte iudicare vel errare secundum rationem, prout dicit Theophrastus secundo de anima: in nobis est quando volumus, phantasiam immittere; sicut enim in pictoribus est quae volunt pingere ita et animae; opinari autem quaecumque volumus non est ¹ in nobis, sed quodcumque id quod evidens est coegerit; non enim possibile est aliquid ² apparens falsum non renuere; sed quod duo et tria sunt quinque necessarium est consentire, sive velimus sive nolumus.

cod. V
fol. 63 Ra

Contra. Non possumus fieri virtuosus, nisi ex actibus secundum rectam rationem regulatis. Unde, secundum Philosophum secundo Ethicorum, non solum operationes sequentes habitum sed etiam habitum praecedentes quae sunt generativae virtutis, oportet esse recta ratione informatas; sed ratione manente erronea, actus appetitus non possunt recta ratione informari. Ergo nec potest quis per eos virtuosus effici.

Respondeo. Ad evidentiam quaestionis est intelligendum, quod cum habens erroneam rationem et existens vitiosus moraliter sit in peccato mortali, supponendum est quod nullo modo talis poterit resurgere nec effici virtuosus | simpliciter et perfecte, sine gratia Dei operante et coope-

cod. P
fol. 13 Vb

¹ om. V. — ² ad PV.

rante. Et ideo supposita generali influentia Dei qua, quantum est ex parte sua, paratus est influere et influit adiutorium gratiae, si ex parte nostra obicem non ponamus, sed id quod ad nos pertinet facientes, nos humiliter disponamus; — est intelligenda quaestio quomodo ex parte hominis potest fieri quod ad virtuosum statum revertatur, ipso ut positum est existente in errore rationis, non quidem sic quod error rationis remaneat simul cum habitu virtuoso, sed quomodo ¹ ipso existente in tali errore poterit procedere ad acquirendum habitum virtuosum, per cuius acquisitionem ut videbitur oportet ² errorem destrui.

cod. C
fol. 6 Va

Et est dicendum quod ³ quaestio videtur quaerere de modo acquirendi virtutes | morales, quia argumenta procedunt de virtute quae ex assuefactione operum acquiritur. Est tamen considerandum quod, cum virtutes intellectuales consistant essentialiter in rectitudine rationis, morales autem essentialiter consistant in rectitudine appetitus participantis ratione, sive rectitudine rationis qua actus ipsius appetitus per eorum conformitatem ad ipsam rectificantur, impossibile est habere virtutem sive intellectualem sive moralem, ratione erronea existente. Sed quia non virtuosus potest fieri virtuosus nisi sit omnino orbatas, ut alibi est declaratum, quaerit quaestio de modo quo aliquis habens rationem erroneam potest fieri virtuosus.

cod. P
fol. 14 Ra

Et est ratio dubitationis quia, cum non possit virtus acquiri nisi ex actibus rationis rectis et virtuosis, licet non virtuoso modo factis, et a ratione existente erronea non procedunt nisi actus erronei, videtur quod illa existente, non solum non poterit existere virtus, sed etiam nec fieri poterit vel causari ⁴; et consimiliter potest argui e contrario de ratione recta, quod illa manente, non poterit quis nec fieri nec esse vitiosus, nec prudens poterit peccare. Et est intelligendum quod ratione existente erronea aliter fit quis virtuosus virtute intellectuali et praecipue speculativa; et aliter morali et etiam virtute intellectuali connexa moralibus virtutibus. Nam cum dispositio cog | noscentis secundum appetitum per se nihil faciat ad sic vel aliter videri ⁵ quantum ad speculabilia quae movent intellectum secundum ⁶ se et non secundum conformitatem eorum realem ad intelligentem, — idem enim iudicium habet intemperatus de hoc quod est triangulum habere tres angulos ⁷ et temperatus, nonobstante diversitatem eorum secundum appetitum, — ideo non oportet ad acquirendum virtutem intellectualem per se fieri aliquam dispositionem in appetitu sive in cognoscente, sed solum per accidens ad removendum impedimentum considerationis.

¹ quod 2a m. C. — ² huiusmodi add. P. — ³ licet add. 2a m. P. — ⁴ creari PC. — ⁵ nec fieri add. P. — ⁶ om. C. — ⁷ 2a m. P. — ⁸ angulos aequales duobus rectis man. rec. P.

Si ergo aliquis habeat opinionem circa hoc quod est caelum esse corruptibile per naturam, eo quod in caelo est materia, et materia est principium corruptionis et caetera, talis existens in tali errore potest fieri, sive procedere ad hoc quod fiat virtuosus secundum intellectum circa caeli incorruptibilitatem, et est in eius potestate quod hoc fiat, non solum ab alio addiscendo, sed etiam per seipsum inveniando, quia in potestate nostra ratione liberae voluntatis sunt actus omnium aliarum potentiarum, et ipsae potentiae quantum ad exercitium | suorum actuum, licet non quantum ad determinationem eorum; nonobstante ergo quod talis habet opinionem erroneam circa incorruptibilitatem caeli, nec sit in potestate sua quin considerando de caeli incorruptibilitate vel corruptibilitate, tali dispositione stante in ipso secundum modum recurrenti ad phantasmata quaedam modo quodam determinato iudicet ipsum esse corruptibile, tamen in potestate sua est considerare de caeli corruptibilitate vel non considerare ¹, et considerando de ipsa caeli corruptibilitate potest se circa diversa secundum diversitatem phantasmatum propter huiusmodi considerationem convertere. Sed cum virtutes intellectuales, ut manifestum est in scientia quae est habitus conclusionum specialium, non acquirantur ex eisdem actibus iteratis, sed ex diversis adinvicem ordinatis, secundum quod etiam quod diversimode occurrunt ² secundum diversum ordinem phantasmatum, — ex hoc enim quod aliquis frequenter intelligeret circa incorruptibilitatem caeli, ipsum scilicet esse incorruptibile, numquam adgeneraretur habitus quo sciret hanc conclusionem, sed ex hoc quod ex aliquibus prius notis fieret dedu | ctio et applicatio ad hoc quod est caelum esse incorruptibile, — ille qui prius neutro modo vel erronee circa hoc opinabatur, licet frequenter circa hoc cogitaverit, acquireret ³ habitum scientiae quo certitudinaliter sciret caelum esse incorruptibile, ordinate procedendo a principiis ad talem conclusionem, et sic quia corruptibilitas caeli non est principium et naturaliter cognoscibile, sed ex aliis praecedentibus, debet accipi certitudo de hoc, et in potestate sic opinantis, etiam cum sic errat in opinando, est quod consideret circa ea ex quibus hoc habet sciri. Si autem sic ordinate consideret, tandem deveniet ad notitiam certam causae proximae incorruptibilitatis caeli, ex qua eliciet de necessitate oppositum eius quod usque tunc opinabatur ⁴, sic corrumpetur habitus vitiosus et generabitur ⁵ virtuosus. Cum enim principia speculabilium omnino prima sint nobis naturaliter innata (aut esset processus in infinitum), et sunt sufficientia ad hoc quod ex

cod. V
fol. 63 R^b

cod. P
fol. 14 R^b

¹ et considerare de alio vel non considerare *add.* VC. — ² concurrunt C. — ³ acquirat C. — ⁴ et *add.* C. — ⁵ generaliter P. *ita m.* C.

cod. C
fol. 6 V^b

collatione istorum et applicatione ad posteriora ordine convenienti etiam fiat scientia conclusionum posteriorum. Inest | etiam nobis naturale desiderium non solum ad cognitionem principiorum primorum sed etiam illis ¹ cognitis ad sciendum conclusiones. Nam cum in principiis sciantur conclusiones in universali et in potentia, quod est imperfecte scire, unumquodque ² autem naturaliter inclinatur in suam perfectionem et illam naturaliter appetit, ideo cum in scire non solum ³ imperfecte sed magis perfecte consistat ⁴ hominis perfectio, sicut unumquodque ens appetit naturaliter suam perfectionem et suam propriam operationem, ita etiam homo scire naturaliter appetit et sic cum notitia talium principiorum unicuique statim insit, et potestas ex illis procedendi ordinate ad posteriora secundum formationem phantasmatum convenientium quod est in potestate nostra, et ad hoc etiam naturaliter inclinamur et procedimus nisi impedimentum interveniat, et multa possunt intervenire impedimenta voluntaria, quae scilicet etiam sunt in nostra potestate; ideo in potestate uniuscuiusque est ut de non sciente fiat sciens, et etiam de errore ad virtutem reducatur, nisi superveniat impedimentum omnino | involuntarium, scilicet laesio organi phantasiae vel cogitativae, vel aliquid huiusmodi. Sic ergo quia actu iudicare caelum esse incorruptibile ex aliqua ratione defectiva apparenti non contradicit actualiter et formaliter aliquibus principiis praecedentibus ex quibus contrarium elici potest, et in quibus huiusmodi ⁵ contrarium virtualiter continetur, ratio in tali errore existens potest actualiter talia principia cognoscere et eis assentire, et tandem ex eis sufficienter explicatis veritatem contrariam elicere; simul enim cum hoc quod est opinari caelum esse corruptibile quia habet materiam ⁷ potest secundum actum considerari circa naturam materiae quid sit, quia scilicet est ens ⁸ quo aliquid est in potentia ad actum, et deinde quod duplex est actus scilicet substantialis et accidentalis, et secundum hoc ⁹ duplex natura potentiae sive materiae et sic de aliis; deinde tandem deveniet ad hoc quod in caelo non est materia quae secundum se sit

cod. P
fol. 14 V^a

potentia ad esse et non esse simpliciter sive ad esse vel non | esse substantiale, sed solum ad esse et non esse secundum quid scilicet accidentale, sive ad ubi vel situm, et ¹⁰ de necessitate assentiet huic quod est caelum esse incorruptibile, quod est contrarium eius quod prius opinabatur, et sic aliquo modo est in potestate nostra sic vel aliter circa incorruptibilitatem caeli sentire, et quia secundum quod ¹¹ diversimode circa hoc sentimus

cod. V
fol. 63 V^a

¹ e. i.] et istis C. — ² unum quoque 1^a m. P et 1^a m. C. — ³ in add. P. — ⁴ consistit PC. — ⁵ pitate C. — ⁶ om. C. — ⁷ naturam PV. — ⁸ quia — ens] scilicet quia ens est C. — ⁹ quod add. C. — ¹⁰ om. P, et sic 2^a m. P. — ¹¹ corruptibilitatem C.

sumus secundum hoc virtuosi vel vitiosi intellectualiter, ideo etiam in potestate nostra est quod, existente ratione circa hoc erronea, efficiamur virtuosi, eo quod in potestate nostra sunt actus quibus ad hoc devenimus dicto modo.

Si autem dicatur quod per ista aliquo modo declaratur quod in potestate absoluta errantis in speculabilibus est quod per se ipsum possit redire ad notitiam veritatis, sed cum hoc non contingat in effectu nisi velit se exercere circa considerationes tales et talium per quae hoc fieri possit, remanet dubium quid movebit ipsum ad hoc quod velit se circa talia exercere. Ad hoc est intelligendum quod, prout dictum est, in natura rei sic est quod taliter errans potest per se ipsum ¹ rectificari; sed utrum rectificabitur hoc con | sistit in facto; et verum est quod ad hoc quod talis potentia prodeat in actum praecipue per seipsum, oportet quod intellectui illius occurrat ² sub ratione boni et convenientis considerare et inquirere diligentius circa illud in quo errat, licet non credat se errare, et ad hoc potest de facili per seipsum pervenire, nisi nimis sit negligens. Cum enim quilibet habens usum rationis scire possit cunctas res esse difficiles, et quod veritas circa illas est cum summa diligentia inquirenda, hac consideratione semper faciliter debet et potest uti in omnibus quae suae considerationi subduntur, et per hoc sic esse sollicitus quod pertingat ad notitiam veritatis sibi possibilem secundum cursum communem, et semper manet in eo ³ facultas convertendi se ad hanc diligentiam, licet frequenter impediatur et suspendatur ab extrinseco, vel per desidiam et somnolentiae pigritiam. Hoc etiam ab extrinseco potest contingere sibi multis modis, puta si forte conversetur cum aliquibus magis scientibus, et eos audiat ⁴ loquentes de hac materia, vel si forte occurrat sibi etiam casualiter aliqua scriptura in qua inveniat talem materiam melius tractatam et sic de aliis. Sed quia talia dependent ex his quae ut in pluribus consistunt in factis non per se et essentialiter connexis, sed contingenter se habentibus, ideo ⁵ licet certum sit quod ita est in natura rei, ut dictum est, et possit poni modus aliquis in communi quo potest aliquis redire ad notitiam veritatis et per se et per alios, descendendo tamen ad factum particulare, scilicet utrum talis errans redibit, et per quam viam, quia scilicet ad hoc possunt plura impedimenta et promoventia casualiter concurrere, nec ⁶ potest determinate responderi, nec causa determinata per quam fiet in effectu assignari. Quia licet, ut praedictum est, haec duo principia, scilicet

cod. P
fol. 14 V^b

cod. C
fol. 7 R^a

¹ potest — ipsum] per se ipsum potest PC. — ² cocurrat C. — ³ ipso PC. — ⁴ audient P, audiet C et 1^a m. V. — ⁵ ita 1^a m. V. — ⁶ non C.

cod. P
fol. 15 R^a

notitia primorum principiorum quae in nobis est quodammodo naturaliter et etiam naturale desiderium sciendi perfectius ¹ sint principia sufficientia ad hoc quod quilibet possit ad scientiam pervenire, tamen ut in pluribus intervenit impedimentum, propter quod pauci ad scientiam pertingunt, et ut plurimum contingit istud impe- | dimentum propter appetitum inferiorem quo homo inclinatur vehementius ad bona temporalia et carnalia, et statim a nativitate est huiusmodi ² appetitus in actu suo, et praecipue secundum conditionem naturae destitutae, et ideo homines ut plurimum circa talia intendunt et occupantur nimis et meliora negligunt, et sic nec ad scientiam nec ad virtutes perfecte attingunt, sed huiusmodi defectus est homo sibi ipsi causa, per suam scilicet negligentiam in ³ qua detinetur ⁴ sponte: — propter huiusmodi ⁵ varia impedimenta quae etiam facultati hominis subsunt, et sic homo per se inclinatur in haec bona ⁶ sed ab illis per accidens impeditur, et ideo huius ⁷ non est alia causa inquirenda, quia eius quod est per accidens non est dare causam per se.

cod. V
fol. 63 V^o

Si autem aliquis errat secundum rationem practicam agibilem, non sic potest reduci ad veritatem ex solis actibus considerationis, quia cum materia talis considerationis sit aliquid pertinens ad considerantem, | quia est bonum vel malum ipsius verum vel apparens respectu cuius natus est homo affici bene et male, et secundum hoc etiam bene vel male se habere circa illa, et ideo secundum quod considerans est aliter et aliter dispositus, secundum hoc etiam iudicium rationis circa talia variatur. Accedere enim vel non accedere ad uxorem proximi est aliquid agibile obiectum vel materia prudentiae. Sed quia ad accedere ad uxorem proximi sive ad exercere talem actum, aliter se habet temperatus quam intemperatus — nam intemperatus propter habitum vitiosum est quasi omnino conformatus ⁸ tali delectationi quae est in tali actu ex frequenter sic contra rationem delectari, non sic autem temperatus — ideo quando intemperatus cogitat de hoc quod est accedere vel non accedere ad uxorem proximi, iudicat accedendum ratione apparenti, quia delectatio carnis cum muliere pulchra est appetenda et ⁹ assequenda, talis est ista ¹⁰, ergo et caetera. Oppositum iudicat temperatus. Unde dicit Philosophus, tertio Ethicorum, quod qualis unusquisque est, talis finis videtur ei ¹¹, id est, tale aliquid videtur ei appetendum ut bonum et finis. Ad hoc ergo quod intemperatus rectificetur et ad rectum iudicium reducatur, ut scilicet iudicet quod ad uxorem proximi sui non est accedendum,

¹ secundum se et absolute *add.* 2^a m. P. — ² *om.* C. — ³ *om.* C. — ⁴ tenetur C. — ⁵ *om.* C. — ⁶ vera et perfecta *add.* 2^a m. P. — ⁷ *om.* C. — ⁸ confortatus C. — ⁹ vel 1^a m. V. — ¹⁰ e. i.] ista est C. — ¹¹ *om.* P.

non | sufficit exercitium actuum solius rationis. Nam quamdiu aliquis existens in quibus virtualiter contrarium eius continetur, tamen non poterit actualiter et in particulari aliquibus talibus consentire, nisi facta aliqua dispositione in ipso secundum appetitum. Nam bene poterit considerare hoc quod nihil est contra rationem faciendum, et quod ideo non est proximo iniuriandum et huiusmodi. Si autem fiat applicatio quod delectatio cum uxore proximi est ei iniuriosa, et ideo omittenda, huic non assentiret propter contrarium principium, scilicet huiusmodi quod delectatio carnis cum muliere pulchra est exercenda; ex quo syllogizat: uxor proximi est pulchra, ergo et caetera. Ad hoc ergo quod iudicet quod ad uxorem proximi non est accedendum, oportet quod prius iudicet quod delectatio carnis non est cum quacumque muliere pulchra exercenda. Hoc autem non potest iudicare¹, quamdiu est sic dispositus secundum appetitum; ipse autem manet sic dispositus, quamdiu tales actus exercet, et ideo ad hoc quod eius ratio rectificetur oportet quod a talibus | actibus absteineat et quod in² contrariis se exercent, per quos contraria dispositio in appetitu inducatur, et mediante illa contrarium iudicium in ratione. Nam in talibus dispositio appetitus indirecte et per accidens habet rationem obiecti intellectus et determinantis ipsum ad determinatum iudicium, sicut et ipsa res ad quam appetitus per huiusmodi dispositionem confortatur per se et directe habet rationem obiecti. Et sic non potest ratio rectificari in agibilibus nisi rectificetur appetitus. Propter quod etiam simul sunt connexae virtutes morales appetitus cum virtute intellectuali practica quae est prudentia.

cod. P
fol. 15 R^b

cod. C
fol. 7 R^b

Sed adhuc remanet dubium quomodo hoc fieri poterit. Nam cum rectitudo actus appetitus, per quem generatur rectus habitus, dependeat a rectitudine rationis, videtur quod prius debet ratio rectificari quam actus appetitus. Sed hoc non potest fieri, ut dictum est. Quare, ut videtur, ratione practica existente erronea, non poterit quis effici virtuosus virtute intellectuali.

Et | ideo est dicendum quod semper sumus domini actuum nostrorum secundum substantiam a principio usque in finem, sed non secundum modum faciendi. Unde quantumcumque iniustus potest facere opus iustitiae licet non iuste; nunc autem opus iustum frequentatum aliquam dispositionem efficit in appetitu, secundum cuius variationem fit variatio in ratione, et sic in hoc quod sumus domini actuum appetitus, sumus etiam domini visionis nostrae vel iudicii nostri in agibilibus et non in speculabilibus, ubi solum

cod. P
fol. 15 V^a

¹ non — iudicare] iudicare non potest C. — ² om. C.

sumus domini considerationis quantum ad exercitium actus, non quantum ad iudicium, quod dicitur determinatio actus.

cod. V
fol. 61 R^a

Opus autem iustum potest iniustus facere, non obstante quod iudicet illud non esse faciendum. Nam aliquis potest habere ex aliquo iudicium de aliquo non faciendo secundum se simpliciter et absolute, sed ex aliquo alio accidente potest cum tali iudicio esse contrarium iudicium de tali re facienda ut nunc, | et secundum aliquas circumstantias particulares accidentes. Cum enim appetitus inclinetur in aliquid dupliciter, uno modo secundum animae passionem, alio modo secundum habitum, quia utroque modo contingit appetitum habere conformitatem ad aliquid ex aliqua passione, contingit quod aliquid iudicetur bonum ut nunc. Sed iudicium quo homo iudicat aliquid bonum ut secundum se et simpliciter provenit ex inclinatione naturali vel alicuius habitus, et ideo prout homo est causa sui habitus, est causa etiam consequentis operationis vel iudicii rationis. Sed quia, non obstante habitu quo iudicatur aliquid particulare operabile secundum se esse bonum, potest ex alia circumstantia accidenti ¹ vel ex passione iudicari non bonum ut nunc et fieri contrarium. Sic autem faciendo per consuetudinem inducitur habitus contrarius. Ideo, non obstante errore rationis secundum aliquem habitum vitiosum, potest acquiri rectum iudicium oppositum; prout aliquis consuetus furari et multa habens iniuste, timore poenarum potest abstinere a furto particulari, et reddere quod furatus est, et hoc frequenter faciendo diminuitur habitus malus, et agitur generatur habitus contrarius, qui causat etiam aliud iudicium in ratione. Et quia habitus vitiosus impediabat et pervertebat iudicium rationis, nec poterat applicari principium universale ad particulare agibile sive ad particulare iudicium rectum circa particulare, sic ² per habitum appetitus virtuosum dispositive, et etiam ³ obiectum ipsi rationi quodam modo praeparantem ⁴ per actum rationis decurrentis a principiis ad operabile particulare effective et ⁵ per se causatur rectitudo iudicii rationis, et sic acquiritur virtus intellectualis practica in eo in quo precessit ratio erronea circa agibilia aliqua. Et sic est in potestate nostra fieri virtuosos virtute tali intellectuali, etiam cum habemus rationem erroneam ex habitu, in quantum, non repugnante habitu, sumus domini contrariorum actuum secundum appetitum, ex quibus ageneratur habitus secundum quem fit aliud iudicium.

cod. P
fol. 15 V^b

Et ex hoc etiam patet quomodo, ratione existente erronea, potest acquiri virtus moralis in appetitu, quia, ratione existente erronea ⁶, ex ⁷ habitu, illo non obstante, sumus domini actuum contrariorum. Nam iudicando quod

¹ accidentali *corr.* 2^a m. C. — ² *del.* 2^a m. P. — ³ *del.* 2^a m. P. — ⁴ praeparative *corr.* 2^a m. C. — ⁵ *om.* C. — ⁶ *et add.* 2^a m. V. — ⁷ *om.* P.

a tali esset rapiendum secundum se et simpliciter ratione perversi habitus, possum ei reddere quod accepi ab ipso et etiam aliquid ultra in emendam, timore poenae ratione cuius iudico illud esse bonum ut nunc, et hoc frequenter faciendo potero acquirere habitum contrarium habitui rapinae.

Sed quia, ut arguitur, actus | appetitus non generant virtutem nisi sint ¹ recti et regulati ratione, quamdiu autem aliquis habet rationem erroneam iudicat talem actum non esse faciendum, et sic actus ille non informatur recta ratione, et sic ut videtur non potest esse habitus virtuosi generativus; propter hoc est intelligendum quod rectitudinem duplicem habet actus, unam ex genere et aliam ex fine et circumstantiis. Ad hoc autem quod habitus acquiratur sufficit quod appetitus sufficienter eliciat aliquos actus consimiles, sed ad hoc quod generetur habitus virtuosus ex actibus frequentatis, oportet quod illi actus sint recti et boni ex genere, et hoc est ipsos esse virtuosos secundum quid. Sed ad hoc quod sint virtuosus simpliciter, oportet quod sint recti ex fine, quod non habent nisi ex recti | tudine rationis cum debitis circumstantiis illos propter bonum honestum facere iudicantis. Et ideo naturaliter prius est actus rationis rectus et prius naturaliter generatur prudentia quam sit actus moralis perfecte virtuosus et rectus et quam virtus moralis perfecte generetur. Cum enim aliquis qui fuit intemperatus est ex habitu iam acquisito sic dispositus quod abstinet sed cum difficultate et quod iudicat uxorem proximi fugiendam et quod eam fugit, nondum ille habitus est perfecte virtuosus; quia quamdiu abstinet cum difficultate et tristitia appetitus, licet ratio iam ² iudicet abstinendum, non est simpliciter et perfecte | virtuosus. Et ideo cum in principio talis abstinet propter timorem et sic facit prius bonum ex genere, non tamen ex fine et circumstantiis, ex talibus actibus, quia non sunt simpliciter virtuosus nec a prudentia procedentes, quidam habitus generatur sed non simpliciter virtuosus. Sed cum iam tantum est processum quod illi actus etiam sunt boni ex fine et circumstantiis, quia tantum est amotum impedimentum quod ratio iam iudicat esse abstinendum propter se, sed adhuc est difficultas in appetitu, tunc, ut supra dictum est, sunt simpliciter virtuosus in quantum comparantur ad formam quam habent a ratione, sed non in quantum comparantur ad potentiam a qua eliciuntur non prompte et faciliter, et tunc proprie et perfecte sunt generati ³ habitus virtuosi, cum prius solum habitum simpliciter generarent.

Haec patent per ea quae dicit Philosophus, decimo Ethicorum, circa modum quo possunt fieri aliqui virtuosus virtute morali, de qua principaliter est quaestio. Dicit enim ibi quod ad generationem virtutis tria sunt necessaria,

cod. C
fol. 7 Va

cod. P
fol. 16 Ra

cod. V
fol. 64 Rb

¹ sic V. — ² r. i.] i. r. PC. — ³ generativi (?) C.

cod. P
fol. 16 R^b

scilicet natura, consuetudo et doctrina. Nec sufficit doctrina sine aliis, quia, ut dicit, sermones non sunt per se sufficientes facere virtuosos sive studiosos, sed videntur provocare et movere ad bonum iuvenum liberales posse sermones persuasibiles. Huiusmodi ¹ autem sunt iuvenes qui non sunt vitiis ² subiecti et passionibus, sed multi homines non possunt provocari ad bonitatem per sermones quia non obediunt verecun [diae, sed magis coercentur timore poenarum. Non enim retrahuntur a pravis operationibus propter eorum turpitudinem, sed propter poenas quas timent. Et ita oportet ergo [quod] antequam sermo efficaciam habeat in aliquo, animam eius bonis consuetudinibus esse praeparatam ad gaudendum de bonis et ad fugiendum mala. Oportet ergo consuetudinem praexistere per quam homo acquirat morem proprium virtutis, ut scilicet diligat bonum et honestum et ³ abominetur ⁴ turpe. Cum ergo ad perfectionem virtutis moralis requiratur rectitudo rationis, et hoc dependet a dispositione appetitus, ideo ad hoc quod adiutorio rationis quis virtutem perfecte acquirat, oportet praecedere in appetitu aliquam dispositionem aut innatam aut ex consuetudine acquisitam, et ideo, ut docet ibi, quidam legum positores existimant quod oportet homines advocare ad virtutem ita scilicet ut virtuosus qui propria sponte rebus honestis obediunt, per praecedentes consuetudines provocentur ad bonum, puta sermone vel doctrina cui ⁵ prompti sunt obedire, ostendendo eis honestatem eius quod proponitur. Sed his qui sunt inobedientes et mores habent degeneres apponunt poenas corporales, puta flagella et diversas punitiones, vituperando eos et in propriis rebus damnificando. Illos vero qui sunt totaliter insanabiles exterminant; et ita oportet ergo eum qui futurus est bonus bene nutriri et consuescere et abstinere a pravis, sive propria voluntate sive contra suam propriam ⁶ voluntatem aliquo modo coactus.

cod. C
fol. 7 V^b
cod. P
fol. 16 V^a

Sed quamvis per praedicta aliquo modo appareat quomodo habens erroneam rationem et existens vitiosus potest fieri virtuosus adiutorio extrinseco quo consequitur promoventia ipsum, ad hoc non est sic manifestum quomodo, excluso adiutorio exteriori, talis per se ipsum possit ⁷ fieri virtuosus, quoniam tam propter eius corruptionem in intellectu quantum ad errorem, quam per infectionem eius in appetitu per malitiam habitus, non videtur in ipso remanereabilitas ad hoc quod sibi occurrant consideranda quae [essent convenientia ad bonum virtutis, immo potius contraria occurrunt secundum eius dispositionem actualem; quia, ut dictum est, in agibilibus secundum conditionem et affectionem appetitus apprehendit et iudicat intel-

¹ huius CV. — ² intus PC. — ³ om. P. — ⁴ abhominetur CPV. — ⁵ qui P. — ⁶ om. PC. — ⁷ posset PC.

lectus. Cum ergo tali non proponitur aliquid conveniens ab extrinseco, videtur ¹ etiam quod a se a seipso nihil tale apprehendet, et ideo ad huiusmodi evidentiam est intelligendum quod talis potest per seipsum fieri bonus et virtuosus, quia in eo semper remanent generalia principia agibilia, talia per quae potest seipsum dirigere et rectificare | ordinate, illa ad magis specialia applicando; et verum est quod etiam talia insunt intellectui secundum quamdam proportionem ad affectiones quasdam in appetitu. Prout enim dicit Anselmus in libro de gratia et libero arbitrio, voluntas dicitur se suis affectionibus movere in quantum in ipsa intelliguntur quaedam affectiones, quasi quaedam aptitudines, quibus sic est disposita et aliquo modo habens quamdam conformitatem ad aliqua, quod cum occurrit sibi aliquid cogitandum circa illa, apprehendit talia sub ratione convenientis vel inconvenientis a quo sumitur principium processus intellectus practici qui est causativus motionis voluntatis. Circa hoc tamen est intelligendum quod cum in agibilibus finis dicatur principium sive ex habitudine appetitus ad aliquid sub ratione finis sumitur principium in intellectu — sunt autem plures fines et secundum hoc plura principia — veruntamen quantum ad hoc quod huiusmodi principia agibilia iniant in ipso intellectu, non oportet praecedere in appetitu aliquam dispositionem sive affectionem quae dicat aliquam rem absolutam inhaerentem appetitui per modum habitus vel dispositionis sive naturalis sive acquisiti, vel etiam sic aliquid habens rationem alicuius verae passionis. Sed est distinguendum de principiis et etiam aliquo modo de finibus: sunt enim quaedam principia omnino prima et generalia propriis principiis et specialibus communiter applicabilia, et respectu istorum sufficit naturalis aptitudo appetitus secundum quod habet naturalem idoneitatem et aptitudinem ut inclinetur in bonum in | communi, et malum etiam detestetur, et ideo principia huiusmodi dicuntur nobis naturaliter indita, et haec etiam quasi uniformiter in omnibus reperiuntur in quibus est eadem natura speciei non orbata. Cum enim ratiocinatio hominis sit quidam motus, progreditur ab intellectu aliquorum scilicet per se et naturaliter notorum absque investigatione rationis, sicut a quodam principio immobili, et ad intellectum etiam terminatur, in quantum iudicamus per principia per se naturaliter nota de his quae ratiocinando invenimus. Constat enim quod sicut ratio speculativa ratiocinatur de speculativis, ita ratio practica ratiocinatur de operabilibus. Ergo ² oportet ³ naturaliter nobis esse indita principia speculabilia, ita etiam principia operabilia oportet esse nobis indita, et haec dicuntur pertinere ad quemdam habitum naturalem quem dicimus

cod. V
fol. 64 Va

cod. P
fol. 16 Vb

¹ dicendum quod *add. 2a m. C.* — ² sicut *add. 2a m. V.* — ³ ergo oportet] oportet ergo PC.

synderesim, quae dicitur instigare ad bonum et remurmurare malo, in quantum per prima principia procedimus ad inveniendum et iudicamus inventa. Et sicut in potestate nostra est applicare principia speculabilium naturaliter innata ad conclusiones ordine convenienti, et ita fit nisi contingat impedimentum ut supra dictum est, et ex hoc ageneratur scientia; ita etiam est in potestate nostra applicare huiusmodi principia agibilium ad conclusiones ordine convenienti, et ageneratur recta notitia quae est principium rectae operationis, et ideo cum huiusmodi primorum principiorum maneat¹ notitia semper in unoquoque, in potestate uniuscuiusque est ut fiat bonus, cum virtute habitus primorum principiorum possit se dirigere et regulare nisi negligens existat. Quia etiam in potestate uniuscuiusque remanet notitia istorum, sicut dicit Augustinus, decimo quarto de Trinitate, capitulo trigesimo quarto, dicens quod etiam impii multa recte reprehendunt, multaque laudant in moribus hominum, et ea illis regulis iudicant in quibus vident quemadmodum quisque vivere debeat, etiam si nec ipsi eodem modo vivant. Istae autem regulae quibus quid sit iustum et iniustum agnoscit et cernit esse habendum quod non habet, scriptae sunt in libro lucis illius quae veritas dicitur, unde omnis lex iusta describitur et in cor hominis non migrando sed tanquam imprimendo transfertur.

cod. P
fol. 17 Ra
cod. C
fol. 8 Ra

cod. V
fol. 64 Vb

Sed quantum ad principia magis specialia et respectu finium magis specialium quae diversimode reperiuntur in diversis, ultra praedictam communem et naturalem idoneitatem quodam modo in omnibus individuis uniformem, adsunt quaedam dispositiones vel affectiones vel a natura vel acquisitae, secundum quas homo consequitur quamdam conformitatem ad diversos fines magis speciales. Et ex hoc contingit quod cum occurrit sibi cogitare de talibus, apprehendit illa sub ratione convenientis vel inconvenientis, et in illa inclinatur ut in fines. Et ex hoc format sibi principia specialia circa illa, prout quidam nascuntur dispositi a natura ad liberalitatem, quidam vero magis ad avaritiam, secundum quod Philosophus docet in sexto Ethicorum, quod quaedam sunt virtutes naturales et consimiliter etiam quaedam vitia contraria insunt aliquo modo a natura. Quomodo etiam ex assuefactione infiant habitus diversi tam virtuosos quam vitiosos satis est manifestum.

Sed constat quod ille in quo est vitium naturaliter innatum vel acquisitum, iam est sic dispositus ut secundum illum apprehendat et iudicet contra bonum rationis, et sic non apparet quomodo possit fieri virtuosus. Et est dicendum quod licet ille in quo est bona dispositio naturalis ad

¹ remaneat *corr.* 2^a m. V.

virtutem multo facilius possit fieri virtuosus quam talis, sicut per se patet, tamen [hoc ¹ etiam] fieri poterit etiam per seipsum virtuosus licet ² cum magna difficultate et raro. Etiam hoc contingit secundum cursum communem, quamvis enim talis ex huiusmodi dispositione determinetur ad talem finem et ad apprehensionem talium principiorum, iste finis tamen est sub fine, et principium sub principio et, his non obstantibus, remanet in ipso notitia principiorum universalium et desiderium naturale sive aptitudo vel idoneitas ad hoc ut inclinetur in bonum iustum et honestum secundum se et ut per huiusmodi principia generalia, et per huiusmodi inclinationem in bonum iustum et honestum in generali possit fieri applicatio ordinate ad particularia principia et ad particulares fines; et sic remanet in potestate talis ut per huiusmodi generalia principia et per huiusmodi generale desiderium et per huiusmodi generalem inclinationem in bonum possit per seipsum | dirigi in cognitione recta agibilium, et illa ³ recte agere. Quamvis ergo in aliquo sit talis dispositio naturalis, et ex hoc etiam tale iudicium contra rectam rationem in particulari, quia tamen, ut dictum est, in eodem remanent praedicta principia, scilicet et notitia principiorum generalium et inclinatio in bonum secundum se, et haec etiam insunt homini naturaliter et est in potestate sua illis uti, et se iuvare contra praedicta duo, scilicet contra iudicium circa particularem finem et contra inclinationem in illum — sicut enim homo per huiusmodi iudicium etiam circa ⁴ particularem finem contra rectam rationem et per huiusmodi inclinationem appetitus in illum potest seipsum quasi impedire renitendo rationi rectae et voluntati sic in generali remanentibus, — ita etiam remanet in potestate eius ut per huiusmodi rectam rationem et inclinationem voluntatis rectam in bonum secundum se, possit se muare reprimendo et refrenando appetitum qui natus est etiam contra suam propriam inclinationem obedire rationi, secundum illud Genesis: subter te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius. Sic ergo semper est in potestate hominis quod fiat bonus, supposito adiutorio gratiae divinae semper parato ex parte Dei, nisi ex parte nostra obicem ponamus, sed quod in nobis est faciamus et ad hoc diligentes simus utendo videlicet bonis praedictis nobis naturaliter a Deo secundum intellectum et appetitum insertis. Nec ab ⁵ hoc deficit etiam ⁶ aliquis nisi solum propter suam negligentiam, et quia secundum quod dicit Philosophus, tertio Ethicorum, huiusmodi diligentiae domini sumus, quia, ut dicit, in nobis est esse diligentes vel negligentibus. Ideo sumus causa ignorantiae in intellectu et malitiae in

cod. P
fol. 17 R^b

¹ ita V; illa *in marg. corr.* 2^a m. V. — ² sed V. — ³ ita V illa *corr.* 2^a m. V. — ⁴ e. c.] c. e. C. — ⁵ ad V. — ⁶ om. C.

voluntate per negligentiam, et ¹ scientiae rectae et virtutis per diligentiam. Sed verum est quod sicut dictum est quod homo impeditur ne ad suam perfectionem attingat, ad quam habet praedicta principia a natura, et huiusmodi impediti non est aliquid unum per se causa ², sed ex pluribus concurrentibus causaliter potest contingere, ita etiam in agibilibus, huiusmodi negligentiae per quam homo impeditur circa agibilia non est dare causam unam per se et determinatam, sed ex diversis hoc contingere potest. Sed quia, ut dictum est, | etiam ipsa impedimenta subsunt potestati nostrae, ideo ³ etiam omnia quae ⁴ ex his contingunt, hominibus ⁵ merito imputantur. In irrationalibus ⁶ vero locum non potest habere | diligentia vel negligentia; quia enim super suos actus dominium non habent, non est in eis facultas et virtus extendendi se ad actum diligentiae et sollicitudinis per quam occurrant ⁷ eis ea quae nata sunt ipsa movere vel determinare ad actus; nec habent iudicare de suis actibus quid scilicet sit agendum et cur.

Secundum hoc ergo est dicendum quod malus potest fieri bonus, non solum adiutorio alieno, sed etiam per seipsum. Sicut enim intemperatus potest fieri temperatus per hoc quod ab alio proponuntur sibi ordinate phantasmata moventia ipsum, non obstante utique habitu vitioso, ad concipiendum inconvenientia quae ex intemperantia contingunt et eius turpitudinem, et bona contraria quae per illam homo perdit et alia huiusmodi, etiam sic potest concipere horrorem talis vitii et ipsum aliquo modo detestari, licet quamdiu manet habitus vitiosus vehementer aliciat ad agendum intemperate, et cum magna difficultate abstinet. Sic autem procedendo potest sanari. Tales autem conceptus ordinati fiunt secundum quod praedicta principia generalia ordinate ad specialia applicantur. Ita etiam licet non adeo ⁸ faciliter intemperatus potest per seipsum formare talia phantasmata et procedere per applicationem principiorum generalium, semper enim manet in hominis potestate uti potentiis suis ad actus suos et sic semper homo potest formare phantasmata, secundum quod vult et secundum quod iudicat esse formanda, et ex notitia primorum principiorum potest iudicare phantasmata esse formanda, per quae possit fieri applicatio conveniens ipsorum principiorum generalium, licet ex altera parte propter dispositionem habitus vitiosi occurrant sibi etiam de facili phantasmata alia ad actus vitiosos moventia. Unde sicut in speculabilibus in potestate hominis est quod fiat sciens et per doctrinam alterius et per propriam inventionem, et similiter quod ab errore ad veritatis notitiam reducitur, sed facilius et melius per alterius doctrinam; ita etiam est dicendum in agibilibus.

cod. P
fol. 17 Va
cod. V
fol. 65 Ra
cod. C
fol. 8 Rb

cod. P
fol. 17 Vb

¹ etiam *corr.* 2^a m. C. — ² tamen 1^a m. P. — ³ id P, ideo 2^a m. V. — ⁴ etiam *add.* P. — ⁵ hominum PV. — ⁶ irrationalibus PC. — ⁷ occurrunt C. — ⁸ ideo *add.* C.

Si ergo quaeratur quid est illud per quod homo circa agibilia determinatur, ut scilicet velit vel agat hoc vel illud, est dicendum quod quilibet actus humanus, sive secundum intellectum sive secundum voluntatem, determinatur ab obiecto; sed quod hoc fiat a tali vel tali obiecto quantum ad multa genera obiectorum, ad hoc determinat homo seipsum per actus suos, secundum intellectum iudicantem et voluntatem acceptantem. Quia enim rationalis est homo ratione mentis quae est quid abstractum, ideo est indeterminatus respectu quorumcumque bonorum particularium ut secundum se considerantur, sed a create determinatur ad bonum simpliciter secundum quod bonum, in quantum scilicet homo est secundum suam naturam determinatus respectu finis ultimi simpliciter secundum rationem universalem boni, ita quod non potest illum non velle, nec non iudicare volendum, et similiter de summo bono, scilicet Deo, cum immediate videtur est intelligendum. Sed non sic est ¹ respectu quorumcumque bonorum et finium specialium non includentium omnem rationem boni, et secundum hoc etiam, ut dictum est, respectu boni simpliciter sumuntur principia generalia in agibilibus, quae propter hoc etiam dicuntur immutabilia et naturaliter inesse cognitio eorum, non per inquisitionem et investigationem ratiocinativam ² et discursivam; respectu autem ³ aliorum bonorum specialium sumuntur principia specialia, quae non insunt sic naturaliter, sed operatione nostra cuius domini sumus acquiruntur. Et secundum hoc per principia generalia nobis determinata de quibus quidem proprie non iudicamus sed per ipsa de aliis iudicare habemus, possumus determinare nos ad principia specialia applicando, scilicet illa ad specialia per phantasmata convenienter ordinata. Unde sicut respectu eorum quae sunt ad finem aliquem specialem determinamus nos per cognitionem particularem syllogismi practici propriissime dicti, et hoc virtute principii sumpti ab ipso fine speciali applicati ordinate ad minorem propositionem, ita etiam respectu talis finis determinamus nos per conclusionem alterius syllogismi aliquo modo etiam practici, et hoc | virtute principiorum generalium sumptorum a fine magis communi, et ordi-
nate applica | torum ad speciales. Et secundum hoc potest dici quod respectu
ultimi finis qui scilicet ad aliud non ordinatur nec propter aliud appetitur, homo non determinat se. Sed respectu quorumcumque aliorum potest se determinare et illud quod determinat se ad aliquid potest dici aliquo modo se movere ad illud. Non sic autem dicitur se movere ad illud ad quod non se determinat sed magis ab alio determinatur. Ideo dicitur ab aliquibus (1) et

cod. P
fol. 18 Ra

cod. V
fol. 65 Rb

¹ om. C. — ² ratiocinationem V, ratiocinativam 2^a m. C. — ³ illorum add. CV.

(1) Thomas Aquinas, *Summa Theologica*, 1^a 2^{ae}, q. X, a. 2.

cod. C
fol. 8 Va

non male si recte intelligatur, quod voluntas a fine ultimo movetur etiam de necessitate simpliciter et absolute, et non movet se proprie respectu illius, sed respectu aliorum finium et quoruncunque ordinatorum in finem facta in actu per finem ultimum movet se, sed non de necessitate simpliciter et absolute, sed supposita volitione finis ad aliquod talium applicati. Quamvis enim voluntas, cum sit potentia libera, non possit aliquid velle de necessitate quantum ad necessitatem coactionis quae simpliciter repugnat libertati, potest tamen aliquid velle de necessitate quantum ad necessitatem immutabilitatis, et hoc est solum finis ultimus. Quaecumque autem alia vult non vult tali necessitate, sed solum ex suppositione alicuius¹ alterius magis principalis.

Per praedicta patet responsio ad obiecta, quia, prout declaratum est², non solum est in potestate hominis fieri bonum, quia in potestate eius est agere operationes per appetitum quae ad hoc requiruntur, sed etiam est in potestate hominis recte iudicare per intellectum et per hoc³ operationes recte informare.

QUAESTIO XIII.

Utrum ille qui vovit quod certa die tota abstineret a vino quotiens illo die bibit vinum sit transgressor voti.

cod. P
fol. 18 Rb

Deinde circa pertinentia ad voluntatem in comparatione ad exteriores actus quaerebantur quaedam pertinentia ad ipsam in comparatione ad quosdam actus ab ipsa voluntate imperatos: quaedam pertinentia ad ipsam in comparatione ad actus ab ipsa omissos. Circa pertinentia ad actus a voluntate imperatos quaerebantur duo. Unum erat pertinens ad transgressionem voti, scilicet utrum ille qui vovit quod certa die tota, scilicet feria sexta, abstineret a vino, quotiens illo die bibit vinum sit transgressor voti, et peccet⁴ novo peccato qualibet vice vel hora qua primo vinum bibit. Aliud erat pertinens ad contractum emptiois, scilicet utrum licitum sit emere redditus ad vitam et recipere de redditibus emptis ultra sortem.

Ad primum arguebatur quod qui sic vovit quolibet actu sit⁵ transgressor voti, et peccet novo peccato, quia quotiens quis facit contra id ad quod voto se obligavit, est transgressor voti. Sed qui vovit se non bibiturum vinum sexta feria, quotiens illo die bibit vinum facit contra promissum. Ergo ex hoc sequitur quod non solum qualibet vice dum bibit, sed quolibet haustu vel tractu, immo secundum quamlibet guttam vini quam sumit sit transgressor voti. Nam cum quolibet instanti talis⁶ actu voluntatis velit bibere et sic uti vino et est successio temporis in diversis haustibus vel in sumptione diversarum guttarum, ergo etiam est successio actuum voluntatis, et quolibet actu voluntatis gustatur. Ergo et caetera.

Contra arguitur quod etiam⁷ multotiens bibens vinum, sed⁸ non bibens tota die

¹ om. V. — ² d. e.] e. d. PC. — ³ om. C. — ⁴ peccat P. — ⁵ est P. — ⁶ tali PC. — ⁷ om. C. — ⁸ si C.

non est transgressor voti, quia cum pars non sit totum, pars diei non est tota dies. Ergo qui vovit se non bibiturum tota die veneris vinum non facit contrarium huius nisi bibat tota die vinum.

Respondeo dicendum quod, quia ea quae cadunt sub voto sic sunt regulanda et iudicanda quod nec dicatur esse faciendum ratione voti aliquid quod sub voto non cadit, nec etiam subtrahatur a voto sive ab eius impletione id quod sub eius obligatione comprehenditur, ideo ad videndum utrum talis quolibet tali actu sit transgressor praedicti voti, est considerandum quomodo et quantum votum obligat ipsum. Et ad huius evidentiam est intelligendum quod sicut aliquis praecepto divino obligatur ad aliquid faciendum vel omittendum, ita etiam obligatur ex voto quod fit Deo qui praecipit vota et iuramenta propria firmiter observari, et modo quo aliquis efficitur transgressor praecepti efficitur etiam ¹ transgres | sor voti. Cum autem sint praecepta negativa quae obligant ad non faciendum aliqua, et affirmativa quae obligant ad faciendum aliqua, sicut ille qui omittit facere id ad quod ex praecepto affirmativo tenetur, quando illud facere tenetur, peccat et est transgressor praecepti; | ita etiam qui facit aliquid quod non tenetur facere ex praecepto et quando illud non facere ² tenetur, peccat, et est trans | gressor praecepti.

cod. P
fol. 18 Va

cod. V
fol. 65 Va

cod. P
fol. 18 Va

Sed cum aliquis tenetur facere aliqua plura in uno die pluribus horis, puta ire ad ecclesiam hora primae et tertiae et sic de aliis horis, cum non vadit hora prima et tunc cogitat cogitatione in qua permanet tota die quod per totam diem ad ecclesiam non ibit, tunc peccare videtur in singulis horis quibus omittit ire, non obstante unitate et continuitate voluntatis secundum rem et naturam ³. Si etiam aliquis teneatur abstinere a carnibus et ieiunare per unam septimanam sive qualibet die septimanae, si prima die comedit carnes proponens comedere per alios subsequentes, peccat et transgreditur | praeceptum singulis diebus comedendo, non obstante continuitate voluntatis secundum rem et naturam ⁴. Sed cum ratio peccati principaliter consistat in actu interioris voluntatis, secundum quod multiplicatur actus voluntatis in transgressionibus huiusmodi, multiplicantur peccata et etiam secundum quod multiplicantur obiecta. Unde si aliquis teneretur stare in ecclesia certa hora et diversis actibus et discontinuis voluntatis vellet non stare, essent diversa peccata secundum numerum quantum ad actum voluntatis, licet unum quantum ad unitatem obiecti secundum rem. Si autem uno actu voluntatis continuo et profenso vellet non stare per totam illam horam, esset unum peccatum ex utraque parte, sed gravius ratione continuationis et extensionis voluntatis. Quanto enim voluntas est diuturnior in malo, tanto est peior. Si autem in diversis horis deberet stare et una ac ⁵ continua | voluntate vellet non stare per totam diem, licet actus voluntatis esset unus secundum naturam vel secundum rem, essent tamen plura peccata ratione diversorum obiectorum, propter quorum diversitatem diversificatur voluntas etiam in esse moris, sicut etiam patet in peccato commissionis. Nam si homo una voluntate interficiat hominem unum, multum diu durante huiusmodi voluntate, antequam ipsum interfecerit est unum peccatum, sed maius quam si subito simplici libidine hoc fieret. Et si diversis horis cogitans de hoc diversis actibus voluntatis velit ipsum interficere, sunt diversa peccata numero ex parte actus volendi, licet unum ex parte obiecti secundum rem, quod tamen est multiplicatum sub ratione obiecti ut pluries voliti. Si autem

cod. C
fol. 8 Vb

cod. P
fol. 18 Vb

¹ et C. — ² n. f.] f. n. P. C. — ³ materiam 2a m. C. — ⁴ materiam C. — ⁵ sic P.

uno ictu¹ et uno actu voluntatis simul interficiat duos homines facit plura peccata homicidii, non solum propter obiecta sed etiam ex parte voluntatis, quia licet sit unus actus voluntatis secundum rem, est tamen plures secundum rationem moris quam habet ex obiectis diversis.

Circa casum tamen propositum est intelligendum quod differunt ista, scilicet quod aliquis ex voto et praecepto teneatur ieiunare una die certa et quod teneatur abstinere a vino per totam unam diem². Si enim per ieiunium intelligamus ieiunium ecclesiae, sic videtur quod postquam comedendo secunda vice transgressus est praeceptum simpliciter, quod si postea comedit tertia vice, illud non transgreditur novo peccato nisi hoc faciat expresse in contemptum, despiciendo scilicet tale praeceptum, sic scilicet cogitando quod si illud non violasset quando secundo comedit, nihilominus illud vellet violare per tertiam comestionem. Isto enim modo cum quis ex praecepto tenetur ieiunare aliqua certa die, id est non nisi semel in illa die comedere sicut statuit ecclesia, statim cum secundo comedit, peccat et est transgressor praecepti. Et si postea eadem voluntate manente secundum rem hora alia distincta in tantum quod alia comestio iudicari debeat, iterum comedat modo praedicto praeceptum contemnendo, | est novum peccatum. Sed si tota die comederet post primam vicem unum solum peccatum committeret sed maius esset ex ratione continuationis et extensionis. Cum enim semel comederit³ statim cum secundo comedit planum est quod peccat et est primum peccatum. Cum autem tertio comedit patet quod secundo peccat si modo praedicto contempnat⁴. Prima enim comestio non videtur tollere rationem peccati secundae comestionis immo potius aggravare. | Si enim illa vice qua secundo comedit non comedisset, sed solum illa vice qua tertio, planum est quod peccaret uno peccato et videtur quod gravius peccet, praesupposita prima vice, quia quanto pluries contemnit magis contemnit. Cum ergo qualibet hora diei postquam semel comederit teneatur non comedere, quotiens comedit cum tali contemptu totiens peccat. Unde talis cum videt se secundo comedisse, licet non possit servare praeceptum quantum ad id quod iam fecit per quod iam praeceptum est transgressus, licet etiam non potest servare quantum ad residuum temporis, sic videlicet quod postea non comedendo tertia vice in hoc possit dici servare dictum praeceptum et in hoc possit dici ieiunare tali die ieiunio ecclesiae, tamen sic debet post ea abstinere a cibo quod non comedat in contemptum praecepti, sed si comedit | debet cogitare quod si per aliam comestionem dictum praeceptum non violasset nullo modo plus comederet illa die sed ex quo sic est transgressus vult comedere non in contemptum praedictum sed causa alicuius recreationis, in hoc non videtur novum peccatum transgressionis praecepti simpliciter committere.

Sed si intelligatur de ieiunio naturae, sic scilicet quod per totam diem nullo modo sumet cibum nisi semel una hora, tunc postquam talis comedit aliqua hora, si etiam alia hora comederet⁵, praecepti vel voti transgressor esset, et eadem ratione si iterum⁶ tertia hora alia et sic deinceps, quia simpliciter obligatus est abstinere qualibet hora diei, una sola excepta. Ita etiam cum quis teneatur ex vo | to abstinere per totam unam diem a vino, quotiens bibit vinum transgressor est voti; et sunt plura peccata si tamen sint actus voluntatis et contemptus novi et distincti. Sicut enim debeo non tangere non meam, cum primo eam tangam pecco. Nec ideo si secundo tango, non propter

cod. P
fol. 19 Ra

cod. V
fol. 65 Vb

cod. C
fol. 9 Ra

cod. P
fol. 19 Rb

¹ actu exteriori C. — ² u. d | d. u. C. — ³ comedit V. — ⁴ contempnat PC. — ⁵ comedit 1a m. C. et 1a m. V. — ⁶ in margine V.

hoc minus pecco, quia iam sum transgressus praeceptum; ita in proposito. Similiter etiam quia non debeo furari rem proximi mei, quolibet actu furandi quo rem distinctam vel distincto actu voluntatis volo furari, pecco peccato ¹ novo ². Et similiter ³ in proposito casu de non potando. Votum enim de non potando ita obligat sicut praeceptum negativum. Praecepta autem negativa obligant semper et ad semper et ideo semper quolibet actu novo fit nova transgressio. Unde cum non bibere vinum tali die cadit sub voto et obligat sicut praeceptum negativum, ideo per totam diem obligat et ad quamlibet horam diei; quare qualibet hora bibendo peccat. Quando autem debet dici novus actus et contemptus non est leve nec securum describere. Si enim existens in mensa bibat prima vice vinum, cum tota illa sessio ad mensam reputatur una hora et una comestio et sic unus actus, non est tamen indivisibilis sed est unus aggregatione ⁴ plurium et ordine quodam. Unde si in diversis instantibus advertens se non debere comedere vel bibere cum diversis partibus cibi vel vini, utendo diversis actibus voluntatis, illis utatur, sunt diversa peccata. Si autem uno actu voluntatis, et hoc sit possibile, est unum sed ratione continuationis maius quam esset quilibet actus particularis voluntarius infra illam commissus, et forte tantum vel maius esset illud unum peccatum ratione huiusmodi ⁵ continuationis, quanta essent plura peccata pluribus actibus infra illam horam commissa, ita quod, ad demeritum forte non multum refert utrum uno actu sive uno peccato peccet vel pluribus quibus forte unus actus potest aequipollere, prout secundum Augustinum non refert utrum multa arena ⁶ continente multos lapides parvos vel uno lapide magno et ponderoso obruatur et submergatur navis.

cod. P
fol. 19 Va

Argumentum in oppositum non concludit, quia licet pars diei non sit tota dies, est tamen aliquid diei et sic qui non debet aliquid facere tota die, id est quacumque parte diei, peccat faciendo illud, in quacumque parte hoc fiat. Non enim potest intelligi quod intentio facientis dictum votum fuerit hoc quod non biberet tota die, id est uno continuo actu a mane usque ad noctem, sed hoc quod non biberet vinum tota die, id est quamdiu ⁷ duraret illa dies sive quacumque hora illius diei.

cod. V
fol. 66 Ra

QUAESTIO XIV.

Utrum licitum sit emere redditus ad vitam et recipere de redditibus emptis ultra sortem.

| Postea arguebatur ad secundum praedictorum et ostendebatur quod non sit licitum emere redditus ad vitam, quia in contractu emptionis debet esse aequalitas inter ementem et vendentem, sive inter rem quam dat emens et rem quam accipit a vendente. Sed in isto contractu emens dat minus ut plus recipiat, quia sperat rem quam emit esse plus valituram quam rem quam ipse dat; ergo et cetera.

cod. P
fol. 19 Va

Contrarium arguitur per contrarium, quia ille contractus videtur licitus in quo constituitur aequalitas inter ementem et vendentem. Sed ita contingit in proposito: nam aequaliter est dubium ex parte vendentis et ementis de plus vel minus recipiendo; ergo et cetera.

¹ om. C. — ² peccato *add. 2a m. C.* — ³ est *add. CV.* — ⁴ congregatione C. — ⁵ huius PC. — ⁶ arena V. — ⁷ quantum diu C.

Respondeo dicendum quod, si contractus qui fit in emptione reddituum ad vitam sit contractus mutui, est illicitus; nam huiusmodi¹ contractus, scilicet mutui, de natura sua debet esse contractus omnino gratuitus sine spe amplius percipiendi in quacumque re. Omnis enim superabundantia² | quae ex mutuo ratione mutui procedit est iniqua, quia et liberalitatem et iustitiam corrumpit. Item hoc significat ratio nominis, quia tunc vere possum³ dicere: ego tibi mutuo cum meum tuum facio, licet non simpliciter sicut in donatione absoluta, quia recipiens mutuum, licet non teneatur reddere illud idem quod recipit, tenetur tamen ad aequivalens. Si autem sit contractus emptionis et venditionis, et fiat | rationalis adaequatio inter rem emptam et pretium datum, est licitus contractus.

cod. C
fol. 9 Rb

cod. P
fol. 19 Vb

Sed ex duobus, videtur quod contractus de quo loquimur non sit contractus emptionis et venditionis, tum quia non videtur fieri commutatio rei ad rem, tum quia non videtur posse fieri conveniens adaequatio. Primum videtur per hoc quod pretium⁴ rei emptae potest esse pecunia; extrinsecum autem emptionis sive res emptam non videtur posse esse pecunia. Cum ergo aliquis dat certam summam pecuniae, puta centum libras, ut certam summam pecuniae recipiat cuius aggregatio tandem excedet summam datam et sub hac spe dat, non videtur aliquid emere sed videtur certam summam mutuo dare et sibi obligare recipientem ad reddendum tantundem et amplius sub conditione, si scilicet tandiu vixerit. Cum ergo pecunia non sit instituta ut res vendibilis sed ut pretium rei vendibilis, videtur quod talis contractus non sit contractus emptionis. Non enim videtur referre quod nunc dentur centum librae sub hoc pacto quod in anno quindecimo, etiam sub conditione, si mutuans tantum vixerit, restituantur centum et librae⁵, quod esset manifesta usura, et quod per partes scilicet singulis annis decem librae restituantur ita quod tandem in quindecimo anno receptae sint centum librae et ultra hoc quinquaginta sint acceptae. Et quod dictum est de pecunia sic⁶ tradita per modum mutui ut sic centum librae annuatim recipiantur, intelligendum⁷ etiamsi aliquid aliud detur vel recipiatur, puta decem modii bladi vel huiusmodi quod pecunia aestimari potest; quia in hoc contractu nihil emitur, quia iste qui pecuniam recipit nullam rem videtur transferre in eum qui dat, sed solum videtur se illi obligare ad restituendum dictam pecuniam et ultra, vel in pecunia vel in re alia. Quod etiam non possit fieri conveniens adaequatio hoc videtur quia cum venditur aliquid ad vitam alicuius unde et redditus ad vitam dicitur, videtur quod debeat fieri adaequatio secundum modum et conditionem ipsius ementis in comparatione ad eius vitam: nam cum plus recipit qui plus vivit, plus debet dare pro re aliqua diutius vivens quam minus vivens sed si licitus est huiusmodi contractus, ab eo non excluditur aliqua aetas. Ponatur ergo quod simul velint emere redditus decem librarum ab aliquo monasterio iuvenis viginti annorum et senex sexaginta annorum qui sint consimilis conditionis secundum suas complexionem et aetatem ad attingendum terminum communem vitae humanae, utpote causa exempli, aetatem septuaginta annorum et videatur quantum est rationale quod senex det pro huiusmodi redditu. Si det sexaginta libras, cum | tantundem recepturus sit infra sex annos et probabiliter aestimatur quod vivere debeat⁸ per decem et amplius, licet non sit omnino certum, videtur quod habeat satis bonum forum, modo videatur quantum debet dare praedictus iuvenis. Non enim videtur rationale quod tam parum

cod. P
fol. 20 Ra

cod. V
fol. 66 Rb

¹ hujus P. — ² superhabundantia. — ³ possumus PC. — ⁴ principium C. — ⁵ c. + I.VPC. — ⁶ sit PC. — ⁷ est add. 2^a m. C. — ⁸ vivere debeat] debeat vivere PC.

det¹. Ergo si debet aliquantulum plus dare, videtur quod debeat dare² secundum proportionem ad terminum praedictum vitae ad quem probabile est ipsum attingere sicut praedictum senem. Ergo cum ille det sexaginta pro decem libris recipiendis usque ad decem annos, scilicet usque ad septuagesimum annum vel amplius, iste debet dare trecentas libras pro decem recipiendis usque ad quinquaginta annos. Vel si dicatur quod probabilius est quod iste poterit ex diversis causis mori infra quinquaginta annos quam ille infra decem, deviat ergo aliquid, et non videtur quod tantum possit rationabiliter deponi si aliquo modo debet servari proportio ad aetatem quin iuvenis debeat multo plus dare pro decem libris annui redditus quam daret pro praediis immobilibus valentibus haereditarie plus quam decem libras. Sed fatuum esset dare tantum vel plus pro redditibus minoribus ad vitam quantum pro maioribus redditibus haereditariis. Ergo talis contractus videtur irrationabilis et sic illicitus.

Sed quia per rationes praedictas videtur³ concludi quod non liceret⁴ emere usum fructuum, nec liceret emere redditus haereditarios sub certa summa pecuniae vel bladi vel huiusmodi absque hoc quod emeretur aliqua res corporalis vel sensibilis, puta: fundus aliquis, quod est contra communem usum ubique terrarum; ideo non audeo iudicare illicitos contractus praedictos. Et ideo ad ostendendum quomodo possit esse licitus dictus contractus, declarandum est quomodo est | ibi vere contractus emptionis et quomodo potest ibi fieri vere conveniens adaequatio.

cod. P
fol. 20 Rb

Primum declaro sic, quia omnis res vendibilis est cuius alienatio non est inhibita iure naturali, vel divino vel positivo. Rerum autem, secundum iura, quaedam sunt corporales quaedam incorporeales; et tam haec quam illae vendi possunt. De corporalibus manifestum est. Nam potest vendi domus, praedium, equus et huiusmodi, quae sunt res sensibiles et corporales. Similiter etiam⁵ ius haereditarium et ius agendi et servitutes, tam personales quam reales. Et secundum iura aliud est haereditas, aliud res haereditaria. Nam haereditas ius est ad quod consequitur res alia⁶; et sic est quid incorporale. Aliud est ius agendi, et aliud res ad quam competit actio. Ergo videtur quod possit dici in proposito quod redditus ad vitam, sive in pecunia, sive in quacumque re alia, sit ius quoddam percipiendi pecuniam vel talem rem; et est quid incorporale aliud ab ipsa re corporali. Quamvis ergo pecunia secundum se non sit emibilis, tamen⁷ ius percipiendi pecuniam vendi potest; sic etiam ius agendi ad certam pecuniae quantitatem potest vendi. Quamvis enim ius agendi ad certam quantitatem pecuniae non ematur nisi propter ipsam pecuniam, tamen quia non est ipsa pecunia formaliter, licet in virtute, ideo emi potest. Ita etiam⁸ in proposito; licet ius non quaeratur nisi propter ipsam pecuniam, quia tamen est aliquid aliud⁹ a pecunia emi potest; cum quo tamen transit | pecunia recipienda. Et est ulterius intelligendum quod in huiusmodi contractu non differt emere redditum ad vitam in pecunia vel in quacumque re alia; quia redditus in pecunia et in aliis rebus mobilibus non videntur differre specie vel essentialiter et formaliter, sed solum materialiter. Nam, cum ex tritico¹⁰ vel ex alia re statim possit haberi pecunia, non differt redditus in uno et in¹¹ alio. Sicut ergo, cum emitur redditus in tritico, non dicitur emi triticum secundum suam substantiam, quia non est in rerum natura; sed emitur ius percipiendi triticum. Ita etiam cum emitur redditus in pecunia, non emitur ipsa

cod. C
fol. 9 Va

¹ om. C. — ² et add. C. — ³ dentur P. et 1^a m. V. — ⁴ licet C. — ⁵ et C. — ⁶ res alia] alia res PC. — ⁷ cum P. — ⁸ et C. — ⁹ est — aliud] aliquid aliud est PC. — ¹⁰ Ex tritico] extrinseco V; ex tritico corr. 2^a m. V. — ¹¹ om. V.

cod. P
fol. 20 Va

pecunia, sed ius recipiendi ipsam. Verum est tamen quod emitur | pecunia aliquo modo in virtute. Nec hoc est illicitum; quia, cum emitur ius recipiendi triticum vel cum emitur fundus terrae, cum ex his statim possit haberi pecunia¹, etiam emitur pecunia virtute.

cod. V
fol. 66 Va

Quia enim omnis res, secundum iura, possibile est in pecuniam converti, ideo | eiusdem rationis est ius pecuniam recipiendi et alias res quae pecunia aestimantur; et in hoc contractu pecunia non est extremum emptionis propriae, sed ipsum ius dicto modo.

Hoc etiam videtur ex his quae concedantur ab illis qui dicunt non licere fieri talem contractum; quia ab eis conceditur quod potest quis super sua possessione assignare alicui certos redditus in pecunia, vel haereditarie, vel ad vitam; et in hoc non intelligitur talis dare alteri vel transferre in illum immediate pecuniam vel aliquam rem aliam sensibilem et materialem determinatam, sed intendit illi constituere quoddam ius recipiendi aliquid dicto modo; et hoc ius intendit transferre in ipsum. Et in hoc non dat pecuniam principaliter, quae est res quaedam corporalis; sed potius ius recipiendi pecuniam, quod est res incorporalis, fundata tamen aliquo modo super rem corporalem, puta: super personam aliquam vel supra² aliquam haereditatem vel huiusmodi, ordinatam et obligatam ad recipiendum etiam rem corporalem, puta: pecuniam vel aliud³, ratione illius iuris sic constituti. Sed constat quod verius spectat ad eum tale quid vendere quam ad illum qui habet huiusmodi redditus sic ex dono, quia secundum regulam iuris: cui ius est dandi, ei est ius vendendi. Sed conceditur ab illis quod ille, cui huiusmodi redditus in pecunia sic dantur, potest eos licite vendere; quod non posset si proprie pecunia venderetur. Ergo oportet dicere quod ius quod talis habet, ad quod consequitur perceptio talis pecuniae, venditur ab eo cui est illud ius datum. Sed cum illud ius sit constitutum a donante, videtur quod, sicut illud ius gratis dedit illi, ita⁴ pro certa pecuniae summa⁵ potest ei vendere. Quod enim ille | qui habet huiusmodi redditus formaliter, id est ius recipiendi⁶ tali modo pecuniam, illos possit vendere, et non ille qui illos habet virtualiter sive causaliter, videtur irrationale.

cod. C
fol. 9 Vb
cod. P
fol. 20 Vb

Ex praedictis ergo videtur quod talis contractus sit contractus emptionis, quia est ibi assignare aliquid quod emitur, scilicet: ipse redditus ad vitam, vel haereditarius in pecunia, sive ius recipiendi pecuniam sive aliam rem, quod est aliud a pecunia, licet ex illo contingat assequi pecuniam; et qua ratione, ut alii dicunt, potest licite emi redditus in pecunia haereditarie vel etiam ad vitam, si tamen alius contractus praecessit⁷ eadem ratione et immediate. Dicitur enim quod si aliquis emit fundum ab aliqua communitate pro centum libris et deinde illum⁸ vendat eidem communitati pro octo libris perpetui redditus vel pro duodecim libris redditus ad vitam, hoc potest fieri. Vel cum habet sic octo libras vel duodecim, illas ulterius potest licite alteri vendere, vel ad vitam, vel haereditarie; sed cum sic vendit iam non habet nisi huiusmodi redditum pecunia tantum. Ergo vel vendit pecuniam vel aliud; hoc autem est ius recipiendi. Ergo immediate potuit ille qui nunc emit a tali tales redditus, emere eos a dicta communitate immediate. Nulla enim in hoc est differentia realis; et si aliqua videtur differentia superficialis, etsi sit illicitus et usurarius contractus quo immediate emerentur a communitate, ille etiam esset illicitus qui non videtur esse nisi quoddam pallium apparenter tegens vitiosum contractum, si vitium sit in illo. Item quod est pecunia appetibile est vendibile. Sed huiusmodi redditus est

¹ haberi pecunia] pecunia haberi PC. — ² super PC. — ³ ad C. — ⁴ etiam *add.* C. — ⁵ pecuniae summa] summa pecuniae PC. — ⁶ recipiendi PC. — ⁷ processerit C; praecesserit P. — ⁸ illam PC *et lra m. V.*

pecunia appretiabilis. Nam quidquid est in nostro patrimonio vel esse potest, excepta pecunia, est aestimabile sive appretiabile pecunia secundum iura. Sed redditus in pecunia sive ad vitam, sive ad perpetuitatem, potest esse in nostro patrimonio, ut patet. Nam potest aliquis habere, etiam ¹ absque emptione, ius percipiendi in bursa regis certam summam pecuniae ad vitam vel ad perpetuitatem; et quod aequè possit emi talis | redditus in pecunia ² patet. Nam, sicut etiam dictum est, conceditur quod si aliquis princeps det alicui certos redditus haereditarios vel ad vitam in pecunia, ille cui sic dati sunt illos potest vendere, quia sunt res quae ad patrimonium eius pertinere dicuntur. Sed eadem ratione ipse princeps illos vendere potest, quia quaecumque inveniuntur in venditione facta per unum, inveniuntur in venditione facta per alium.

cod. P
fol. 21 Ra

Per hoc patet quid dicendum ad primam difficultatem quantum ad secundum; et ³ est dicendum quod videtur posse fieri | conveniens aestimatio, non quidem omnimode aequalitatis rei ad rem secundum se, sed sufficientis proportionis secundum quod in usum hominum natae sunt venire. Immo magis rationabiliter potest fieri quam in reddito haereditario; quia illud quod recipitur haereditarie in infinitum excedit illud quod datur comparando rem ad rem secundum se. Non sic in proposito; quia vita unius hominis cito finitur; non sic vita hominum sibi in infinitum succedentium. Cum enim, non solum lege naturae, sed etiam lege scripta vel consuetudine vivendi ⁴ firmata, statutum sit quod res sic veniant in usum hominum sicut expedit reipublicae, iustum supponitur quod habens rem aliquam pecunia ⁵ aestimabilem illam possit alienare pro certa summa pecuniae; et iustum videtur quod illa pecunia adaequetur illi rei secundum modum secundum quem communiter et faciliter inveniri possint qui emere velint. Cum inveniuntur qui vendere velint propter eorum necessitatem vel commoditatem, et quia, si aspiceretur ad aequalitatem rei ad rem secundum se, hoc inveniri non posset propter ⁶ infinitum excessum in haereditariis redditibus et propter indeterminatam proportionem in redditibus ad vitam; ideo sufficit quod sit talis adaequatio secundum quam possit inveniri ut in pluribus emens, cum invenitur vendere volens, et hoc sive haereditaria | rie sive ad vitam. Non debet ergo fieri aestimatio in haereditaria emptione ad vitam ementis nec in se nec in suis haeredibus; quia cum iuvenis bonae dispositionis emit aliquam haereditatem, | continget, ut in pluribus, ipsum etiam in vita sua plus recipere de ea quam det pro ea, sed debet fieri dicto modo. Etiam ita ⁷ in venditione reddituum ad vitam non debet fieri secundum proportionem ad vitam ementis, quia hoc esset fieri adaequationem rei ad rem ut secundum se ad invicem comparantur, sed secundum illum modum secundum quem ementes inveniuntur. Constat enim quod tantum nullus ⁸ vellet dare pro reddito ad vitam sicut pro haereditario; et ideo oportet considerari quanto minus, ut in pluribus, homines vellet dare in illo contractu quam in alio. Et debent aliae circumstantiae considerari, sive quantum ad iuvenes, sive quantum ad senes, secundum quas propter necessitatem vel commoditatem vendentis, possunt inveniri tam iuvenes quam senes qui tales redditus emere velint. Secundum iura enim, pretia rerum non ex affectu et utilitate singulorum, sed communiter funguntur; et tantum valet res communiter quantum vendi potest. Nec his obstat quod in ⁹ iure cavetur quod, si alimenta alicui relicta sunt, et ipse velit super illis transigere, modus transactionis pro aetate eius ¹⁰ qui transigit et valetudine ¹¹ ordinandus est. Nam aliter cum puero ¹², aliter cum iuvene et sene transigendum est. Constat enim alimenta

cod. V
fol. 66 Vb

cod. C
fol. 10 Ra

cod. P
fol. 21 Rb

¹ et C. — ² pecuniam P. — ³ om. CV. — ⁴ veniendi P. — ⁵ pecuniam P. — ⁶ in *add.* V — ⁷ etiam ita] ita etiam. PC. — ⁸ tantum nullus] nullus tantum PC. — ⁹ om. C. — ¹⁰ om. C. — ¹¹ valetudine V. — ¹² aliter — puero] om. C.

cum vita finire (Digesta de transactione, libro: cum hi, paragrapho inodus); sic etiam redditus ad vitam cum vita terminatur. Sed hoc non valet; quia ibi fit hoc ut voluntas relinquentis alimenta servetur et favore alimentorum quibus multum favent iura. Cum enim alimenta sint necessaria ad vitam et pauperibus relinquuntur¹, non debent vendi nisi pro pretio quo probabiliter vita poterit sustentari, ne fame pereant contra intentionem relinquentis alimenta. Unde patet etiam quod non potest hoc ad propositum applicari, praesertim quia ibi dicitur quod vita vel aetas et valetudo² vendentis, non ementis, est³ respicienda. Si autem hic aliqua aetas esset respicienda, non respiceretur aetas vendentis, quia illa, ut plurimum, est perpetua; | ut patet in monasteriis et communitatibus, sed ementis.

cod. P
fol. 21 Va

Ex his etiam patet quod, cum aliquis ex talium reddituum emptione recipit plus quam dedit diutius vivendo, non debet dici recipere aliquid ultra sortem, vel quod hic sorti accedat aliquid, ut contingit in usura; quia quicquid recipit a tempore emptionis totum est ratione sortis et de eius natura; et sic de suo recipit, si tempore quo emit pretium iustum dedit pro re empta. Nec dici potest huiusmodi contractus mutui, ut patet: hic enim non datur pecunia mutuo cum obligatione eius cui datur ad restituendum tantum et amplius. Hanc enim obligationem ad restituendum quantum traditur, de se importat natura mutui. Quod autem ultra hoc obligatur | recipiens ad reddendum aliquid ultra, hoc est iniquum. Unde non fit hic aliqua vel alicuius rei emptio vel novi iuris quod ematur constitutio, quod tamen fit in praedicto contractu. Sicut enim ius quoddam de novo constituitur super fundum aliquem, utpote servitus aliqua, manente proprietate et possessione paenes illum cuius erat prius, quod dicitur ius reale, rem scilicet concernens; ita etiam possunt constitui iura personalia, magis personas quam res concernentia, ut usus fructus et redditus ad vitam quae finiuntur cum personis quibus competunt ista iura.

cod. V
fol. 67 Ra

Et est ulterius intelligendum quod veritatem nunc circa hanc materiam⁴ declaratam confitentur quidam qui aliquando contrarium dicere videbantur, utentes praedicta distinctione circa rem vendibilem, dicentes quod licitum est dare alicui ecclesiae certam summam pecuniae ad emendum terram aliquam⁵, ut hanc pecuniam sic dans ad vitam suam a dicta⁶ ecclesia recipiat certos redditus ad vitam suam multo plus valentes annuatim quam valere possint fructus dictae terrae, si ematur. Et hoc confirmant per illud, (capitulo decimo, quaestione secunda: precarie): quia, sicut habens aliquam terram potest dare illam alicui ecclesiae et⁷ ab illa ecclesia, usque quo vixerit, recipere terram | aliam valentem plus in triplo quam valeat terra data; ita videtur quod habens pecuniam de qua possit emi terra tantum valens quantum valet illa quam alius dat, et ad hoc illam pecuniam dat ut ex illa talis terra ematur, licite potest certos redditus a dicta ecclesia recipere ad vitam suam. Sed cum sic dans ecclesiae certam summam pecuniae, ut ex illa ipsa ecclesia emat terram valentem certos redditus, cum non det nisi nudam pecuniam in quam nullum ius sibi retinet et relinquit arbitrio et discretioni etiam personarum illius ecclesiae, ut illam convertant in utilitatem ipsius ecclesiae, et forte ecclesia est sic obligata, quia⁸ oporteret eos vendere tantum de terra sua, vel de propriis redditibus, vel incurrere maiora damna, et constat quod tunc illam pecuniam expedit solvere creditoribus absque hoc quod ex illa terra ematur, et nihilominus ecclesia ratione illius pecuniae constituit tale ius illam

cod. C
fol. 10 Rb
cod. P
fol. 21 Vb

¹ reliquantur PC. — ² valetudo PV. — ³ et P. — ⁴ naturam C. — ⁵ om. PC. — ⁶ om. C. — ⁷ om. C. — ⁸ quod PC.

pecuniam tradenti et illud licite emit alius, et est contractus emptionis et venditionis, ut dictum est. Sed, prout nunc isti strictius et melius loquentes dicunt, quandocumque¹ aliquis tradit aliquam certam summam pecuniae mutuo, quacumque condicione apposita de plus recipiendo ultra sortem, remanet contractus mutui et est illicitus et usurarius. Hoc autem non contingit in contractu emptionis reddituum ad vitam, sicut est superius declaratum et ab istis nunc concessum.

Per praedicta patet responsio ad obiecta. Non enim est contractus vituperabilis in quo emens dat aliquid intentione plus recipiendi, si tamen sit ibi verus contractus emptionis et detur pecunia conveniens, modo quo expositum est, pro re empti.

Similiter etiam non oportet quod omnis contractus, in quo incidit dubium aequaliter ex parte contrahentium amborum de plus vel minus habendo in lucro vel in damno, sit licitus nisi alia interveniant, scilicet quod non sit contractus mutui, sed emptionis et venditionis et cetera.

QUAESTIO XV.

Utrum ille qui a iudice non habente potestatem ipsum absolvendi in foro interiori poenitentiae, ab eodem iudice absolutus in foro exteriori, si de contumaciis non confiteatur proprio sacerdoti, sit in statu salutis.

Deinde circa omissionem voluntatis quae | rebatur unum pertinens ad sacramentum poenitentiae, scilicet utrum ille qui diversis excommunicationibus propter diversas contumacias a iudice non habente potestatem ipsum absolvendi sacramentaliter in foro interiori poenitentiae, ab eodem iudice a dictis excommunicationibus absolutus in foro exteriori, si de huiusmodi contumaciis pro quibus excommunicatus fuit non confiteatur proprio sacerdoti et ab illis² sacramentaliter absolvatur, sit in statu salutis.

Et arguebatur quod non; quia qui non conteritur nec confitetur de his quae sunt peccata mortalia et quae debet scire esse talia non est in statu salutis. Talis est ille; nam iudicio naturalis rationis scit quod, qui non obedit suo superiori in his in quibus ei tenetur obedire, peccat mortaliter.

Contra arguitur. Quia qui probabiliter credit se fuisse absolutum³ sufficienter⁴ ab aliquo peccato est in statu salutis, licet non faciat se inde absolvi de eodem. Sed talis est huiusmodi. Nam scit se esse⁵ absolutum ab illo cui in | obediens fuit et probabiliter potest aestimare quod talis qui est eius superior ipsum sufficienter absolvit. Quare et cetera.

Respondeo dicendum, quod excommunicatio, si iuste feratur, praesupponit peccatum⁶ pro quo ipsa potest infligi. Ipsa enim secundum se non est peccatum nec peccatum efficit; immo magis est quaedam poena medicinalis, quia hoc habet excommunicatio quod excommunicatum excludit a perceptione et participatione sacramentorum et a communione et societate fidelium; et ideo absolutio ab excommunicatione per se nihil aliud facit nisi quod istam poenam amovet et excommunicatum restituit ad statum in quo sit⁷ habilis ad perceptionem sacramentorum et ad communionem fidelium, si aliud non obsistat. Et ideo, sicut peccatum pro quo excommunicatio infligitur non causavit ipsa excommunicatio, ita

cod. P
fol. 22 R^a

cod. V
fol. 67 R^b

¹ quandoque C. — ² ille PC. — ³ fuisse absolutum om. PC. — ⁴ esse absolutum add. PC. — ⁵ se esse] esse se C. — ⁶ peccata C. 1^a m. P. — ⁷ fit C.

etiam absolutio ab excommunicatione illud peccatum non abolet, saltem per se et directe, sed relinquit quantum est de se.

cod. P
fol. 22 R^b

Sed quia qui convenienter et humiliter absolvitur et cum dolore cordis debet huiusmodi absolutionem petere ab excommunicatione lata in eum pro contumacia et peccato suo, ideo etiam videtur | quod simpliciter cum hoc, virtute contritionis, peccatum huiusmodi deleatur.

cod. C
fol. 10 V^a

Sed quia ille, cui a Deo remissum est peccatum virtute contritionis, nihilominus tenetur tempore et loco confiteri et absolutionem sacramentalem suscipere, talis ¹ sic a iudice absolutus videtur remanere obligatus ad confitendum de illo peccato sacerdoti et | peccare videtur si non confiteatur.

cod. P
fol. 22 V^a

Sed, quia aliquid in tantum est peccatum in quantum est ² voluntarium, non est autem voluntarium ³ quod fit vel omittitur per ignorantiam, cum non possimus velle quod ignoramus; — alia autem tenentur scire litterati, alia laici; nam ea quae sunt de iure naturali omnes scire tenentur aliquo modo, in quantum pertinent ab bonum vel malum moris; quae autem sunt de iure positivo et divino scire tenentur clerici et praecipue praelati, quantum ad ea quae ad regimen animarum spectant; laici autem talia scire non possunt nisi quantum per doctrinam suorum praelatorum discunt: — cum ergo de iure naturae sit quod inferiores suis superioribus obediant, secundum quod dicitur Romanos, tertio decimo, unusquisque tenetur scire quod peccatum inobedientiae est transgredi praeceptum superioris et esse respectu ipsius contumacem et rebellem; et ideo de hoc quilibet tenetur conteri et dolere, et debet ⁴ de hoc suo superiori satisfacere et absolutionem ab ecclesia super tali delicto procurare. Sed quia ecclesia habet duplices claves, scilicet iurisdictionis in foro exteriori et sacramentales in foro privato; harum autem clavium distinctionem et efficaciam scire non videtur ad laicos simplices pertinere, nisi pro quanto super hoc a praelatis instruuntur; nam cum videant quod non sacerdotes excommunicant pro contumacia et ab huiusmodi ⁵ excommunicatione absolvant et pro inobedientia poenam aliquam imponant, ideo si ⁶ simplex laicus aestimet se per hoc ecclesiae sufficienter reconciliatum, quia videns ecclesiam esse unam et corpus unum cuius rectores sunt praelati ecclesiae, cum unus ministrorum ecclesiae super aliquo delicto circa ipsum usus est officio suo, non credit quod oporteat alium circa hoc aliquid facere, videtur posse | per ignorantiam excusari.

Sed sacerdotes in talibus debent suos subditos informare, praedicando eis de inobedientia, tam respectu praelatorum quam principum ⁷ saecularium. Nam laici etiam, cum transgrediuntur praeceptum aliquod principis, si super hoc componant cum eo et pacem faciant, non credunt quod plus sit faciendum; quia ⁸ forte non credebant se obligari per huiusmodi transgressionem nisi ad poenam et non ad culpam. Et ideo esset eis praedicandum quomodo etiam superiores homines publice et Deum occulte offendunt, et quod se omni offensa Dei tenentur conteri sacerdoti in secreto, licet satisfecerint exterius praelato.

Per praedicta patet responsio ad obiecta.

¹ om. P. — ² om. V. — ³ non — voluntarium] om. P. — ⁴ oportet C. — ⁵ huius C. — ⁶ et C. — ⁷ principium P. — ⁸ quod C.

QUAESTIO XVI.

Utrum status religiosorum sit perfectior quam status praelatorum et specialiter sacerdotum parochialium.

Deinde circa pertinentia ad homines quorundam statuum specialiter quaerebantur quaedam pertinentia ad personas ecclesiasticas, quaedam pertinentia ad personas laicales. Circa pertinentia ad personas ecclesiasticas, quaerebantur quaedam pertinentia ad religiosos et praelatos ad invicem comparatos, quaedam pertinentia ad utrosque communiter, quaedam pertinentia ad religiosos | specialiter ¹.

cod. V
fol. 67 Va

Circa pertinentia ad religiosos et ad praelatos ad invicem comparatos quaerebatur unum, scilicet utrum status religiosorum sit perfectior quam status praelatorum et specialiter sacerdotum parochialium. Et ostendebatur quod status sacerdotum parochialium sit perfectior quam status religiosorum, quia status perfectionis exercendae est perfectior quam perfectionis acquirendae, nam status perfectionis exercendae non est nisi perfectorum, sed status perfectionis acquirendae bene est imperfectorum. Sed status sacerdotum parochialium est status perfectionis exercendae, quia eorum est docere, corripere et cetera. Status autem religiosorum est perfectionis acquirendae; nam est status in quo illi, qui fuerunt in saeculo imperfecti et dissoluti, a malis retrahuntur et in operibus virtuosus exercitantur, ut ad perfectionem valeant pervenire ².

Contra. Perfectior est status ad quem requiritur observatio, non solum praeceptorum, sed etiam consiliorum, quam ille qui non requirit observationem consiliorum. Sed status religionis requirit cum praeceptis observationem consiliorum; non autem status sacerdotum, quia bene habent bona propria, quod est contra consilium Domini dicentis, Matthaei decimo nono: si vis perfectus esse et cetera. Ergo ex hoc sequitur quod praelati non solum non sunt in statu perfectiori quam religiosi, sed quod non sunt in statu perfectionis, et quod non sunt perfecti secundum quod tales.

cod. P
fol. 22 Vb

Respondeo dicendum quod, licet quaestio proponitur ³ specialiter de

¹ religiosos specialiter] specialiter religiosos V. — ² attingere PC, vel attingere *add. marg.* V. — ³ proponatur *2^a m.* V.

cod. C
fol. 10 V^b

sacerdotibus parochialibus et non de praelatis maioribus, ex his tamen quae circa maiores supponuntur intendo declarare quod etiam sacerdotes parochiales, inquantum tales, sunt in statu superiori et perfectiori quam | religiosi secundum quod huiusmodi. Et ad huius declarationem assumo quod tres sunt status in ecclesia sub quibus omnes alii continentur, scilicet: status saecularium laicorum, et status clericorum et religiosorum, et status praelatorum. Hoc patet per illud quod dicitur Matthaei, vigesimo quarto: erunt duo in agro, duae molentes in mola, duo in lecto. Glossa: duo in agro sunt duae differentiae praedicatorum in ecclesia quasi in agro laborantium; duo in lecto sunt duae differentiae continentium sive contemplativorum qui eligunt quietem, quae lecti nomine significatur, nec in saecularibus sunt nec in ecclesiasticis negotiis occupati; duae in mola, duae differentiae coniugatorum sive sequentium orbem rerum mobilium. Non sunt autem alia genera hominum in ecclesia quam ista ¹ tria. Unde Ezechiel tres viros liberatos vidit: Noe, Daniel, Job ²; id est, rectores, continentes et coniugatos. Sunt ergo secundum hoc tres status, vel tres ordines, vel tria genera, vel tres modi viventium in ecclesia, quorum supremus est status rectorum, infimus coniugatorum et medius religiosorum.

cod. P
fol. 23 R^a

Et ³ secundum hoc videtur quod status praelatorum sit status perfectior in ecclesia. Est enim status iam perfectorum; quia rectores, secundum quod huiusmodi, sunt perfectiores his qui reguntur; quia rectores, secundum quod huiusmodi, sunt | perfecti et alios etiam perficientes. Qui autem reguntur, secundum quod huiusmodi, non sunt perfecti, sed ad perfectionem tendunt et proficiunt. Et quidem hoc communiter supponitur quantum ad maiores praelatos, scilicet episcopos, quod sunt in statu perfectiori quam religiosi. Hoc enim est a pluribus simpliciter et absolute determinatum, et in scriptis magistrorum et doctorum communiter est redactum. Hoc etiam patet per hoc quod non est aliquis status religiosorum, quantaecumque perfectionis existat, quin de illo fiat transitus sine dispensatione speciali ad statum episcoporum; non autem e converso. Hoc autem est de iure communi quod de statu inferiori et minus perfecto possit aliquis transire ad maiorem et perfectiorem, non autem e converso; ergo et cetera.

Quantum ergo sufficit ad solvendum quaestionem propositam sub forma qua proposita est, sic arguo. Praelati maiores, scilicet episcopi, sunt in statu perfectiori quam religiosi; ergo minores, scilicet sacerdotes parochiales, sunt in statu perfectiori. Antecedens suppono ex praedictis. Consequentiam autem intendo probare, ostendendo quod sacerdotes parochiales

¹ illa PC. — ² Daniel. Iob Iob, Daniel PC. — ³ om. C.

in officio et operibus, ratione quorum episcopi dicuntur esse in statu perfectiori et etiam in his quae pertinent ad perfectionem personalem quae in ipsis | episcopis ratione sui status requiritur, ipsis episcopis assimilantur; non sic autem religiosi; deinde removendo quaedam quae ad diminuendum condicionem status dictorum sacerdotum inducuntur.

cod. V
fol. 67 Vb

Quantum ad primum, suppono quod sacerdotes parochiales continentur in aliquo praedictorum statuum, non nisi in primo, scilicet rectorum. Nam et ¹ rectores sunt suarum parochiarum in regimine animarum sibi commissarum, sicut ² et episcopi rectores sunt suarum diocesum ³, et papa etiam suae diocesis propriae ac universalis ecclesiae. Unde, licet status episcoporum sit maioris dignitatis et perfectionis quam status sacerdotum, tamen, in comparatione ad religiosos, in uno ordine ⁴ cum praelatis maioribus continentur. Nec enim debent dici sicut praepositi ⁵, vel ballivi et huiusmodi officii voluntarii et delegati non ordinarii in principatibus respectu episcoporum; sed ⁶ sicut veri et ordinarii rectores, et sunt ⁷ operarii in agro | Domini cum episcopis et non ab episcopis, sed cum apostolis a Christo in principio ecclesiae constituti. Hoc patet per illud quod ⁸ dicit ⁹ Lucas, decimo: designavit Iesus alios septuaginta duos, et misit illos ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus. Glossa: sicut in duodecim apostolis forma episcoporum, sic in septuaginta duobus forma est presbyterorum secundi ordinis. Unde ab institutione ecclesiae primitivae fuerunt isti ¹⁰ duo gradus in ecclesia ad regimen animarum ab ipso Christo instituti. Propter quod status eorum non est factitius ¹¹ sive adventitius nec ab homine puro ¹² inventus et de novo in ecclesia inductus, sicut status plurimorum religiosorum; sed magis est status qui ex naturali ordine ecclesiae in ipsa ecclesia est necessarius, et ¹³ ab initio ecclesiae cum ordine episcoporum est ¹⁴ ab ipso Christo institutus. Unde, licet episcopi sunt superiores, et sacerdotes inferiores et episcoporum adiutores, tamen isti ¹⁵ habent auctoritatem | et potestatem ordinariam in huiusmodi regimine quantum ad sibi subditos a Christo ad eundem finem ad quem episcopi, scilicet ad salutem animarum ¹⁶. Unde omnes sunt officiales vel vicarii vel ballivi vel huiusmodi respectu Christi principalis regis et principis, qui non sunt sic ad invicem comparandi ut isti sint aliorum, scilicet maiorum, quasi ballivi vel praepositi non vere ordinarii, sed quasi voluntarie delegati, sicut sunt aliqui sub rege in regimine temporali; sed unius et eiusdem Domini princi-

cod. P
fol. 23 Rb

cod. C
fol. 11 Ra

¹ sicut 2^a m. C. — ² sic C. — ³ dyocesū. — ⁴ ipsi add. C. — ⁵ propositi P. — ⁶ si V. — ⁷ sicut C. — ⁸ om. C. — ⁹ dicitur V. — ¹⁰ illi PC. — ¹¹ fictitius 2^a m. C. — ¹² pure 2^a m. C. — ¹³ ecclesiae — et] om. C. — ¹⁴ et C. — ¹⁵ ipsi 2^a m. V. — ¹⁶ salutem animarum] animarum salutem PC.

cod. P
fol. 23 Va

palis officiales, vel praepositi, sive ballivi ordinarii et ab uno eodem Domino et principe, ut dictum est, instituti. Hoc patet per hoc quod dicitur, vigesima prima distinctione, capitulo in Novo Testamento: videntes apostoli messem esse multam et operarios paucos, rogaverunt dominum messis ut mitteret operarios in messem suam; unde ab eis electi sunt septuaginta duo ¹ discipuli et a Christo in huiusmodi ² officio instituti; quia, ut patet, apostoli non instituerunt eos, sed ipsos instituendos a Christo elegerunt ³, ut patet per verba: quia Dominus eos misit et apostoli rogaverunt ut mitteret; quorum typum gerunt presbyteri ad quae in eorum loco sunt in ecclesia instituti. Est ergo similitudo inter episcopos et presbyteros in officio praelationis et regiminis instituti a Christo, et per consequens patet quod, sicut episcopi sunt in statu perfectioni quam religiosi, ita et ⁴ presbyteri parochiales. Unde sicut in ecclesia primitiva status apostolorum et huiusmodi discipulorum erat perfectior quolibet statu alio in ecclesia, ita etiam nunc est et erit usque in finem.

cod. V
fol. 68 Ra

Hoc idem ⁵ etiam ostendo ⁶ ex hoc quod similitudo etiam est inter eos in operibus eorum. Nam opera episcoporum, in quantum sunt praelati, sunt ad alios, scilicet ad regimen animarum principaliter. Regimen autem huiusmodi consistit in doctrina fidei et morum informatione et correctione et in dispensatione sacramentorum, quae sunt vasa gratiae per qua salvamur. Sacramenta autem maxime necessaria ad salutem sunt: baptismus ut prima tabula et poenitentia ut secunda tabula post naufragium. Haec autem cum omnibus aliis, exceptis duobus, sacerdotes administrant. Constat etiam quod ad sacerdotes pertinet suis subditis praedicare ex officio ordinario et ipsos super quibusdam excessibus corripere, licet non habeant secundum usum et consuetudinem ecclesiae tantam potestatem et auctoritatem puniendi per censuram ⁷ ecclesiasticam, excommunicando et aliis modis, sicut episcopi. Si ergo, ut aliqui dicunt, illa religio praefertur alteri quae ordinatur ad finem absolute perfectiorem, maius bonum autem est commune quam privatum, quia quanto aliquid est communius tanto divinius ⁸; et ideo religio quae ordinatur ad opus activae ⁹ vitae quod ex plenitudine contemplationis derivatur, cuiusmodi est opus quo saluti animarum intenditur, quod principaliter pertinet ad praelatos, et sic est propinquissima perfectioni praelatorum, inter religiones ¹⁰ tenet superiorem et perfectiorem gradum quam illae ¹¹ quae ¹² simplici contemplationi intendunt ¹³. Multo magis hac

¹ unde — duo] *om.* VC *et* 1^a m. P. — ² huius C. — ³ elegerunt C. — ⁴ etiam *corr.* 2^a m. C. — ⁵ quidem V. — ⁶ ostendendo V. — ⁷ et — censuram *om.* C. — ⁸ divinus P. — ⁹ artem CP, activae *add. in marg.* 2^a m. P. — ¹⁰ religiosos 1^a m. P. — ¹¹ illa *corr.* 2^a m. P. — ¹² intendit *corr.* 2^a m. P. — ¹³ qui V.

de causa sacerdotes debent dici superiores et perfectiores quibuscumque religiosis, quia illa pauca, scilicet docere et praedicare | et confessiones audire et cetera talia, quae dictis perfectioribus religiosis conveniunt non nisi participative et ex delegatione et commissione cum pluribus aliis actibus perfectis, conveniunt ipsis sacerdotibus essentialiter et ordinaria potestate et auctoritate. Ergo status eorum, ratione huiusmodi operum, multo similior et propinquior est statui episcoporum quam status dictorum religiosorum ; ergo est perfectior.

cod. P
fol. 23 Vb

Hoc etiam patet ex similitudine perfectionis et condicionis personalis quae requiritur in ipsis sacerdotibus ad illam quae requiritur in episcopis. Nam ideo videtur status episcoporum perfectior quia etiam ¹ perfectiorem hominem requirit quam status religionis. Ille enim status est perfectior qui per se requirit hominem perfectiorem. Quia ergo status episcoporum requirit hominem perfectiorem quam status religionis, qui per se non requirit perfectos esse omnes qui vere religiosi sunt, quod requirit status episcoporum, ideo status episcoporum ² dicitur status perfectior statu religiosorum. Sed eadem ratione debet dici status sacerdotum parochialium perfectior statu religiosorum, quia requirit hominem perfectiorem. Nam cum perfectio personae attendatur in hac vita praecipue secundum caritatem ; — perfectio autem caritatis in hoc attenditur ut animam suam quis ponat pro fratribus, vel exponendo periculis mortis, vel etiam vitam suam totaliter ordinando in utilitatem proximorum, et quod proximis tempora | lia beneficia et spiritualia impendantur — sicut autem huiusmodi dilectio debet esse in ipsis episcopis ³ respectu subditorum, ita etiam in sacerdotibus ; licet in episcopis, quorum status est sublimior ista, perfectius requiritur ⁴ quam in sacerdotibus. Ratione enim sui officii, obligantur ad hoc quod pro salute subditorum ut pro fratribus animam ponant in tempore opportuno. Constat etiam quod ⁵ spiritualia, tam per doctrinam quam per sacramentorum dispensationem quam per suffragia, et cetera talia eis impendunt. Unde dicitur Hebraeos quinto : omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quae ad Deum sunt, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis ; et licet hoc dicat de | pontifice per quem principaliter episcopus intelligitur, tamen hoc etiam veritatem habet de sacerdote cuius officium est pro peccatis populi sacrificia offerre. Haec autem omnia non potest praelatus convenienter facere nisi etiam habeat ⁶ scientiam ex parte intellectus, quia sine ea non posset populum informare, nec alia facere debito modo quae ad

cod. C
fol. 11 Rb

cod. P
fol. 24 Ra

¹ et C. — ² ideo — episcoporum *om.* P ; ideo episcoporum C. — ³ *om.* PC. — ⁴ requirantur. — ⁵ etiam quod | quod etiam C. — ⁶ etiam habeat | habeat etiam PC.

officium suum pertinent. Constat ergo quod status praelati requirit hominem perfectiorem et secundum intellectum et secundum affectum quam status religionis. Nam maior perfectio requiritur ad hoc quod aliquis ¹ aliis perfectionem tribuat, quam ad hoc quod aliquis in statu salutis existens perfectionem sibi acquirat vel etiam in seipso perfectus sit, sicut etiam omne agens, secundum quod huiusmodi, perfectius est patiente. Nunc autem ad hoc quod aliquis convenienter possit esse praelatus, non solum episcopus sed sacerdos parochialis ², requiritur quod scientia sit instructus et quod dicto modo secundum affectum sit dilectione caritatis ad proximum inflammatus. Ad religiosum ³ etiam bonum et sufficientem, secundum quod huiusmodi, non requiritur hoc, saltem ita perfecte; immo potest dici quis servare religionem sufficienter ad salutem, etiam si non sit multum instructus scientia et si huiusmodi ⁴ caritatis perfectionem non habeat. Quia etiam aliquis imperfectus ad observationem regulae et vitae monasticae in sua prima professio | ne obligatur et talis est vere et simpliciter religiosus; non tamen iam est vir perfectus, sed est in statu in quo potest perfectionem acquirere. Sed hoc non sufficit praelato, cum ad curam animarum obligatur. Immo iam debet esse perfectus ut iam perfecte possit agere. Et ideo bene dicitur quod status praelatorum est status perfectionis non acquirendae, sed exercendae, quia illi statui repugnat quod in ipso ⁶ ab imperfecto perfectio ⁶ acquiratur, immo ⁷ exigit iam perfectum et potentem ⁸ perfecte operari. Status autem religionis dicitur perfectionis acquirendae, quia bene sustinet imperfectum qui in illo perfectionem possit acquirere; et non dicitur status perfectionis exercendae, tum quia, ut dictum est, perfectum non requirit, tum quia sua perfectio, cum ab aliquo acquisita fuerit, non sic eius | exercitium ad perficiendum alium ⁹ ordinatur, sicut perfectio praelati. Actus enim perfecti religiosi, et si sint perfecti et si illis utendo exerceat perfectionem aliquo modo singulariter et ad seipsum, non tamen proprie loquendo, prout exercere perfectionem dicitur perfectione publice et ¹⁰ ad alios uti et ad alios perficere. Sed cum sic est perfectus aliquis religiosus, tunc primo est dispositus ut ad statum parochialis curae assumatur et sic, hoc ipso quod etiam ¹¹ inter religiosos soli perfectiores sunt idonei ad statum talis praelationis, patet quod iste status simpliciter est perfectior, quia perfectiorem hominem requirit. Unde de hoc, vigesimo primo, quaestione prima, dicit Augustinus: non nisi probatiores ac meliores in clericos assumere solemus. Patet ergo quod sacerdotes parochiales sunt in perfectiori statu quam reli-

cod. V
fol. 68 R^b

cod. P
fol. 24 R^b

¹ aliquid PC. — ² sacerdos parochialis] sacerdotes parochiales C. — ³ autem *add.* C. — ⁴ huius C. — ⁵ tanquam *add.* 2^a m. P. — ⁶ *bis* V. — ⁷ ideo C. — ⁸ potestatem P. — ⁹ alia C. — ¹⁰ *qm.* PC. — ¹¹ *om.* PC.

giosi, sicut et episcopi sunt eis perfectiores. Et hoc quidem patet, tam ratione officii quam ratione operum, quam ratione perfectionis personalis quae in eis requiritur, in quibus episcopis assimilantur.

Nunc ergo restat removeamus quaedam quae inducuntur ad diminuendum condiciones status dictorum sacerdotum. Nam cum dicitur quod si comparentur opera sacerdotum parochialium, secundum quod huiusmodi, ad opera religiosorum, secundum quod huiusmodi, sunt perfectiora simpliciter; ad hoc dicunt quidam quod verum est quod aliqua particularia opera sacerdotum sunt perfectiora aliquibus operibus particularibus religiosorum, sicut maius est intendere saluti animarum quam ieiunare vel aliud consimile facere, quod specialiter ad religiosum pertinet; sed si in omnibus comparentur, opera religiosorum sunt perfectiora. Quamvis enim procurare salutem proximorum sit perfectius quam intendere sibi, loquendo in genere, tamen quod aliquis totaliter et perfecte | intendat suae saluti, maius est quam si aliquis multa opera particularia faciat ad salutem aliorum, etiamsi ¹ saluti propriae sufficienter non tamen perfecte intendat. Sed istud non videtur benedictum, quia sicut ista ratio arguit de sacerdotibus, ita etiam arguit de episcopis, ut per se patet. Nam ut dictum est | eisdem operibus circa salutem animarum intendunt isti et illi, modo praedicto. Qui etiam ex dilectione proximi vult esse intentus saluti eius, secundum quod huiusmodi videtur plus esse intentus saluti propriae; et illud etiam quod facit erga proximum si sit talis qualem requirit status eius, ex maiori dilectione Dei et proximi procedit et ad dilectionem Dei et sui ordinat. Sed quia haec veritas est ita manifesta quod perfectioni sacerdotum per hanc viam obviari non potest, attendendo scilicet ad opera quae in illo statu requiruntur et ad perfectionem personalem quam oportet illum habere qui convenienter debet officium sacerdotale ² exercere, per viam aliam obviatur. Nam cum status perfectionis duo importet: et rationem status et rationem perfectionis, nituntur quidam ostendere quod tales non sunt in statu perfectionis, quia non sunt in statu, eo quod ratio status importat quamdam immobilitatem et obligationem ad opera aliqua exercenda. Episcopi autem sunt in statu, quia obligantur; item sunt in statu perfectionis quia obiectum huiusmodi obligationis sunt opera perfecta. | Sacerdotes autem non obligantur, quia possunt de licentia episcopi curam deserere et in saeculo remanere; et sine licentia episcopi possunt ad religionem transire. Et ex hoc arguitur quod saltem respectu religiosorum, nec sunt in statu, nec in statu perfectiori; non in statu, quia voluntate propria possunt illum per religionem relinquere;

cod. C
fol. 11 Va

cod. P
fol. 24 Va

cod. V
fol. 68 Va

¹ et C. — ² sacerdotalem C.

non in statu perfectiori, quia iura communia non concedunt quod aliquis sine dispensatione possit a statu perfectiori ad imperfectiorem transire, sed e converso. Unde a minori religione sine licentia praelati saltem obtenta potest quis transire ad arctiorem; e converso, non sine dispensatione Papae. Quod autem ita sit, scilicet quod sacerdos intrans religionem transeat ab imperfectiori vita ad perfectiorem, hoc arguitur ex duobus. Capitulo decimo nono, quaestione prima: capitulo clerici, sic dicitur quod clerici qui monachorum propositum¹ appetunt, quia meliorem vitam suscipiunt, libere eis ab episcopo in monas- | teriis largiri oportet ingressus. Clerici autem ibi dicuntur sacerdotes saeculares parochias regentes et cetera. Duae sunt leges: dicitur, si aliquis horum in ecclesia sua sub episcopo populum retinet et saeculariter vivit, si afflatus Spiritu Sancto in aliquo monasterio salvare se voluerit, qui lege privata ducuntur nulla ratio exigit ut a lege publica constringantur. Quisquis ergo hoc spiritu ducitur, etiam episcopo suo contradicente, eat libere nostra auctoritate. Illud autem quod fit afflatu Spiritus Sancti, videtur perfectius et melius. Ergo cum talis afflatu Spiritus Sancti intret religionem deserendo parochiam, status religionis videtur perfectior.

cod. P
fol. 24 V^b

Sed haec non obstant. Nam de nominibus non est multum curandum vel disputandum, sed de rebus. Esto ergo quod sacerdotes cum tali solemnitate non obligentur ad perpetuo regendum parochiam sicut episcopi, si tamen hoc ipsum quod est regere parochiam est quidam modus vivendi perfectus et est gradus in modo vivendi perfectior et superior quam gradus et modus vivendi in religione; ergo sub hac forma verborum poterit statim dici quod vita sacerdotum vel modus vivendi est perfectior quam vita religiosorum, etiam si non poterit dici quod in statu perfectiori sunt, quia non sunt in statu, sic loquendo stricte de statu ut dicunt isti.

Similiter etiam² ad hoc quod aliquis sit in statu perfecto, saltem secundum communem usum loquendi de statu, videtur sufficere quod ea quae perfectionis sunt observet³ cum proposito perpetuo observandi absque solemnitate talis obligationis exterioris: verbi gratia, si aliqua mulier conservet virginitatem cum proposito numquam copulandi se viro carnaliter, absque hoc quod voto speciali et⁴ expresso hoc firmet, talis dicitur habere statum virginitatis; et si in hoc proposito discedat, praemium virginum obtinebit. Ergo etiam qui cum tali proposito parochiam sumit, etsi⁵ aliter non obligaretur ad perpetuo tenendum eam nisi solo proposito, secundum communem usum loquendi, videtur posse dici esse in statu; et hoc modo esse in statu sufficeret | ad faciendum | praedictam comparisonem.

cod. C
fol. 11 V^b
cod. P
fol. 25 R^a

¹ propositionem *1a m.* PV. — ² et C. — ³ observent C. — ⁴ om. C. — ⁵ om. C.

Item, posito quod aliquis assumat curam animarum in ecclesia parochiali, licet etiam non habeat propositum in illa perpetuo perseverandi, tamen hoc non impedit quin status secundum se sit perfectus, sic videlicet quod requirit hominem perfectum qui huiusmodi curam debet suscipere, etiamsi opera quae ad illum requiruntur non deberet nisi per tempus modicum exercere.

Item videtur, quod non bene dictum sit quod non obligentur obligatione quae sufficit ad statum; quia obligatio qua clericus, praecipue habens curam animarum, sive praelatus quicumque, obligatur ecclesiae, non est tam de iure positivo et ex statuto humano quam de iure naturae et divino. Praelatus enim in susceptione curae obligat se quasi sponsus ecclesiae quasi sponsae ad gerendum curam eius et singulorum de ecclesia. Obligatur ¹ autem, non sub conditione et ad tempus determinatum, sed simpliciter et absolute. Unde nec ipsam deserere debet, | nisi forte superveniente casu propter quem salubrius et melius esset sibi et suis subditis cedere quam in regimine remanere. Et secundum hoc, nullo statuto humano circa hoc existente, post susceptionem curae non possent praelati huiusmodi obligationem pro suae voluntatis libito rescindere, quia propter dilectionem Dei et proximi se constituunt quasi in servitutem hanc; quod quantum est ex se in perpetuum oportebit eos in regimine curae susceptae remanere, adimendo sibi libertatem dimittendi.

cod. V
fol. 68 V^b

Praeterea, quia altercatio de nomine status, quantum ad propositum, est inutilis, illa ommissa, utamur alio nomine, sic quod, cum secundum supra dictam glossam Matthaei, vigesimo quarto, tria sunt genera hominum, quaeratur quod genus hominum sit perfectius, scilicet coniugatorum vel contemplativorum vel rectorum. Et ita bene potest sub his verbis quaestio pertractari et eodem modo, sicut sub aliis et secundum communem modum loquendi pro eodem potest accipi status hominum, sicut genus hominum. Dicitur enim quod est status poenitentium vel incipientium ² proficientium et perfectorum et cetera. Ergo frivola videtur et non conveniens evasio qua dicitur quod non sunt sacerdotes in statu perfectionis, quia non sunt in statu; et ideo | istis non obstantibus est dicendum quod sacerdotes curati sunt in statu perfecto, a quo tamen licet eos recedere de licentia, etiam ad statum simplicem et minus perfectum. Et non bene dicitur quod sacerdotes non sunt in statu perfectionis, alioquin essent apostatae cum, dimissis curis, remaneant in saeculo; quia episcopi, etiam de licentia Papae absoluti, bene remanent in saeculo in statu simplici et imperfecto; et tamen apostatae dici

cod. P
fol. 25 R^b

¹ obligantur C. — ² insipientium.

non debent. Similiter etiam sacerdos curatus qui, ex rationabili causa licentiatu ab episcopo, deserit curam, non debet dici apostata. Nomen apostatae etiam appropriatum est secundum usum communem illis religionis qui post professionem ad saeculum revertuntur; et non dicitur de omnibus qui a quacumque obligatione etiam simpliciter et sine determinatione temporis facta discedunt.

Praeterea, esto quod praedicta duo capitula essent revocata¹ et remaneant² iura alia communia, sacerdos non posset intrare religionem sine speciali licentia episcopi vel Papae, sicut nunc episcopus non potest sine licentia solius Papae; et tunc saltem excluderetur ista via frivola per quam aliqui nituntur ostendere quod sacerdotes non sunt in statu perfectiori quam religiosi. Et si dicatur ulterius, quod immo rationabile est, quod episcopi non possunt dimittere episcopatus sine licentia, etiam propter ingressum religionis, quia eorum status secundum se est perfectior; non sic autem est rationabile hoc de sacerdotibus, quia eorum status est secundum se imperfectior, hoc non valet; quia respiciendo ad opera et ad conditionem perfectionis personalis, ut supra dictum est, eadem ratione est iste³ perfectus, sicut ille. Et ideo ad hoc quod sint in statu perfectiori eo modo quo isti volunt loqui de statu, non deest nisi obligatio quae posset fieri uno verbo si Papa diceret: volumus quod sacerdotes non deserant suas parochias et quod non possent ingredi religionem, sicut episcopi, sine licentia speciali. Ergo nunc etiam, non obstante concessione eis facta per praedicta duo capitula, debent nihilominus dici esse in statu perfectiori quam religiosi; quia quod per praedicta capitula conceditur sacerdotibus, est indulgentia quaedam et dispensatio. Unde per talem licentiam non est intelligendum quod quilibet simpliciter et absolute possit deserere curam suam et religionem intrare; quia licet nullus homo hoc prohibeat modo propter dictam licentiam, prohibet tamen Deus extra casum propter quem videtur huiusmodi indulgentia data esse; quae scilicet sic est intelligenda quod, cum aliquis videns suam insufficientiam et periculum in parochia et aestimat quod per alium⁴ melius poterit regi, tunc poterit eam deserere. Sic enim movetur privata lege et afflatu Spiritu Sancti ducitur. Si enim probabiliter aestimaret quod posset parochiam melius regere quam alius et plus bono communi proficere, et non esset in periculo multum magno ultra commune periculum quod in talibus communiter reperitur, lege Spiritus non duceretur, quia Spiritus ducit ad melius. Bonum autem commune est melius et divinius et cetera. Unde in illo casu in quo

cod. C
fol. 12 R^a
cod. P
fol. 25 V^a

cod. V
fol. 69 R^a

¹ remota *corr.* 2^a m. C. — ² remanent C. — ³ ille PC. — ⁴ etiam *add.* C.

episcopus vel papa daret licentiam sacerdoti, si dicta capitula essent remota, debet sacerdos licentia generali per haec capitula data uti. Sicut si etiam Papa statueret quod episcopi possent, si vellent, religionem intrare, sicut nunc statuit de sacerdotibus curatis, episcopus non deberet uti hac licentia, nisi in casu in quo nunc papa deberet alicui huiusmodi licentiam concedere. Nec propter hoc diceretur quod episcopi essent in statu imperfectiori quam sit status religionis ad quam transire possent.

Nec obstat quod in decreto ¹ primo dicitur: quia meliorem vitam sequi cupiunt; et quod in secundo dicitur quod ducuntur lege privata Spiritus qui non inspirat minus bonum; quia melius potest dici aliquid dupliciter, vel melius simpliciter et absolute, vel melius huic et in casu. Qui autem rationaliter vult deserere parochiam et religionem intrare, non facit hoc quia meliorem sive perfectiorem vitam simpliciter eligat, sed meliorem sibi propter casus et causas praedictas. Et quod sic debeat intelligi, patet per glossam sequentis capituli super illo verbo: dignior est lex privata, quam scilicet sacerdotes ducuntur cum volunt intrare religionem, quam publica. Tamen in tribus casibus praeiudicat huic legi privatae publica; nam mulier, licet lege | Dei ducatur, non potest invito viro intrare religionem; nec impubes invito patre; nec episcopus invito papa. Ex quo patet quod eodem modo comparatur status religionis ad statum sacerdotis et episcopi sub ratione vitae melioris et sub ratione obiecti legis privatae Spiritus Sancti. Sicut ergo sacerdos potest duci lege privata Spiritus ad intrandum religionem tamquam ad vitam meliorem, et cum hoc contingit, potest hoc libere facere per licentiam generalem, — hoc autem est cum hoc vult propter salutem animae suae, ut dicitur in dicto capitulo; quod contingit quando experitur se insufficientem et non posse regere sicut debet, vel cum timet periculum vel aliquid huiusmodi, — ita etiam potest episcopus duci eadem lege; sed cum hoc contingit non potest hoc facere sine licentia Papae speciali. Constat autem quod, cum episcopus vult intrare religionem tamquam volens sequi vitam meliorem, ibi accipi oportet meliorem huic et in hoc casu et non meliorem simpliciter. Ergo similiter ² oportet accipi de sacerdote cum vult ingredi religionem, in hoc volens sequi vitam meliorem; et talis ingressus tam episcopi quam sacerdotis est descensus simpliciter, sed ascensus huic et in hoc casu.

Quare autem datur sic generalis licentia sacerdotibus non episcopis multiplex causa potest esse. Sed sufficit ad praesens quod ubi maius est

cod. P
fol. 25 Vb

¹ in decreto] indecerto P. — ² consimiliter C.

periculum, ibi cautius est agendum. Quia ergo maius est periculum si unus episcopus deserat episcopatum quam si sacerdos parochialis, et facilius providetur parochiae de alio sacerdote quam episcopatu de episcopo, ideo non datur licentia generalis episcopis sicut sacerdotibus. E contrario autem, quando aliquis assumitur a statu regulari ad statum episcopalem vel sacerdotalem, simpliciter dicitur ascendere; unde dicitur decimo sexto, quaestione prima, capitulo: sunt nonnulli credimus a sacerdotibus monachis ligandi solvendique¹ officium, Deo operante, digne administrari si eos digne contingerit² hoc ministerio sublimari; et capitulo sequenti: sic vive in monasterio ut clericus esse merearis et cetera. Unde cum aliquis de statu religionis transit ad statum curae episcopalis vel parochialis, non dicitur hoc fieri per dispensationem, sicut etiam contingit cum quis transit de laxiori religione ad arctiorem. Immo e converso: tum quia religiosus factus curatus non potest redire ad vitam monasticam sine dispensatione sive licentia, tum quia secundum iura monachus sive religiosus, saltem de licentia abbatis vel superioris, absque aliqua dispensatione alia speciali potest transire vel assumi ad regimen curae parochialis. Hoc autem non esset nisi status parochialis esset perfectior quam status simplicis monachi, et nisi in hoc monachus ab inferiori statu ad superiorem ascenderet; quia religiosus quicumque non potest³ de licentia sui superioris descendere ad statum inferiorem, puta intrare religionem laxiorem vel huiusmodi. Patet ergo quod monachus simpliciter ascendit ad statum perfectiorem quando curatus efficitur, et descendit quando curam deserens ad monasterium revertitur.

cod. V
fol. 69 R^b

Per⁴ hoc etiam patet quod, si propter hoc esset status religiosorum perfectior quam praelatorum eo quod vita contemplativa est perfectior quam activa, et religiosi magis insistunt contemplativae, praelati magis activae, tunc religiosi cum efficerentur episcopi descenderent a statu perfectiori ad imperfectiorem. Et hoc fieri deberet ex dispensatione, quia etiam religiosi facti praelati ita impediuntur a contemplatione, sicut saeculares facti episcopi. Et quantum ad id quod pertinet ad vitam contemplativam et activam non videntur differre episcopus religiosus et episcopus saecularis, supposito quod uterque faciat id quod status episcopalis requirit. Sicut ergo, cum quis religiosus assumptus est ad curam episcopalem, dicitur quod est in statu perfectiori quam esset prius et quam sunt alii in religione sua remanentes, ita debet dici cum assumptus est ad curam parochialem. Si autem arguatur contra praedicta quod status religiosorum est perfectior statu quorumcumque

¹ solvandi PC. — ² contingerit C. — ³ poterit C. — ⁴ et per PC.

praelatorum, quia status religiosorum videtur esse status contemplativorum; status autem praelatorum videtur esse status activorum, quia circa opera activae principaliter videtur insistere praelatus, secundum quod praelatus; sed vita contemplativa est simpliciter perfectior quam activa; ergo et cetera, — ad hoc est dicendum, quantum sufficit ad propositum, quod aliquis status potest dici status perfectionis dupliciter: uno modo, quia ratione suae eminentiae homines iam perfectos requirit et sic quodammodo perfectionem includit; et hoc modo status praelatorum dicitur status perfectionis; alio modo quia, licet non requirat homines iam perfectos, includit tamen instrumenta adiuvantia ad perfectionis assecutionem et exigit homines non quidem iam perfectos, sed qui adiutorio talium instrumentorum sic se exercent in operibus virtutum in quibus perfectio per se consistit, quod ad perfectionis adeptionem valeant pervenire; et hoc modo status religionis dicitur esse status perfectionis. Et quia status ille qui requirit homines sic perfectos quod etiam ad ipsos pertinet aliquos¹ perficere est perfectior quam status ille qui non exigit primo et per se perfectos, sed perficiendos et compatitur imperfectos; ideo, ut dictum est, status praelatorum est simpliciter perfectior quam status religiosorum. Quia enim quantum ad affectum praelatus debet esse perfectior, utpote perfectiorem caritatem habens, quia in quantum talis, prae ceteris debet esse promptus et paratus ad exponendum se morti pro salute proximorum. Item, quantum ad intellectum et speculationem, quia etiam alios habet instruere in spiritualibus et deviantes dirigere et errores corrigere et etiam ad ardua in speculatione elevare. Ideo status praelatorum est simpliciter perfectior statu religiosorum in quantum, ut dictum est, status praelationis requirit hominem multo perfectiorem quam status religionis.

cod. P
fol. 26 R^b

Sed si consideretur usus et exercitium operationum utriusque status, cum opera contemplativae simpliciter sint eminentiora quam activae, status autem praelati ut plurimum requirit exercitium² operationum³ activarum propter necessitatem et indigentiam subditorum et ut in paucioribus potest manere in exercitio contemplativarum, e converso autem videtur esse de statu religiosorum secundum hoc, videtur status religionis esse perfectior, id est, ad usum et executionem operationum perfectorum⁴ aptior⁵. Unde unicuique homini tamquam melius et perfectius simpliciter magis est eligendum simpliciter et absolute esse dignum praelatione sive statu praelationis quam statu religionis; sed magis eligenda est facultas exer-

cod. C
fol. 12 V^a

cod. P
fol. 26 V^a

¹ alios C. — ² et *add.* C. — ³ operationem C. — ⁴ perfectiorum C. — ⁵ aptiorum 2^a m. C.

cod. V
fol. 69 Va

cendi opera contemplativa religiosi quam activa praelati. Et ideo quia ¹ in statu religionis sic perfectus existens quod etiam dignus esset praelatione, ut plurimum potest exercere opera contemplativa et ut in paucioribus oportet eum circa activa opera ² occupari; e contra autem est in statu praelationis; — ideo talis magis debet eligere statum religionis, sive statum talem in quo absolutus a curis exterioribus possit magis perfecte et magis continue contemplationi vacare, quam statum praelationis, | sive statum in quo oportet eum ut plurimum sic circa activae opera occupari, quia ³ raro et modicum licet ei vacare quieti contemplationis. Nec talem statum debet eligere simpliciter et absolute tamquam meliorem et perfectiorem sibi simpliciter et absolute, sed tamquam magis necessarium ⁴ ac utiliorem per se aliis, sibi autem etiam meliorem et magis meritorium, cum propter talem necessitatem vult abstrahi ad tempus ab eo quod secundum se est melius. Et secundum hanc considerationem dicit Apostolus ad Philippenses: cupio dissolvi et esse cum Christo, multo magis et cetera; et Augustinus, decimo ⁵ nono de civitate Dei: otium sanctum quaerit caritatis veritas ⁶, negotium sanctum suscipit necessitas caritatis, et cetera. Unde status in quo aliquis possit libere contemplari debet unicuique esse in electione et desiderio simpliciter et semper. Sed status praelationis in quo eum oporteat exterioribus occupari debet esse in patientia et in electione in casu necessitatis.

cod. P
fol. 26 Vb

Ad rationem in contrarium est dicendum quod cum, ut dictum est, ad perfectionem per se et essentialiter pertineant virtutes et actus earum ⁷ de quibus dantur praecepta, consimilia vero instrumentaliter et dispositive, non sic quidem quod perfectio non possit sine illis haberi, sed sic quod melius eorum adiutorio acquiritur et conservatur, ille status ergo est perfectior cuius professores, | secundum quod huiusmodi, perfectius observant praecepta, et in quibus perfectius debent esse virtutes et actus earum. Si ergo sit status cuius professores, secundum quod huiusmodi, perfectius debent observare mandata, etiam si non obligantur ad consilium, quam alius status cuius inde ⁸ professores obligantur ad observationem consiliorum, sed non exigit quod sint perfecti et quod perfecte observent praecepta, ille est perfectior isto. Sic autem est in proposito; quia status praelatorum est sic perfectus quod professores eius idoneos exigit esse perfectos in virtutibus et actibus earum, licet non obliget eos ad observationem omnium consiliorum. Status autem religionis est sic perfectus quod ⁹ inde professores eius non requirit esse perfectos, sed obligatos ad observandum consilia ut eorum adiutorio ab eis

¹ om. C. — ² activa opera] opera activa P. — ³ quod V. — ⁴ necessariam. — ⁵ om. P. — ⁶ caritatis veritas] veritas caritatis PC. — ⁷ eorum P. — ⁸ om. C. — ⁹ iam add. 2^a m. P.

praecepta melius et securius observentur et ¹ ad perfectionis acquisitionem promoveantur. Sed si esset status cuius professores, secundum quod huiusmodi, perfectius observarent praecepta simul et consilia, ille esset perfectior statu cuius professores obligantur solum ad observandum praecepta simpliciter et ² absolute secundum quemcumque gradum. Sed non sic se habet status religiosus respectu status praelatorum. Immo non invenitur talis status cuius professores, secundum quod huiusmodi, teneantur ad perfectam observationem praeceptorum simul etiam et consiliorum. Sed verum est quod status cuius professores, secundum quod huiusmodi, obligantur ad observationem consiliorum ut eorum adiutorio melius et securius serventur praecepta modo supradicto, cuiusmodi est status religionis, est perfectior statu ³ illo cuius professores obligantur solum ad observationem praeceptorum simpliciter et absolute secundum quemcumque gradum, qualis est status hominum communium et saecularium; et secundum hoc procedit obiectio.

Sed adhuc ⁴ potest argui quod immo status religionis sit perfectus sic, quia requirit homines perfectos, quia obligat ab initio professores suos ad perfectionem | et eos requirit perfectos secundum perfectos actus virtutum perfectarum. Cum enim perfectus | contemptus bonorum temporalium, perfecta continentia et perfecta obedientia sint virtutes perfectae, obligare se ad servandam virginitatem quod est perfectissimum in virtute continentiae, et ⁵ ad obediendum in omnibus alicui probo viro quod videtur esse magnae perfectionis in virtute obedientiae, et abrenunciare ⁶ bonis temporalibus, quod pertinet ad paupertatem spiritus et contemptum | bonorum temporalium perfectum; ista, inquam, ad perfectionem pertinent et videntur esse perfecti qui hoc faciunt. Huiusmodi autem sunt religiosi, secundum quod huiusmodi, non autem praelati, secundum quod huiusmodi ⁷; ergo et cetera.

Ad hoc est dicendum quod verum est quod ista sunt opera perfecta ⁸, sic scilicet continere et sic obedire et cetera. Sed sicut non omnis qui obligatus est ad opera virtutum, nec omnis qui facit opera virtutum est virtuosus perfecte, sive perfectus in virtute, scilicet existens perfectus secundum habitum virtutis secundum quem sit sic dispositus ut talia opera faciat ex electione prompte et faciliter ac delectabiliter; ita in proposito non oportet quod in continenti, cum aliquis obligat se ad talia opera perfecta, et illa quantum ad substantiam operis exercet, sit perfectus; sed est in statu et in

cod. C
fol. 12 Vb
cod. P
fol. 27 Ra

cod. V
fol. 69 Vb

¹ ut PC. — ² om. C. — ³ status C. — ⁴ ad hoc C. — ⁵ om. C. — ⁶ abrenunciare P. — ⁷ non — huiusmodi] om. P. — ⁸ facta V.

via acquirendi perfectionem ex usu et exercitio instrumentorum perfectionis et ex frequentia ¹ actuum perfectorum.

QUAESTIO XVII.

Utrum tantum valeat una missa pro pluribus quantum valet cuilibet una sola.

Deinde circa pertinentia ad utrosque ² status scilicet religiosorum et praelatorum communiter querebatur unum pertinens ad officium missae quod per eos exercetur sive celebratur, scilicet tali casu posito quod aliquis sacerdos obligat se ad dicendum missam pro pluribus qui hoc petunt singulatim ³ et a quibus singulis occasione missae dicendae certam pecuniam recepit, utrum tantum valeat una missa pro omnibus quantum valeret cuilibet una sola; aut saltem utrum per unam solam potest satisfacere. Et probatur quod sic; quia maioris valoris est una missa sola propter infinitatem sacrificii quod in illa offertur quam etiam infinita pecunia ⁴. Ergo cum dicens unam solam missam plus det quam accipiat, licite potest hoc fieri.

cod. P
fol. 27 R^b

Contra: si sufficit et tantum valet una missa pro multis quantum singulae pro singulis; ergo sciens quod missa quam desiderat est dicenda pro alio, in aliqua ecclesia frustra daret pecuniam ut pro ipso specialiter talis missa diceretur quae nihilominus dicenda erat et diceretur.

Respondeo dicendum quod si missa dicta pro uno specialiter tantum valet omnibus existentibus in purgatorio sicut illi pro quo dicitur, quaestio locum non haberet. Supponendo ergo ad praesens, quod non valetur, quod cum una missa quantum est de se multis tantum valet sicut uni soli, tum propter virtutem sacrificii infiniti quod in illa offertur, tum propter indivisionem huiusmodi boni quod est in missa quod non secundum diversas portiones a diversis participatur; ergo si plus valet uni quam alii, hoc ex alio contingit: scilicet, ex condicione vel convenienti dispositione eorum pro quibus celebratur et ex condicione missam celebrantis et hoc sacrificium pro indigentibus offerentis. Haec autem dicitur devotio ipsius sacerdotis, non solum devotio personalis caritate informata, sed etiam intentio vel attentio eius actualis, etiam ⁵ si extra caritatem sit ⁶, ut est persona publica et ut est ad hoc officium deputata tanquam minister principalis et summi sacerdotis Christi. Quae debet tamen ⁷ esse rationalis et discreta ⁸ et secundum divinum beneplacitum quantum est possibile regulata et ordinata. Cum enim summus ⁹ Pontifex et sacerdos sit principalis dispensator huiusmodi thesauri: homo autem ut minister efficaciam habet huiusmodi sacrificium ex devotione offerentis ut habet rationem instrumenti a principali sacerdote Christo regulati, cum ergo, ceteris paribus, aliquis debeat orare et bona spiritualia communicare quibusdam plus quam aliis, si forte minus ferventer attenderet actu ad illos ad quos magis attendere deberet, puta si aliquis magis debens offerre huiusmodi sacrificium pro suis parochianis quam pro aliis, nihilominus vellet principalius dirigere intentionem suam ad extraneos, nisi ob causam rationabilem et

¹ sequentia CV. — ² utrosquosque PC. — ³ sigillatim VC. — ⁴ infinita pecunia; pecunia infinita PC. — ⁵ et C. — ⁶ sic PC. — ⁷ debet tamen] tamen debet PC. — ⁸ distincta C. — ⁹ scilicet Christus *add. 2^a m. V.*

specialem, forte non plus valeret ex hoc extraneis quam propriis; | immo defectum voluntatis eius Deus rectificando, effectum huiusmodi¹ sacrificii dirigeret sicut sacerdos deberet diri | gere² | secundum rectam rationem. Similiter etiam si fiat anniversarium alicuius qui ex magna devotione bona multa reliquit ecclesiae et se disposuit quantum potuit ad hoc quod missa quae pro ipso diceretur ei valeret; si forte dicens missam huiusmodi magis actu afficiatur ad alium, non tamen forte propter hoc illi plus valebit quam ei pro quo est missa rationabiliter³ ordinata et instituta.

cod. P
fol. 27 Va
cod. C
fol. 13 Ra
cod. V
fol. 70 Ra

Cum ergo ex devotione rationabili et debito modo regulata offerentis sic valeat missa si aequalem et aequè rationabilem devotionem vel affectionem potest aliquis habere ad plures sicut ad unum, videtur quod aequaliter valeat illis pluribus sicut si quilibet haberet propriam. Si ergo aequè rationabile est quod cor suum ad unum habeat sicut ad alium, et hoc facit in actu quantum ad hoc aequaliter valet, utpote si ambo sunt aequè extranei vel coniuncti sibi vel ecclesiae cuius est minister et aequaliter se disposuerunt et sua devotione et bonorum suorum largitione, sed cum actualis fervor devotionis sit finitus, licet eius radix, scilicet caritas, sit quodammodo infinita virtute, non videtur quod aequalem affectionem talem possit aliquis habere ad plures sicut ad paucos vel unum, sicut etiam non potest aequè perfecta amicitia acquisita haberi ad plures sicut ad paucos. Unde cum diversi singulatim petunt ab uno sacerdote quod dicat missam pro singulis et credit quilibet se habiturum missam propriam, videtur quod sacerdos ad hoc quod petunt non deberet se obligare intendens dicere tantum unam missam pro omnibus nisi hoc omnibus explicaret; quia non debet supponere quod tantum debeat affici ad plures sicut ad unum; et si hoc non facit, videtur esse voluntas eius⁴ cupida et irrationalis. Si autem omnino velint quod ab illo etiam sola missa dicatur, non male facit ille sacerdos et videtur quod, aliis suppositis quae supponenda sunt, tantum valet, praecipue autem | cum pro pluribus dicitur una missa pro quibus non sic rationabiliter possent plures dici, utpote cum parochiani vel canonici plures alicuius ecclesiae qui potius debent procurare sua anniversaria fieri in sua ecclesia sic successive, procurant fieri huiusmodi sua anniversaria quod oportet plura simul⁵ concurrere, quam si diversi sua anniversaria fieri procurarent in extraneis ecclesiis. Et quia hoc fit rationabili et recta intentione secundum ordinationem ecclesiae, credo⁶ quod tantum vel forte plus valet talis una missa dicta pro pluribus quam si singulae pro singulis aliter dicerentur, cum scilicet a sacerdote ecclesiae parochialis huiusmodi dicitur missa pro hominibus qui sunt illi sacerdoti vel ecclesiae specialiter et⁷ magis astricti, ratione cuius magis etiam debent parochiales sacerdotes et etiam ipsi pro quibus est missa dicenda affici ad hoc quod sicut in vita reficiebantur bonis spiritualibus illius ecclesiae, ita etiam post vitam eisdem reficiantur et propter hoc etiam de bonis suis ibi relinquere potius debent. Propter quod cum sacerdos in tali casu facit quod potest et rationabilis⁸ intentio est ex parte utraque⁹ supponendum est quod defectum intentionis fervoris actualis, si esset, supplet summus Sacerdos quantum ad effectum sacramenti et quantum ad efficaciam quam habet virtus missae. Sic ergo videtur dicendum, ut dictum est de canonicis pluribus quorum anniversaria oportet fieri simul una die nec possunt habere nisi unam missam¹⁰, de sacerdotibus curatis respectu suorum parochianorum,

cod. P
fol. 27 Vb

¹ huius PC. — ² deberet dirigere] dirigere deberet PC. — ³ rationaliter V. — ⁴ esse — eius] eius voluntas esse PC. — ⁵ plura simul] simul plura P. — ⁶ credendo PC. — ⁷ om. C. — ⁸ rationalis PC. — ⁹ parte utraque] utraque parte P. — ¹⁰ et *add.* PC.

scilicet quod tantum valet una missa pro pluribus sicut singulae pro singulis aliter celebratae.

Sed non sic videtur rationabile de sacerdotibus quibus non sunt sic astricti illi pro quibus celebrari oportet nec etiam ecclesiae illi in qua missa est celebranda, ut dictum est; et similiter non sic est de religiosis respectu hominum extraneorum. Et ideo non debent¹ bona temporalia recipere pro missa dicenda pro talibus pluribus nisi sic quod, cum¹ promiserunt iam dicere missam tali die pro una persona, non obligent se ad dicendum eadem die pro alia nisi saltem hoc exprimant, scilicet quod iam debent² dicere pro alia; nam non est supponendum quod aliquis vellet habere missam a religioso vel ab alio qui non est deputatus ad dicendum missas pro extraneis, nisi crederet habere solus missam. Sed ab hiis qui volunt missas habere a suis ecclesiis supponendum est quod intendunt habere missas secundum rationalem usum et possibilitatem illius ecclesiae.

cod. V
fol. 70 R^b

cod. P
fol. 28 R^a

Per praedicta patet responsio ad obiecta, quia aliquando tantum potest valere una missa et aliquando non; et dicta est ratio huius.

QUAESTIO XVIII.

Utrum religiosi habentes privilegium tempore interdicti familiares suos recipendi ad divina, post latum interdictum possunt novos familiares recipere.

cod. C
fol. 13 R^b

Deinde circa pertinentia ad religiosos specialiter quaerebantur duo pertinentia ad bona spiritualia quae suis familiaribus communicant. Primum erat utrum religiosi habentes | privilegium virtute cuius tempore interdicti possunt familiares suos recipere ad divina, post latum interdictum possunt de novo facere sibi aliquos familiares quos virtute dicti privilegii cum aliis familiaribus praexistentibus possunt recipere ad divina. Secundum erat utrum bona spiritualia facta per religiosos quorum bonorum faciunt participes non religiosos sibi familiares, tantum valeant multis familiaribus quibus communicantur quantum valerent paucis si non nisi pauci ad illorum bonorum participationem specialiter associarentur.

Et arguebatur³ ad primum quod tales religiosi possunt tales familiares de novo facere et recipere ad divina, quia privilegia principum sunt large et favorabiliter pro his quibus dantur exponenda et intelligenda. Sed hoc contingit si sic fiat. Ergo et cetera.

Contra. Ex hoc sequeretur quod sententia interdicti nullo modo servaretur, quia possent omnes interdictos diversis viis et modis suos familiares facere; hoc autem est inconveniens. Ergo et cetera.

cod. P
fol. 28 R^b

Respondeo dicendum quod privilegia dicuntur quia in aliquo privant legem communem, et quia privatis ad privatos, id est speciales aliquos casus, et ex causa privata vel speciali dantur. Privilegia quantum ad hoc sunt strictissime interpretanda et tenenda, sic quod per ea illi quibus conceduntur aliquid assequantur et cum hoc etiam ius commune, quantum est possibile, observetur, quia semper utilitas communis est praefenda privatae. Cum ergo | talia privilegia dantur, supponendum est quod non in laesionem nimiam iuris communis dantur. Hoc autem fieret si tempore interdicti novos familiares possent tales assumere prout vellent: quia qua ratione unum, eadem ratione alium assu-

¹ om. C. — ² debet. — ³ arguebantur C.

mere possent, et sic vel omnes vel plures interdicti possent a poena interdicti eximi. Quid tamen per familiares debet intelligi et qualis sit forma privilegii hoc ignoro. Si enim familiares intelligantur qui eis obsequuntur secundum aliqua ministeria familiaria et necessaria, utpote panifices vel braxatores vel huiusmodi; qui tamen sic eorum familiares sunt quod ut plurimum circa eorum obsequia occupentur. Non enim propter hoc quod forte semel vel bis apud aliquem panis recipiatur, vel forte pluries, sed valde modicum, sed aliis plus ministrat, talis videtur facere actum propter quem eorum familiaris possit dici. De talibus autem, sicut dictum est, scilicet, in eorum necessariis et determinatis obsequiis plurimum occupatis, videtur rationabile quod possint recipi ad divina tempore interdicti. Et si forte oporteat tales mutari ¹ post latum interdictum, vel quia decedunt vel recedunt vel non bene ministrant, videtur quod novos possint recipere et illos sicut praecedentes recipere ad divina, quia loco eorundem censentur et eadem est causa de istis quae fuit de aliis, nec talia in fraudem aliquo modo | fieri videntur ². Sed si, prioribus manentibus et sufficientibus, vellent alios assumere cum illis, iam non manet ratio eadem, et ideo non licet. Si autem per familiares intelligantur illi qui eis specialius eleemosynas et beneficia solent dare et eorum loca frequentare, non videtur quod de talibus sit intelligendum; quia ex hoc vilesceret ecclesiastica censura quia quam plurimi sic facerent se familiares talibus, ut a sententiis ecclesiasticis eximerentur. Si autem per familiares intelligantur hi qui se conformant talibus religiosi secundum aliquem specialem modum vel ritum vivendo in saeculo ordinatum a dictis fratribus, | sicut dicitur esse alicubi factum, praecipue si hoc sit per ecclesiam confirmatum, tunc videtur etiam de talibus intelligi. Unde propter nimiam extensionem privilegii dati quibusdam super receptione ³ sibi familiarium ad divina arctatur et exponitur illa familiaritas: Extra, de privilegiis: ut privilegia ⁴, ubi dicitur quod per confratres ⁵ intelligere volumus ⁶ illos qui adhuc manentes in saeculo eorum ordini sunt oblatis, mutato ⁷ habitu saeculari, vel eos qui bona sua dederunt, retento sibi usu fructu quamdiu vixerint; alioquin, ut ibi dicitur, si de quibuslibet ipsorum fraternitatem assumentibus fuerit intellectum pro duobus aut tribus denariis annuatim sibi collatis, dissolveretur pariter et vilesceret ecclesiastica disciplina. Per hoc etiam potest adaptatio fieri ad familiares religiosorum qui talia bona non recipiunt sed ministeria vel huiusmodi.

cod. V
fol. 70 Va

cod. P
fol. 28 Va

Et patet responsio ad obiecta.

QUAESTIO XIX.

Utrum bona spiritualia facta per religiosos quorum honorum faciunt participes non religiosos sibi familiares tantum valeant multis quantum valerent paucis.

Consequenter arguebatur ad secundum ⁸ quod talia bona minus valeant multis quam paucis, quia finitum quanto plus communicatur et dividitur tanto pars quaelibet eius minor efficitur et | minus valet. Sed talia bona sunt finita. Ergo cum pluribus communicantur et in plures dividuntur minus est quod unusquisque habet de illis quam si paucioribus communicarentur.

cod. C
fol. 13 Va

¹ imitari PC. — ² fieri videntur] videntur fieri C. — ³ receptionem C. — ⁴ privilegium C. — ⁵ per confratres] post fratres *1^a m.* P, post fratres C, con *suprascripsit 2^a m.* C. — ⁶ nolimus V. — ⁷ imitato PC. — ⁸ arguebatur ad secundum] ad secundum arguebatur C.

Contra. Efficaciora et perfectiora sunt spiritualia quam corporalia. Sed aliqua corporalia beneficia sic communicantur quod non minus habent multi de illis quam pauci, ut patet de communicatione lucis solis et¹ vocis. Ergo similiter debet esse de bonis spiritualibus.

Respondeo dicendum quod bona spiritualia sacramentalia valent ex duobus: et ex ipso opere operato² et ex³ ipso opere operante, id est devotione et dispositione operantis. Alia autem bona, scilicet ieiunia, orationes privatae et cetera talia principaliter valent ex devotione operantis et talia spiritualia quae non communicantur secundum partes, sed indivisibiliter⁴ omnibus, ex hoc non minus valent multis quam paucis, quia unus non recipit partem unam | et alius aliam. Sed quia devotio secundum cursum communem videtur diminui si ad plures minus notos et familiares extendatur, videtur quod talia minus valeant ex hac parte multis quam paucis. Sed tamen, quia etiam secundum devotionem petentium magis vel minus eis valent si multis instent efficaciter et recipientes ipsos recta intentione recipiant, videtur quod eorum efficiere non diminuatur quia supponendum est quod Deus suppleat defectum devotionis si diminuatur secundum actum, cum maneat sufficiens secundum habitum et radicem; sed si nimis faciliter et generaliter recipiant quoscumque, licet melius sit his qui sic ad familiaritatem recipiuntur quod eis talia bona communicentur, quia saltem devotio directa ad ipsos magis quam ad alios aliquid operatur, cum tamen ipsa ratio familiaritatis quamdam specialitatem importet aut non esset utilis talis assumptio ad talem familiaritatem, non videtur quod sit hoc passim et indifferenter faciendum, sed paucis et notabilibus personis.

Per praedicta patet responsio ad obiecta.

QUAESTIO XX

Utrum, posito tali casu quod maritus moriatur tantis debitis obligatus quod sint obligata dotalia et relinquat sola dotalia, uxor et filii tenentur tale debitum restituere.

Deinde circa laicos quaerelatur unum pertinens ad debiti restitutionem: scilicet, posito tali casu quod maritus alicuius mulieris | moriatur tantis debitis obligatus quod pro debitis suis sint obligata dotalia sive ea quae proveniunt ex parte mulieris ipso vivente, et relinquat sola dotalia uxoris uxori⁵ suae et filiis, utrum, inquam, hoc posito, tam uxor quam filii post decessum viri tenentur tale debitum restituere.

Et arguebatur quod sic. Quia res transit cum suo honore. Ergo cum bona quae aliquando fuerunt talis viri ut domini principalis, ipso moriente, transeant ad filium et uxorem, quae, ratione viri, dum vir viveret, erant obligata ad dictam satisfactionem, videtur quod remaneant ad hoc idem obligata cum possidentur a filio vel uxore.

Contra: nullus tenetur satisfacere pro alio a quo non habet aliquid de bonis illius. Sed ita est in proposito, ut videtur: quia pater non habuit ius et dominium in bonis illis, nisi ratione matrimonii. Ergo solum stante matrimonio bona eius fuerunt et, soluto matrimonio per mortem in illis nullum ius sibi competit: quare et cetera.

Respondeo dicendum quod secundum iura maritus sic est dominus rerum dotalium,

cod. P
fol. 23 Vb

cod. V
fol. 70 Vb

cod. P
fol. 29 Ra

¹ om. PC. — ² et ex — operato] om. C. — ³ om. C. — ⁴ indivisibilibus C. — ⁵ om. C.

id est rerum quae ex parte uxoris proveniunt¹, quod ipso dominio realiter et radicaliter apud uxorem remanente, ipse est dispensator et gubernator earum sic quod ex ipsis et fructibus earum debet onera matrimonii sustinere, nec de ipsa substantia dotis debet aliquod diminuere nisi de voluntate mulieris hoc procedat; et super hoc interposito sacramento ad hoc quod si talia alienata fuerint, non possunt repeti per ipsam mulierem; et ideo etiam constante matrimonio, uxor contra maritum vergentem ad inopiam, pro sua dote salvanda potest agere efficaciter. Ex quo patet quod de iure non est convenienda uxor super solutione debitorum mariti nec ea solvere tenetur, nisi ei² in bonis successerit; et tunc etiam si inventarium secundum formam iuris fecerit, non tenetur nisi ad tantum quantum de bonis mariti habuerit³. Similiter etiam filius ratione patris non debet conveniri nec eius debita solvere nisi ei successerit. Secundum enim iura scripta et secundum aequitatem iuris naturalis nemo ex contractu alterius obligatur eum de bonis eius ad ipsum nihil pervenerit. Sed filius quantum ad bona quae ad ipsum ex parte patris proveniunt⁴ est quasi eadem persona cum patre et tenetur de illis satisfacere loco patris. Cum ergo in casu proposito pater nullum ius habuerit in dictis bonis nisi ratione matrimonii et durante matrimonio et illud fuit etiam multum limitatum, ipso mortuo, perit illud ius; et illud naturale dominium quod habebat uxor, etiam vivente marito, licet non usum vel exercitium, redit ad ipsam cum effectu plenario, et omnino liberam habet de illis dispositionem, nisi pro quanto filius ius haereditarium in illis bonis habet in quantum succedere habet matri in illis quae, quia non perveniunt ad ipsum ratione patris, ideo ex illis non tenetur satisfacere pro debitis patris. Immo, esto quod forte secundum aliquam consuetudinem maritus habuit tale ius in illis, matrimonio existente, quod de ipsis potuisset satisfacere, si voluisset, nec uxor contradicere potuisset, tamen si non satisfecit, soluto matrimonio, perit illud ius et revertitur res ad naturam pristinam, prout est consonum iuri naturali et iuri communi scripto. Sed quia diversarum provinciarum diversae sunt consuetudines quae iuribus aequipollent, esset super hoc ad consuetudinem plenius recurrendum, si tamen sit consuetudo rationabilis, non corruptela.

cod. C
fol. 13 Vb

cod. P
fol. 29 Rb

Per praedicta patet responsio ad obiecta.

Explicit quintum⁵ quodlibet magistri Godefridi⁶ de Fontibus. Incipit sextum quodlibet⁷.

¹ perveniunt PC. — ² eis V. — ³ habuit P. — ⁴ perveniunt PC. — ⁵ del. C. — ⁶ Godefridi C. — ⁷ Explicit — quodlibet] om. V; incipit — quodlibet] om. C, incipit secunda quodlibet m. g. de fs, *add. alia manus C.*

QUODLIBETUM SEXTUM

QUAESTIO I.

Utrum, intellectu et voluntate existentibus perfectis habitibus gloriosis, Deus posset se abstrahere.

Quaerebantur quaedam circa Deum et quaedam circa creaturas. Circa Deum quaerebantur duo pertinentia ad eius potentiam.

cod. V
fol. 71 Ra

Primum erat utrum, intellectu et voluntate existentibus ¹ perfectis habitibus gloriosis, Deus posset se sic abstrahere ab intellectu et voluntate, quod nec ² videretur ab intellectu, nec diligeretur a voluntate, aut sic quod videretur ab intellectu sed non diligeretur a voluntate, aut e converso. Secundum erat utrum Deus possit motum qui fuit eundem numero reparare.

Ad primum arguebatur quod non, quia cum Deus sit omnino invariabilis, eo modo quo aliquando se habet ad creaturas semper se habet ad illas; ergo similiter, eodem modo se habente creatura ad Deum, idem est actus creaturae respectu Dei. Sed cum ponitur quod intellectus et voluntas sunt perfecti habitibus gloriosis, ponitur perfecta dispositio illarum potentialium respectu actuum intelligendi et diligendi, et ponitur quod etiam in ista dispositione invariabiliter permaneant. Similiter etiam Deus in eadem dispositione invariabiliter se habet respectu istorum sub ratione obiecti, cum ipse ³ etiam ubique sit praesentialiter; ergo sequitur actus uterque ⁴, scilicet intelligendi et diligendi.

cod. P
fol. 29 Va

Deinde arguebatur quod posset se ⁵ substrahere quantum ad unum actum, ita quod alius actus remaneret ¹ perfectus. Nam quaecumque essentialiter differunt, Deus illa potest ab invicem separare. Sed actus videndi

¹ in *add.* C. — ² quod nec] nec quod C. — ³ *om.* P. — ⁴ utriusque P. — ⁵ *om.* C.

Deum et actus diligendi ipsum sunt essentialiter differentes. Ergo poterit Deus facere quod ab intellectu alicuius immediate videatur vel intelligatur, et tamen ab eius voluntate non diligeretur, vel etiam e converso.

Deinde arguebatur quod etiam naturaliter hoc potest esse, quia voluntas non fertur in aliquid per actum dilectionis nisi sit apprehensum sub ratione boni. Sed aliquis potest Deum intelligere vel videre sub ratione entis vel essentiae suae simpliciter, absque hoc quod intelligat ipsum sub ratione boni. Ergo poterit ipsum intelligere absque hoc quod ipsum diligit. Minor probatur: quia eo quod sapientia et bonitas in Deo differunt ratione, intellectus potest apprehendere Deum sub ratione sapientiae etsi ¹ non apprehenderit ² eum sub ratione bonitatis. Ergo similiter, quia verum et bonum sive etiam Deus ut est obiectum intellectus sub ratione entitatis et suae essentiae absolutae, et ut est obiectum voluntatis sub ratione bonitatis differunt ratione, poterit apprehendi sub una ratione, absque hoc quod sub alia apprehendatur.

Sed contra. Cum beatitudo principaliter consistat in actu intellectus secundum aliquos, secundum hoc posset aliquis esse beatus absque aliquo actu ³ voluntatis.

Contra. Illud etiam quod primo concludebatur arguebatur sic. Eadem videtur esse proportio Dei sub ratione obiecti ad istas potentias et Dei sive suppositi divini sub ratione suppositi ad naturam assumptam. Sed Deus potest se substrahere sub ratione suppositi a natura humana, sic quod naturam assumptam sibi relinqueret nec in se ipsum per modum hypostasis substantificaret. Ergo similiter in proposito: Deus poterit se | substrahere a dictis potentiis sub ratione obiecti, sic quod neutram illarum immutaret.

cod. C
fol. 14 R^a

Et iterum si non posset se substrahere dicto modo, tunc non posset etiam se uni plus manifestare quam alteri, nec uni et eidem aliquando plus, aliquando minus; quod est inconveniens.

Respondeo dicendum quod quaestio proposita supponit unum quod communiter supponitur, licet forte | non appareat quomodo hoc sit necessarium, videlicet quod natura rationalis non ⁴ possit Deum aperte et immediate videre secundum intellectum, nec proportionaliter diligere secundum affectum, nisi utraque potentia sit perfecta et elevata habitu et dispositione supernaturali, quia forte videretur alicui quod natura rationalis, eo quod talis natura, in suis puris naturalibus est capax beatitudinis quae consistit in praedictis actibus voluntatis et intellectus, licet ad huiusmodi beatitu-

cod. P
fol. 29 V^b

¹ et VP. — ² apprehendit PV, 1^a m. C. — ³ vel intentione *add.* 2^a m. C. — ⁴ non om. V, 1^a m. PC.

dinem ¹ ex se et virtute suorum naturalium principiorum non possit per-
 venire. Sed mere gratuite potest se Deus, si vult, in ratione obiecti unire,
 sicut etiam natura rationalis absque aliquo habitu infuso potest assumi a
 supposito divino, licet ponatur de congruo esse in natura nunc assumpta
 aliqua gratia habitualis, sicut etiam ab aliquibus ponitur quod natura
 assumpta perfecta beatitudine frui potest absque tali habitu. Prout enim dicit
 Augustinus ², rationalis natura eo est ad Dei imaginem, quo capax eius est
 particepsque esse potest; est autem secundum sua naturalia ad imaginem
 Dei et cetera. Unde sicut materia prima est in potentia | ad omnem formam
 naturalem recipiendam immediate, sic videtur quod intellectus creatus est
 in potentia ad recipiendum cognitionem cuiuslibet intelligibilis quo capax
 est immediate, si ipsum intelligibile sit ³ praesens in ratione obiecti; et quia
 illud idem secundum rem quod est obiectum intellectus in ratione cognos-
 cendi, est obiectum voluntatis in ratione diligendi, similiter etiam videtur
 quod voluntas sit in potentia ad recipiendum immediate omnem dilectionem
 cuius est capax, praesente diligibili in ratione obiecti. Sed quia hoc non
 tenetur quod hoc sit possibile, quia etiam, esto quod ita esset, adhuc
 haberet locum quaestio praesens quantum ad id difficultatis quod in ea
 videtur esse; ideo supposito, sicut supponitur communiter, quod rationalis
 natura non potest Deum videre vel diligere beatifice, nisi sint eius praedictae
 potentiae per habitus gloriosos elevatae et perfectae, et quod illis habitibus
 inexistentibus Deum sic potest diligere et videre, habet locum praedicta
 quaestio quae secundum deductionem argumentorum videtur duo princi-
 paliter quaerere. Primo, scilicet an Deus possit se substrahere quantum ad
 utramque potentiam quod nec videretur nec diligeretur beatifice, etiam ⁴
 utraque potentia disposita habitu | gloriae. Secundo, supposito quod sic,
 an posset se sic substrahere quantum ad alteram potentiam quod posset
 videri ab intellectu absque hoc quod diligeretur ⁵ et e converso.

cod. V
fol. 71 R^b

cod. P
fol. 30 R^a

Et quantum ad primo quaesitum est dicendum, quod de potentia Dei
 dupliciter loqui possumus, uno modo de potentia eius absoluta, alio modo
 de potentia eius ordinata. Loquendo ergo de eius potentia absoluta, sic
 Deus absque sui ⁶ mutatione potuisset numquam aliquam creaturam fecisse,
 id est esse existentiae non influxisse, et etiam omnem creaturam nunc
 existentem in nihilum redigere, et etiam creaturam quantumcumque perfecte
 dispositam ad perfectionem quamcumque sive substantialem sive acciden-
 talem conservare in esse absque huiusmodi perfectione, huiusmodi perfec-

¹ habitudinem P. — ² scilicet decimo quarto de Trinitate, capitulo decimo quinto *add.*
margin 2^a m. V. — ³ fit PC. — ⁴ et C. — ⁵ diligeretur P. — ⁶ sua.

tionem non influendo vel causando, et iam influxam vel causatam substrahere, sive amplius non ¹ influere. Verbi gratia, corpore humano perfecte organisato ² et disposito ad animae rationalis susceptionem, posset Deus de potentia absoluta animam non creare nec infundere; posset etiam rationalem naturam perfectam habitibus praedictis conservare in esse absque huiusmodi actibus, sive hos actus quorum ipse Deus est causa efficiens non effluere, de quo est quaestio, et iam causatos substrahere sive ab influendo ³ illos cessare, prout dicitur quod de potentia absoluta posset Petrum damnare. Cuius ratio est quod Deus propria et libera voluntate et non ex aliqua necessitate agit absque mutatione sui secundum formam suae voluntatis aeternae. Tamen quia de novo nihil potest velle ad rerum productionem et ad earum conservationem, sicut ergo res iam divina voluntate et actione productas in esse actione sua ⁴ et in esse conservatas posset huiusmodi res in nihilum redigere, huiusmodi suam influentiam voluntate propria et libera substrahendo sive ab influendo cessare, secundum quod dicit Augustinus |.quarto super Genesim ad litteram, dicens quod si aliquando virtus Dei ab eis quae creata sunt regendis cessaret, simul et illorum cessaret species, omnisque natura ⁵ concideret; — ita etiam sua propria voluntate posset perfectiones ad quas recipiendas creatura rationalis est perfecte disposita non influere; et | sic posset se Deus substrahere quod, quantumcumque rationalis natura esset perfecte disposita, nec videretur nec diligeretur ab ea. Unde dicit Augustinus de videndo Deo: non sicut visibilia videntur; supple: videtur Deus in cuius voluntate situm est videri et cuius naturae est non videri; nam ⁶ si non vult non videtur, si vult videtur.

cod. C
fol. 14 R^b

cod. P
fol. 30 R^b

Si vero loquamur de potentia Dei in ordine ad suam sapientiam et praescientiam, sic non posset se substrahere dicto modo. Quia ad hoc Deus dat dictos huiusmodi habitus et dispositiones, ut per hoc dictae potentiae eleventur et dignae fiant ad percipiendum huiusmodi actus a Deo immediate influendos et causandos sua praesentia in ratione obiecti ad hos actus moventis et agentis.

Quantum ad secundo quaesitum vero est dicendum quod non posset se substrahere quantum ad actum videndi et intelligendi, quin substraheret se quantum ad actum diligendi. Nam cum obiectum voluntatis sine cuius praesentia | non potest voluntas esse in actu volendi vel diligendi Deum, non sit res secundum quod est ⁷ aliquid secundum se, sed secundum quod apprehensa ⁸ (sicut enim ⁹ obiectum appetitus sensitivi est bonum appre-

cod. V
fol. 71 V^a

¹ amplius non] non amplius C. — ² organicato C. — ³ in *add.* 2^a m. C. — ⁴ productas — sua] *om.* 1^a m. P. — ⁵ *om.* C. — ⁶ *om.* C. — ⁷ *om.* C. — ⁸ apprehensum *sup.* *ras.* C. — ⁹ vero C.

hensum secundum sensum, ita obiectum voluntatis est bonum apprehensum secundum intellectum, et ideo actus diligendi de necessitate includens suum obiectum, includit etiam actum intelligendi quo habet praesens obiectum, et quo subtracto subtrahitur patet quod impossibile est aliquid diligere nisi cognoscatur, prout dicit Augustinus ¹ quod invisum diligere possimus, incognita autem nequaquam. Si ergo ponatur dilectio beatifica sine cognitione, ponetur et negabitur idem; et sic contradictoria simul erunt; quia in quantum aufertur cognitio, obiectum voluntatis aufertur; quare etiam actus. Item ponendo quod sit dilectio ponitur obiectum.

Sed an possit subtrahere se quantum ad actum diligendi et efficere actum cognoscendi visione aperta, non est ita manifestum. Primo propter hoc quod aliqui ponunt, quod secundum doctrinam Augustini, undecimo de Trinitate, capitulo octavo et nono ², nisi adsit intentio voluntatis ³ copulans ⁴ parentem proli nihil omnino contingit intelligere.

cod. P.
fol. 30 Va

Nec enim potest esse iudicium de re aliqua sine intentione voluntatis; nam quod aliquis dicatur iudicare de aliquo ad quod nullo modo est attentus vel intentus est inconveniens. Dicere autem quod nos intelligimus aliquid de quo nec iudicamus nec iudicare possumus, immo de illo nec sciremus nec possemus iudicare utrum se haberet sic vel sic, et utrum esset hoc vel illud, est falsum et irrationabile. Si ergo virtute divina sic fieret motio in intellectu quod nulla ex hoc fieret motio in voluntate, nullum esset iudicium et per consequens non esset ibi proprie intellectio. Ex hoc autem videtur sequi quod si non contingit intelligere Deum sine velle intelligere absque eo quod concurrat ibi intentio voluntatis, [quod] non contingit intelligere Deum sine diligere ipsum.

Hoc patet ex parte eius quod diligitur. Bonum enim apprehensum est motivum voluntatis. Sicut ergo illud quod nullo modo potest apprehendi sub ratione boni nullo modo potest esse appetibile et ideo nullus potest velle esse miser, sic etiam illud ⁵ quod nullo modo potest apprehendi nisi sub ratione boni, nullo modo potest apprehendi nisi appetatur, et propter hoc quilibet de necessitate vult esse beatus, quia beatitudo non potest apprehendi nisi sub ratione boni. Cum ergo Deus visus non possit apprehendi nisi sub ratione boni, non potest videri nisi diligatur, quia, ut dictum est, non contingit nos aliquid intelligere nisi concurrat ibi intentio voluntatis.

Item hoc patet ex parte modi intelligendi qui non potest esse nisi delectabilis, et quia modus intelligendi Deum est ut unitive feramur in

¹ scilicet decimo de Trinitate capitulo primo *add. marg. alia m. V.* — ² decimo C. — ³ intentio voluntatis] voluntatis intentio C. — ⁴ copulantis C. — ⁵ etiam illud] illud etiam C.

ipsum; ratione modi ergo intelligendi delectabile erit esse in Deo et nunquam averti ab ipso, quod non poterit esse sine dilectione Dei.

Item, hoc patet ex parte ipsorum intelligentium, nam videntes vident quod bonum eorum magis est in Deo quam in se ipsis. Sicut ergo nullus potest non diligere | se ipsum, ita multo magis nullus videns Deum poterit non diligere ipsum. cod. C
fol. 14 Va

Sed iste modus ponendi non videtur valere (1), quia etsi | verum est quod ad hoc quod intellectus possit intelligere proprie vel iudicare requiratur aliquis actus voluntatis, quia scilicet ibi oportet esse attentionem vel intentionem voluntatis, tamen talis actus voluntatis non est ille de quo loquimur, quia actus voluntatis quo amat aliquid apprehensum praesupponit actum intelligendi completum, et quantum ad apprehensionem per ¹ simplicem informationem et quantum ad iudicium superveniens. Et ideo quaecumque circa hoc diffuse dicuntur, nihil faciunt ad propositum. Constat enim quod talis intentio voluntatis etiam est in actu intelligendi pure speculativo, ad quem ulterius proprie non sequitur amor vel dilectio prout nunc loquimur. | cod. P
fol. 30 Vb

Praeterea, constat quod talis intentio voluntatis de qua loquitur Augustinus ita est necessaria respectu actus intelligendi quo intelliguntur mala et fugienda, sicut respectu illius quo intelliguntur bona et diligenda. Si ergo propter huiusmodi intentionem voluntatis oporteret ponere quod bonum cognitum non posset non diligere dilectione de qua nunc loquimur, similiter etiam non posset malum cognosci nisi etiam consimiliter diligeretur, quod est inconveniens manifestum. cod. V
fol. 71 Vb

Cum ulterius dicitur quod nullus potest velle esse miser, ergo nullus potest non velle esse beatus, non sequitur etiam nullo alio supposito. Immo cum dicere quod aliquis non potest velle esse miser nihil aliud sit quam dicere quod non potest diligere et appetere miseriam, et sic negatur actus praesens voluntatis, ita debet inferri quod aliquis non potest odire vel fugere beatitudinem ut ponatur etiam actus voluntatis contrarius affirmatus. Si autem dicatur quod cogitans de miseria non potest eam non detestari et non refugere, tunc debet inferri quod videns beatitudinem non potest eam non appetere et non diligere. Et qui diceret quod Deus posset ² suspendere talem actum voluntatis qui est diligere bonum apprehensum, haberet etiam dicere quod posset suspendere contrarium qui est odire malum appren-

¹ et C. — ² Deus posset] posset Deus C.

(1) Improbat solum rationes dictas huius positionis quae sunt Egdii, non autem improbat positionem *add. in marg. alia manus P.*

cod. P
fol. 31 R^a

sum. Et si arguitur ita esse quod cogitans de miseria, quia | apprehendit illam omnimode sub ratione mali, de necessitate de illa cogitans ipsam refugit, odit et detestatur, ergo ita erit in proposito, diceretur quod verum est, si Deus totaliter permetteret res agere secundum naturas proprias, influens in illis efficientiam causalitatis, secundum quod communiter dicitur influere communi influentia, cogitans sic de miseria ipsam refugeret et odiret; et similiter cogitans de beatitudine ipsam appeteret¹ et diligeret. Sed posito quod Deus posset huiusmodi efficientiam rerum particularium impedire et operationes earum substrahere et suspendere, diceretur quod posset actum intellectus tam respectu miseriae quam respectu beatitudinis conservare, et actus praedictos voluntatis suspendere et substrahere, nisi hoc alio modo quam dictum est improbetur.

Cum dicitur ulterius quod talis modus intelligendi et videndi Deum non est sine delectatione, verum est; sed ista delectatio, etsi sit aliquid pertinens ad voluntatem, non est actus tamen voluntatis quo Deus diligitur, nec etiam consequens talem actum, sed solum consequens actum videndi. Unde quod aliquis sic videns Deum non velit ab ipso separari, hoc non est propter amorem Dei secundum se, sed propter amorem actus videndi qui secundum se² est delectabilis, et quo non vult privari. Videns enim Deum, secundum quod huiusmodi appetit Deum cognoscere, et amat huiusmodi cognitionem, et Deum etiam secundum quod cognitus, non autem ex hoc solum amat eum ut est aliquid³ bonum secundum se diligibile dilectione amicitiae de qua nunc loquimur.

cod. C
fol. 14 V^b
cod. P
fol. 31 R^b

Cum dicitur ulterius quod non potest quis se non diligere, ergo etiam videns Deum non potest ipsum non diligere, dicendum quod hoc non valet; quia qui sic diligit Deum, diligit ipsum dilectione concupiscentiae, scilicet propter bonum proprium, non autem per se dilectione amicitiae de qua nunc loquimur. Licet ergo cognoscens se et volens et amans se esse et vivere, et apprehendens quod ista non possunt sibi inesse nisi Deo existente et vivente, non possit non velle Deum | esse et vivere et ipsum non amare, ex hoc tamen non sequitur quod non possit | eum non diligere secundum quod de dilectione nunc loquimur; immo etiam supposito quod ita esset, quod non posset non diligi sic, constat tamen quod illa dilectio esset alia secundum essentiam et alterius rationis, quia esset dilectio amicitiae.

cod. V
fol. 72 R^a

Sed diceretur quod virtute divina posset manere primus actus diligendi Deum, secundo abstracto et suspenso; ulterius | etiam posset dici quod stante cognitione qua aliquis cognosceret⁴ se ipsum et etiam videret Deum,

¹ ipsam appeteret] appeteret ipsam C. — ² qui — se] secundum se qui C. — ³ aliquid PC. — ⁴ agnosceret PC.

posset Deus substrahere actum quo et se et Deum diligeret, nisi contrarium aliter declaretur, et hoc loquendo de dilectione qua diligitur aliquid secundum se, id est dilectione quae non feratur solum super ipsum actum cognoscendi vel super ipsum obiectum secundum quod cognitum, sive in aliquid solum secundum eius esse cognitum et non in aliquid aliud. Quod enim aliquis sit in actu cognoscendi aliquid ¹ cognoscibile, et ille actus sit eius perfectio, impossibile est quin adsit aliquis actus sive operatio voluntatis, qua scilicet complaceat sibi in illo actu quo sic perficitur, et etiam in eo quod sic cognoscitur in quantum est sic cognitum, et ipsum talem actum et cognitum per ipsum in quantum huiusmodi necessario diligit.

Sed quia talis actus voluntatis non videtur esse aliquid secundum se, sed est quoddam consequens inseparabiliter ad actum talem principalem, — sicut etiam ponitur de delectatione quod est aliquid consequens ad actum perfectum, nec videtur esse possibile quod aliquis percipiat se esse perfectum secundum aliquid non impeditus, quin delectetur in illo, — talis autem actus voluntatis sic inseparabilis ab actu cognoscendi non habet aliam rationem bonitatis vel malitiae quam secundum conditionem actus cognoscendi. Nunc ² autem loquimur de dilectione ut respicit aliquid secundum se, vel secundum aliquid aliud quam solum secundum esse cognitum.

Et ³ ideo circa hoc est ulterius considerandum quod quidam (1) ponunt quod voluntas non movetur proprie ab obiecto, scilicet ⁴ per se et directe, sive ut a causa movente per se, sed indirecte et improprie, scilicet ⁵ metaphysice | ut a causa sine qua non. Hoc autem posito, videtur quod in libera potestate voluntatis sit diligere Deum vel non diligere. Nam si obiectum nihil penitus facit circa voluntatem sive in voluntate, sicut ante praesentationem obiecti non movebatur in ipsum nec moveri poterat, ita praesentato obiecto poterit solum moveri, sed non videtur necessarium quod moveat se in illud. Remotio enim impedimenti negativi vel privativi, cum nihil esset in eo in quo debet esse motio, non facit quod mobile liberum praecipue necessario moveat se. Sed si ex praesentia obiecti per quod dicitur removeri prohibens, contingit aliquo modo quod in mobili possit esse motus qui prius non erat, hoc solum est quod possit se movere, quia tale movens nulla necessitate videtur impelli ad motum, sicut contingit cum removetur prohibens positivum quod violentat et cogit mobile ne moveat se. Voluntas

cod. P
fol. 3t Va

¹ aliquid PC. — ² ut PC. — ³ Et *del.* 2^a m. P: — ⁴ *om.* C. — ⁵ *om.* P.

(1) Henricus de Gandavo, *Quodlibet*, XIII, q. 11 (ed. 1518), t. II, fol. CCCCXXXV, R.; *Quodl.* IX, q. 5, t. II, fol. CCCLX, R. in medio.

enim tali impedimento negativo quod est absentia obiecti non cogitur vel violentatur; obiectum etiam praesentatum non se habet ut materia in quam proprie agit voluntas necessario, cum praesens est sua actualitate, sive suo actu¹ volendi quem habebat antequam obiectum sit ei praesens; sicut sol illuminat illuminabile, cum praesens est luce qua est in actu antequam illuminabile sit praesens. Sed est actus voluntatis respectu obiecti in ipsa voluntate subiective existens in ipsa, causatus² post praesentationem obiecti, et sic non videtur ei dari per obiectum necessitas aliqua ad agendum, sed solum facultas. Quia non datur ei necessitas ut agat in obiectum, quia obiectum non est subiectum huiusmodi actionis; item nec quod agat in se ipsam, quia, ut dictum est, ex praesentia obiecti nulla fit immutatio in ipsa voluntate.

cod. P
fol. 31 Vb

cod. V
fol. 72 Rb

Item, si Deus ut summum bonum moveat voluntatem ad actum suum per aliquem influxum vel affectionem quae ipsam voluntatem determinat et disponit ad hoc quod ab ea effluat suus actus diligendi vel volendi respectu Dei, si illo influxu existente ipsa non moveatur per illum, sed habilitetur et vi suae libertatis possit se movere, quod non posset facere sine illa dispositione, tunc etiam huiusmodi influxus non dat ei quod necessario moveatur, sicut dictum est prius, sed solum quod possit se movere sive³ quod habeat facultatem movendi se, et sic posset voluntas, illo influxu stante, Deum non diligere, sicut dictum est prius.

cod. C
fol. 15 Ra

Item, si Deus actum volitionis non efficeret in voluntate, quia secundum istos obiectum voluntatis non habet rationem causae per se moventis et agentis, sicut efficit actum intellectus in intellectu, non videtur quod sic posset se substrahere a voluntate sicut ab intellectu. Ab intellectu enim subtraheret se⁴ actum intelligendi non influendo sive non efficiendo, vel actum iam influxum per subtractionem dictae influentiae auferendo. Non sic autem a voluntate. Cum enim actum non influeret vel causaret, nec etiam illum proprie subtraheret, nec etiam influentiam aliquam respectu voluntatis videretur subtrahere impediendo et quodam modo detinendo voluntatem, ne in obiectum suum praesens per actum volendi tenderet si vellet. Per hoc enim quod per se impediretur et detineretur ne tenderet volendo in illud ad quod inclinatur, videretur voluntas cogi et violentiam pati, quod naturae suae repugnat. Et hoc modo videretur quod, praesente Deo intellectui per apertam visionem, posset voluntas, si vellet, Deum non diligere; sed Deus non posset facere quin diligeret si ipsa voluntas vellet.

¹ suo actu] actu suo P. — ² creatus P. — ³ id est 2^a m. C. — ⁴ quantum ad *add.* 2^a m. C.

Quod enim aliqui (1) dicunt quod, licet voluntas non movetur ab obiecto, tamen voluntas respectu finis movet se ipsam de necessitate, non potens non moveri a se ipsa in illum, sed respectu aliorum sic movet se quod potest se movere et non movere, hoc dicitur sine ratione.

Posito enim quod obiectum quod est finis nihil plus efficit in voluntatem quam obiectum quod est ad finem, praesente obiecto quod est finis, ita indifferens manet voluntas ad movendum se vel non movendum in illum, sicut praesente eo quod est ad finem. Si dicatur quod immo, quia haec est natura voluntatis ut sic moveat se respectu finis et sic respectu aliorum, hoc etiam dicitur sine ratione. Quia sicut voluntas est una potentia, ita eius est unum formale obiectum, scilicet bonum sub ratione boni; sicut intellectus est una potentia et eius est unum obiectum, scilicet ens sub ratione veri. Sed verum est quod in participantibus rationem horum obiectorum bene est ordo, et ideo etiam et in actibus istarum potentiarum. Nam respectu intellectus ita se habent quod quaedam entia sunt quae sui notitiam per se inducunt, quaedam autem non nisi ex notioribus deducantur. Sed hoc non causat talem differentiam respectu intellectus quod non possit non assentire primis principiis cum apprehenduntur, sed possit non assentire his quae ex ipsis deducuntur, si tamen apprehenduntur ut sunt deducta ex ipsis; licet ut secundum se apprehenduntur, non sic istis de necessitate assentiat intellectus. Sed bene causant hanc differentiam in actibus intellectus et in habitibus correspondentibus, quia una dicitur notitia principiorum, alia conclusionum secundum actum vel secundum habitum. Similiter etiam respectu voluntatis bene est diversitas in participantibus rationem obiecti; quia quaedam sunt per se et primo bona sicut fines; quaedam autem inquantum ordinantur et proficiunt ad illa bona, sicut ea quae sunt ad finem. Sed hoc non faciet talem differentiam quod voluntas respectu finis moveat se de necessitate et respectu aliorum non, sic praecipue quando apprehenduntur sub ratione sub qua ordinantur ad finem, et rationem finis participant, licet ut secundum se apprehenduntur possit voluntas illa non velle, non tamen possit hoc de fine. Sed bene causat huiusmodi diversitas in obiectis diversitatem in actibus quod unus actus est prior alio, et quod secundus non potest esse nisi supposito primo et in virtute illius causatur. Unde sive voluntas moveatur ab obiecto, sive moveat se in obiectum, non est talis differentia ponenda respectu suorum actuum et obiectorum, scilicet

cod. P
fol. 32 Ra

cod. P
fol. 32 Rb
cod. V
fol. 72 Va

(1) Henricus de Gandavo, *Quodl.* III, q. 17, *ad argum.*, t. I, fol. LXXIX, R; *Quodl.* I, q. 16, t. I, fol. XII, V.

quod finem velit ¹ de necessitate non potens illud non velle, et illud quod est ad finem sub hac ratione, scilicet inquantum apprehenditur ut illud quo habito habetur finis et non aliter; vel non ita bene non velit de necessitate ², sed possit illud non velle, stante tamen voluntate finis et tali apprehensione de eo quod est ad finem.

Immo talis differentia est ³ quod finem vult propter se, illud autem quod est ad finem secundum quod huiusmodi, non vult propter se, sed solum propter finem. Et sicut ponentes quod voluntas movetur ab objecto habent ponere quod mota ab aliquo sub ratione finis et facta applicatione ad illud quod est ad talem finem, stante voluntate talis finis et tali apprehensione de eo quod est ad finem, non potest illud quod sic est ad finem non velle, quia cum includat finem impossibile est quod velit finem et non illud — alioquin simul vellet et non vellet finem; — consimiliter etiam ponentes quod voluntas movet seipsam in objectum habent ponere quod, cum movet se in aliquid sub ratione finis modo praedicto, habet se movere in id quod est ad finem. Immo secundum istum modum ponendi, antequam moveat se in finem quemcumque, liberior est respectu illius, quacumque apprehensione stante, sic scilicet ⁴ quod potest se movere vel non movere in illud, | (quia adhuc nihil factum est in voluntate de actu volitionis finis, quia illum non facit obiectum, sed voluntas quae sibi necessitatem non imponit) quam sit respectu eius quod est ad finem, stante volitione ⁵ finis et praedicta deductione et applicatione eius quod est ad finem respectu finis; quia volitio finis est ratio ⁶ etiam volendi illud, et sic volendo finem vult illud implicite, antequam deducatur et applicetur, et cum est deductum | et applicatum non potest illud non velle. Inconveniens ergo est modus ponendi voluntatem exire in actum volendi a se ipsa, obiecto ipsam non movente; quia cum tota ratio agendi et patiendi in se ipsa acciperetur, et ⁷ cum non semper sit in actu, non moveretur nisi quando vellet; et secundum hoc creatura rationalis posset immediate Deum videre absque hoc quod ipsum diligeret.

Sed quicquid sit de hoc, ab aliquibus (1) redditur ratio specialis quare Deus non potest videri nisi diligatur, quia dicunt quod, cum obiectum voluntatis sit bonum, voluntas non potest aliquid nolle vel non velle, nisi quia intellectus cum eo quod in aliquo videt rationem boni vel perfectionis, simul etiam videt in eodem rationem mali vel alicuius defectus. In omni

cod. C
fol. 15 R^b

cod. P
fol. 32 V^a

¹ bis PV. — ² velit de necessitate] de necessitate velit PC. — ³ om. V. — ⁴ etiam C — ⁵ et add. PC. — ⁶ ideo P. — ⁷ om. C.

(1) Henricus de Gandavo, *Quodl.* XII, q. 5, t. II, fol. CCCCLXXXVII, R.

autem ¹ bono creato est invenire aliquod malum, vel saltem aliquem defectum, inquantum in qualibet creatura est bonum diminutum, diminutio autem perfecti boni defectum importat. Et ideo voluntas respectu omnis boni creati est sic indeterminata ² quod potest ipsum ³ velle vel nolle, et nihil potest voluntas non velle vel nolle nisi apprehendatur circa illud alterum illorum ⁴, scilicet ratio boni diminuti vel ratio mali et alicuius defectus. Cum ergo in Deo viso non possit apprehendi aliquod praedictorum, ideo impossibile est quod aliquis videat Deum et quod ⁵ non velit vel diligat ipsum.

Sed istud non valet, quia differt nolle aliquid vel velle non aliquid, et non velle aliquid. Et similiter est intelligendum circa actum diligendi, quia cum dicitur: ego volo bibere vel volo non bibere, actus voluntatis est affirmatus respectu obiecti negati; sed cum dicitur: ego non volo bibere, actus voluntatis simpliciter est negatus. Nunc autem licet verum sit quod voluntas non possit esse in actu volendi affirmato ⁶ respectu alicuius | ut fugibilis vel negati nisi illud apprehenditur sub ratione mali vel defectus, potest tamen actus voluntatis esse simpliciter negatus respectu alicuius, absque hoc quod sic apprehendatur. Et ideo verum est quod sicut Deus non potest appeti vel diligi, nisi apprehendatur sub ratione boni, ita etiam non | potest odiri vel recusari nisi apprehendatur sub ratione alicuius mali vel defectus.

cod. P
fol. 32 V^b

cod. V
fol. 72 V^b

Nunc autem quaestio hoc non quaerit, sed quaerit quaestio utrum sicut Deum non cognoscens potest ipsum non diligere licet non detestari vel refugere vel odire, et hoc quia cum non cognoscitur non est aliquid ⁷ unde actus diligendi causetur, quia incognita diligere non possumus, ita etiam cum Deum quis videt, utrum efficientia actus diligendi et ipse actus diligendi possit suspendi et substrahi omnino a voluntate.

Et videtur esse dicendum quod hoc est impossibile. Nam praesente obiecto sub ratione obiecti potentiae reducibili ⁸ in actum per ipsum, potentiae quidem sufficienter dispositae et nullo modo impeditae ad hoc quod reducatur ad actum, non potest non esse actus. Sed illud quod est ipsa ⁹ bonitas summa per essentiam, esse praesens intellectui sub ratione summi boni et ¹⁰ summe diligibilis est ipsum esse praesens sub ratione obiecti ipsi voluntati, cuius obiectum, ut dictum est, est bonum apprehensum sub ratione boni. Ergo Deum se offerre intellectui sub hac ratione ad cognoscendum, est etiam offerre se voluntati sub hac ratione ad diligendum. Unde Commentator duodecimo ¹¹ Metaphysicae: aliquid desideratur quia aestimatur bonum, et

¹ actu 1^a m. V. — ² determinata C. — ³ ipsam PC, 1^a m. V. — ⁴ istorum PC. — ⁵ om. C. — ⁶ afirmandi C. — ⁷ aliquis P. — ⁸ reducibilis V. — ⁹ propria V, ipsa corr. 2^a m. — ¹⁰ om. C. — ¹¹ 13 C.

quantum aliquid aestimatum fuerit magis bonum et ¹ tantum desiderium erit maius. Desiderium enim est propter aestimationem eius quod est aliquid esse bonum. Unde sicut impossibile est quod aliquid habeat formam gravitatis et non moveatur deorsum, nisi sit prohibitum, ita impossibile est quod aliquid habeat tale obiectum, scilicet summum bonum formale dilectionis obiectum, et non diligat sive feratur in ipsum per actum dilectionis, nisi impediatur. Voluntas autem non potest impedi ab actu suo, supposita praesentia obiecti, nisi ipsa posset cogi vel violentiam pati, sicut contingit in his quae habent formam inclinam² in ² aliqui I, et tamen non moventur ad illud, quia prohibita sunt. Voluntas autem non potest cogi vel impedi; quare et cetera.

cod. P
fol. 33 Ra

Et secundum hanc viam videtur quod etiam Deus hoc facere non posset, scilicet quod videretur et non diligeretur. Quod enim aliquis apprehendat aliquid sub ratione diligibilis et sub hac ratione quod ipsemet apprehendens summe debet eum diligere et hoc iudicat, scilicet] quod summe debet diligere ³, et tamen nec velit nec possit eum diligere, videntur impossibilia. Istis enim stantibus necessario videtur quod saltem appetat Deum diligere; sed hoc non potest nisi diligat, quia actus reflexus supponit principalem. Manifestum ergo videtur quod Deus non posset facere quod in aliquo esset actus cognoscendi ipsum perfecte, et tamen non actus diligendi, etiam secundum potentiam absolutam.

cod. C
fol. 15 Va

Item, sicut dictum est, si cognoscens summe diligibile et sic iudicans, scilicet Deum esse summe diligendum, cum Deum ipsum non diligeret, peccaret. Sicut enim qui diligit non diligenda culpandus est, ita qui non diligit diligenda est culpandus. Si dicatur quod verum est, cum potest diligere ipsa diligenda hoc est concedendum, sed dicendum quod, cum summe diligibile apprehenditur dicto modo, hoc potest voluntas quia habet quicquid ad diligendum requiritur. Sicut enim appetitus naturalis, non potest non esse ⁴ in actu suo naturali quo dicitur naturaliter appetere perfectionem rei cum res habet formam naturalem modo naturali quam consequitur appetitus et inclinatio naturalis, nec potest Deus conservare naturam rei et proprietates eius naturales quin in re ⁵ remaneat huiusmodi appetitus naturalis, ita etiam appetitus animalis qui est cum cognitione non potest non esse in suo actu quo dicitur animal concupiscere, et homo velle cum homo est in actu secundum apprehensionem boni quam consequitur talis appetitus in homine. Sicut enim dictum est de ⁶ appetitu naturali qui

¹ del 2^a m. C. — ² inclinam in] inclinativam ad V. — ³ et hoc — diligere] om. PC. — ⁴ inesse PC. — ⁵ in re] rare P, re C del. 2^a m. — ⁶ om. C.

consequitur praesentiam formae secundum esse naturae, ita dicendum est de appetitu animali qui consequitur praesentiam boni secundum esse apprehensum. Sicut ergo impossibile est quod natura lapidis in esse conservetur a Deo et suspendatur¹ eius appetitus et inclinatio naturalis respectu loci deorsum, ita etiam impossibile videtur quod homo apprehendat bonum omnem perfectionem homini possibilem | includens, et omne malum eius excludens, et possit illud non velle. Unde dicit Augustinus teritiodecimo de Trinitate, capitulo quinto [dicit] quod homines omnes beatitudinem appetunt | et ad hoc natura compellit cui summe bonus creator haec indidit. Apprehensio ergo talis boni et eius dilectio quamvis sint secundum suas proprias essentias sic distinctae quod haec non est illa, sunt tamen sic essentialiter connexa et essentialiter habitudinem habentia, quod unum non potest esse sine alio.

cod. V
fol. 73 R^a

cod. P
fol. 33 R^b

Et per hoc patet responsio ad primum argumentum in oppositum; quia non omnia quae secundum suas essentias differunt possunt abinvicem separari, sicut patet de materia et forma substantiali materiali, quae differunt secundum proprias essentias et tamen una non potest ab alia separari; et similiter correlativa differunt et tamen unum sine alio non potest² in esse correlativo remanere³.

Ad aliud cum dicitur: Deus sub ratione entis simpliciter et veri videtur, et sub alia ratione⁴, scilicet sub ratione boni diligitur, dicendum quod istae diversae rationes non important circa obiectum diversitatem aliquam realem⁵ vel quidditativam⁶, sed solum secundum rationem intelligendi. Unde istae rationes non sunt condiciones obiecti secundum quas scilicet obiectum moveat has potentias, immo potius sunt rationes quaedam sub quibus sic denominatur obiectum in quantum consideratur sub habitudinibus diversis, secundum quas ipsum obiectum existens unum et idem secundum rem diversimode se habet ad has potentias et ipsae potentiae ad illud; quia illud quod est obiectum intellectus ad hoc quod sit obiectum ipsius, non oportet quod importet nisi aliquam entitatem quamcumque, sed ad hoc quod sit obiectum voluntatis oportet quod illa entitas sit talis quod intellectus vel apprehendens illam habeat aliquam conformitatem ad illam, secundum quod apprehenditur, vel secundum commoditatem quae comprehendit rationem utilis et delectabilis vel secundum honestatem. Unde cum illud quod apprehenditur secundum entitatem secundum quam apprehenditur est conveniens apprehendenti altero dictorum modorum, tunc cum hoc quod est obiectum

¹ suspenditur P. — ² sine — potest] non potest sine alio PC. — ³ om. C. — ⁴ alia ratione] ratione alia C. — ⁵ aliquam realem] realem aliquam C. — ⁶ quidditatem C.

intellectus quia ens est etiam obiectum voluntatis et movet voluntatem ad volendum vel amandum, quia talis entitas habet habitudinem talem ad appetentem quia est ei conveniens. Si autem aliquid aliud apprehendatur quod non habeat huiusmodi habitudinem et conformitatem | ad apprehendentem, non est obiectum voluntatis, nec voluntas movetur in illud. Unde si sitiendi offeratur unus potus de quo certum est quod est conveniens sitiendi et apprehenditur illud suae entitatis secundum quod est conveniens, illud erit etiam ¹ obiectum intellectus et voluntatis, ordine quodam, ut dictum est. Si autem offeratur aliud ² in quo non apprehendatur aliquid ³ entitatis secundum quod habeat convenientiam ad sitiendem, nec etiam contrarium, illud poterit esse obiectum intellectus absque hoc quod sit obiectum voluntatis, modo quo nunc loquimur, sic scilicet quod voluntas feratur in illud amore amicitiae vel amore concupiscentiae, licet omne ens sub quacumque ratione entitatis apprehensum, ratione entitatis quam habet, habeat quamdam conformitatem generalem ad apprehendentem cui omne ens placet, et sic aliquo modo sit obiectum voluntatis sibi in omni ente cum quo aliquo modo convenit complacentis. Ex hoc autem quod intellectus et voluntas ⁴ sic diversimode se habent in suis actibus respectu unius et eiusdem obiecti, — in quantum scilicet intellectus movetur ab ipso, sic quod illud apprehendit sicut est, sumitur ratio veri; in quantum verum ⁵ apprehendens per voluntatem fertur in illud ut in sibi conveniens, sumitur ratio boni, — tunc dicendum ad rationem quod videns Deum sub ratione entitatis non potest ipsum non velle, quia videt ipsum secundum entitatem secundum quam habet summam conformitatem ad ipsum perficiendum. Unde non videt ipsum sub ratione veri nec appetit ipsum sub ratione boni, quia, ut dictum est, istae rationes non sunt rationes reales et formales obiectorum, sed ipsa entitas cogniti et voliti. Videt ergo Deum sub ratione suae perfectissimae entitatis quam etiam ⁶ appetit sub ista ratione, quia sub ista etiam est | conveniens in perficiendo apprehendentem. Unde cum entitas apprehensa secundum id quod est habet huiusmodi convenientiam et conformitatem ad apprehendentem et sub tali ratione apprehenditur si perfecte apprehenditur, tunc habet rationem obiecti moventis voluntatem ad actum appetendi; et secundum hoc verum est quod dicitur quod res secundum quod con | veniens movet appetitum, et ex hoc etiam sumitur ratio boni prout dicitur quod bonum, sive res sub ratione boni, est obiectum appetitus. Sicut ergo esuriens non potest apprehendere entitatem cibi, quin apprehendat quod illa entitas est

cod. P
fol. 33 Va
cod. C
fol. 15 Vb

cod. V
fol. 73 Rb

cod. P
fol. 33 Vb

¹ et PC. — ² alius PC. — ³ aliquis P. — ⁴ intellectus et voluntas] voluntas et intellectus P. — ⁵ vero PC, 2^a m. V. — ⁶ om. C.

sibi conveniens, et ipsum secundum id secundum quod imperfectum est perficere potens, et hoc apprehendit ex parte rei, ex hoc ipsum appetit. Ita in proposito est dicendum quod videns Deum sub ratione entitatis sive ut est essentia¹ divinitatis, sive ut est summa cognoscibilitas, videt quod illa entitas habet rationem summae bonitatis et diligibilitatis, et ideo, ut dictum est, non potest cognosci nisi ametur.

Per hoc etiam patet solutio ad argumentum consimile quod ab aliquibus inducitur positum in corpore quaestionis, quod intellectus potest apprehendere obiectum sub ratione entis absolute et pure speculative absque consideratione practica et sub ratione boni et convenientis; non movet autem obiectum appetitum nisi isto secundo modo apprehensum et cetera. Dicendum est enim quod non potest talis cognitio Dei esse sic speculativa quod possit esse sine actione appetitus vel voluntatis diligentis. Nam talis cognitio entis talis cuius entitas non potest apprehendi, cum in se ipsa videtur, nisi ut conveniens et perfectiva imperfectionis apprehendentis, includit summum amorem cogniti. Secus est de cognitione factibilium et agibilium in quibus speculatio potest separari ab actu appetitus et voluntatis, quia perfectio eorum non est tanta quod necessario moveat voluntatem ad eligendum et diligendum ea, propter hoc quod etiam est in eis aliquid per quod potest homo impediri ab aliquibus quae possunt ei esse utilia vel delectabilia; et haec dicta ad istam partem sufficiant.

Sed quia concedere Deum posse aliquid quod tamen non possit, non sic derogat eius potentiae quia hoc non contingit nisi ex impossibilitate ex parte rei, sicut negare eum posse aliquid quod potest quia hoc contingeret ex defectu suae potentiae; quando sermo est de his quae Deus facere potest, debemus esse largissimi in concedendo eum posse omne illud quod non multum mani | festam contradictionem includit. Et ideo licet praedicta videantur probabiliter dicta, tamen ita esse non assero; sed videtur quod, illis non obstantibus, potest dici contrarium; nam si actus et inclinatio voluntatis sit aliqua res et qualitas absoluta in voluntate licet in ea fundetur essentialiter relatio realis ex dependentia quam habet ad obiectum, sicut etiam dicitur de actu intellectus respectu obiecti, cum etiam ille actus sit posterior actu intellectus, videtur quod, | licet actus voluntatis non possit esse sine actu intellectus, tamen virtute divina posset esse actus prior intellectus sine posteriori voluntatis, licet hoc non possit fieri virtute naturali.

cod. P
fol. 34 Ra

cod. C
fol. 16 Ra

Nam Deus sua virtute et influentia omnes effectus nobiliter et immediatius causat quam agentia mediata, et causatos etiam in esse conservat.

¹ esse V.

Sicut ergo potest ab entibus subtrahere influentiam quantum ad existentiam naturalem et sic res omnino non essent, ita videtur quod potest subtrahere influentiam quantum ad perfectiones et operationes quascumque¹ et potest unam et creare et conservare sine alia quae saltem sunt sic² independentes, sicut videtur de actu voluntatis respectu actus intellectus; et sic res omnino non erit in sua operatione vel perfectione. Sicut etiam, manente virtute propria ignis, sic subtraxit suam influentiam Deus quod nihil operatus est quantum ad actum calefactionis, quia nihil nocuit pueris in camino propter defectum influentiae divinae, sine qua ignis sua virtute nihil agere posset; nec diceretur voluntas violentiam pati ex tali negativa divinae influentiae subtractione, quia non impediretur a suo actu aliquo cogente vel positivum impedimentum praestante, | sed solum dictae influentiae negatione, sicut etiam obiecto absente nihil potest velle³ nec tamen cogitur. Et per hoc potest responderi ad rationes adductas in corpore solutionis, quia verum est quod, praesente obiecto potentiae sufficienter dispositae et non existente impedimento, consurgit actio; sed in proposito ponitur impedimentum, scilicet subtractio influentiae causalitatis obiecti virtute divina; unde licet | obiectum sit praesens simpliciter intellectui, quia et secundum realem praesentiam et secundum causalitatis influentiam, non tamen sic est praesens voluntati.

cod. V
fol. 73 Va

cod. P
fol. 34 Rb

Item, verum est quod, existente natura rei quam consequitur appetitus naturalis, non potest fieri quod non insit actus appetitus, gravi enim existente, impossibile est quin appetat esse deorsum, quia talis actus appetendi non est aliqua res absoluta addita super naturam et proprietates naturales rei; unde cum dicitur, grave appetit esse deorsum, licet istud appetere significetur verbaliter et per modum actus et cuiusdam operationis, tamen secundum rem significatam nihil aliud est quam aptitudo lapidis et convenientia quam ex natura sua habet ad locum deorsum et cetera. Sed in⁴ proposito secus est, quia velle et⁵ diligere voluntatis est quidam actus realis absolutus differens realiter a voluntate et ab obiecto, et ideo virtute divina potest fieri ut praesente obiecto in intellectu per actum cognitionis, cum illud non sit id ipsum quod est velle vel diligere, sed huius⁶ est causativum, ideo virtute divina quae potest omnem efficientiam cuiuscumque causae suspendere, potest esse actus cognitivus in intellectu et non erit actus dilectivus in voluntate.

Ad argumentum primum in oppositum pertinens ad dictam⁷ quaes-

¹ quasque P. — ² sunt sic] sic sunt C. — ³ potest velle] velle potest C. — ⁴ om. C. — ⁵ est C. — ⁶ huiusmodi CV. — ⁷ divinam P, 1^a m. C.

tionem est dicendum, quod Deus absque mutatione sui potest substrahere influxum praeexistentem per quod fieret mutatio in intellectu et voluntate, scilicet carentia actuum praeexistentium, sicut absque sui mutatione effluit animam in corpore organico, et sic mutatio in creatura ab esse non animato ¹ ad esse animatum, absque Dei mutatione aliqua. Si enim hoc faceret, ab aeterno disposuisset sic se facturum fuisse; unde similiter cum disponit intellectum et voluntatem dictis habitibus, posset actus praedictos non existentes non influere absque sui mutatione, quia hoc etiam ² ab aeterno disposuisset absque etiam mutatione creaturae, quia talis negatio influxus non requirit aliquam mutationem. Deo ergo ³ eodem modo habente se ad creaturas et e converso creaturis ad Deum, non fieret aliqua mutatio. Sed si Deus substraheret influxum praeexistentem, ut | dictum est, cessaret ab influendo, ipse non aliter se haberet ad creaturam, sed ipso manente in voluntate immutabili qua scilicet voluit illum influxum tantum dare et non plus, creatura aliter se haberet, ut dictum est. Si etiam, dictis potentiis sic dispositis, Deus non influeret dictos actus, verum est quod Deus ex tunc eodem modo se haberet ad ipsas et e converso, quousque influeret voluntate aeterna. Si hoc disposuit et tunc etiam voluntate aeterna immutabili, prosiliret in creatura aliquid quo ipsa mutaretur, non Deus.

cod. P
fol. 34 Va

Ad aliud cum arguitur quod Deus posset unum substrahere sine alio, quia differunt essentialiter, dicendum, sicut prius dictum est, quod non omnia quae essentialiter differunt possunt ab | invicem separari, quia plura talia sunt quae contradictionem includerent. Non enim videtur posse separare materiam ab omni forma, nec formam substantialem materialem a materia, quae essentialiter habent dependentiam abinvicem, licet unum non sit aliud essentialiter. Similiter non potest Deus abinvicem separare unum relativorum ab alio relativo manente secundum actum in altero. Similiter nec in proposito: actum unum ab alio potest separare, sic quidem quod actu priori intellectus non existente, posset actus voluntatis posterior manere, quia hoc contradictionem includeret ut patet intuenti. Cum vero dicitur quod aliquis | esset simpliciter beatus absque dilectione Dei, dicendum quod sic pro quanto haberet actum principaliorem beatitudinis. Sed quia etiam dilectionis actus ad eum requiritur, ut alias dictum est, non esset omnino perfecte beatus.

cod. C
fol. 16 Rb

cod. V
fol. 73 Vb

Ad illud vero quod dicitur in corpore quaestionis quod, praemissis condicionibus stantibus, scilicet quod iudicaret intelligens Deum esse summe diligibile et quod summe diligendus esset a se ipso, ergo oporteret eum

¹ nominato P. — ² hoc etiam] etiam hoc C. — ³ Deo ergo] in Deo ergo ideo 2^a m. C.

cod. P
fol. 34 V^b

appetere, ipsum diligere; dicendum est quod non oporteret, immo etiam¹ hunc appetitum et omnem actum voluntatis posset Deus substrahere non aliquid tollendo, sed ad talem actum non influendo, ut dictum est. Unde sicut omnino non cognoscens non potest diligere et non peccat, quia nec diligit nec vult diligere, ita cognoscens, cum substrahitur a cognito | efficientia causalitatis actus diligendi, non potest diligere et ideo etiam non peccat quia nec diligit nec vult diligere. Non velle enim diligere, prout puram negationem importat, non est peccatum; sed non velle diligere quando diligi potest et debet, et velle non diligere sunt mala.

QUAESTIO II.

Utrum Deus possit eundem motum numero qui fuit reparare.

Post hoc quaerebatur utrum Deus possit eundem motum numero qui fuit reparare. Et arguebatur quod sic; quia non minoris potentiae est Deus respectu successivorum quam respectu permanentium. Sed Deus potest permanentia quae fuerunt, eadem numero reparare; ergo et cetera.

Contra. Deus non potest facere quod praeteritum sit praesens, quia iam non esset praeteritum, nec quod pars motus praecedens sit cum posteriori parte motus vel post illam. Sed hoc contingeret, si eundem motum numero repararet; ergo² et cetera.

Respondeo dicendum, quod Deus cuius potentia est infinita potest quicquid est possibile fieri. Possibile est autem fieri id quod enti universaliter non opponitur; hoc autem est quicquid contradictionem non importat. Ea ergo quorum reparatio secundum identitatem numeralem contradictionem implicat Deus non potest eadem numero reparare. Talia autem sunt omnia quorum esse consistit in fieri et successione, sive quorum esse non est totum simul, nec partes essentielles et quantitativas simul habere possunt, sed secundum ordinem et successionem durationis secundum prius et posterius. De numero autem talium est motus; quare motum eundem numero non potest reparare Deus. Quia enim³ unitas talium in sua ratione includit durationis continuitatem, eorum interruptio repugnat unitati talium, et ideo cum, motu aliquo desinente, non possit habere continuitatem cum illo qui

¹ et C. — ² om. V. — ³ om. C.

postea habet esse; quia interruptio facta est et ¹ intercidit tempus medium, propter quod non potest eodem tempore mensurari motus prius existens, et postea existens; ideo oportet esse alium numero. Motus enim secundum numerum temporis et divisionem necessario dividitur et numeratur. Ergo una pars praecedens in motu non potest esse alia pars sequens in eodem motu, nec mensurari eadem parte temporis, licet ambae sint partes unius motus propter continuationem eorum inter se et sic mensurarentur eodem tempore, continuo habente etiam plures partes continuas, sicut etiam nullum tempus praecedens potest esse unum cum tempore sequente, intercidente interruptione, sed oportet quod sint duo quaedam tempora numero differentia et distincta. Huius ² autem ratio est quod ³ talia sic constituuntur ex suis partibus quod una existente alia non potest existere, quia omnes habent esse in continuo et successivo fieri. Unde sicut una existente non potest alia simul existere cum illa, ita etiam cum una praeterit et alia est in fieri, alia quae praeterit non potest eadem numero reparari, alioquin pars prior et posterior simul essent, et aliquid simul esset in diversis spatiis et temporibus, et simul diversis motibus numero moveretur. Quod sic patet: moveatur aliquod corpus ab uno termino *a* ad alium terminum *c* per *b* medium. Si Deus posset hunc motum cum desierit reparare eundem numero, ita etiam cum prima pars | ab *a* usque *b* desierit, posset illam reparare. Ponatur ergo quod repararet ⁴ | statim cum desiit. Sed tunc mobile movetur *a* *b* in *c*; ergo simul movebitur ab *a* in *b* et *a* *b* in *c*, et pars motus quae fuit in tempore praeterito esse habebit ⁵ in spatio et in tempore posteriori: quae omnia sunt impossibilia, immo impossibilia.

cod. P
fol. 35 Ra

cod. V
fol. 74 Ra
cod. C
fol. 16 Va

Sed non sic contingit in permanentibus, quorum unitas non sic per se et directe includit unitatem continuitatis et continuitatem durationis, quorum scilicet esse non consistit in fieri, nec eorum partes constituunt ipsa secundum successionem, sed simul habent esse in ipsis in facto esse, et ideo talibus non repugnat quod secundum se tota et secundum quamlibet partem suam habeant esse in diversis temporibus, et ideo eis ⁶ non repugnat quod postquam sunt corrupta, iterum eadem numero habeant esse, si sit qui sua ⁷ potentia illa valeat reparare.

Nunc autem quia talia naturaliter non producuntur in esse nisi per motum successivum secundum quem agentia naturalia producunt suos effectus, et ipse motus non potest idem numero reparari ⁸, ideo ab agente naturali non possunt talia cum fuerint corrupta eadem numero reparari.

¹ om. C. — ² huiusmodi V. — ³ quia PC. — ⁴ reparaet PC. — ⁵ esse habebit] habebit esse P. — ⁶ om. PC. — ⁷ qui sua] sua qui C. — ⁸ separari PC et *ra m.* V.

cod. P
fol. 35 R^b

Immo etiam nec a Deo agente possent per eundem motum per quem producta fuerunt in esse reparari, quia nec illum motum posset Deus eundem | numero reparare. Sed quia Deus potest agere sine causis mediis et absque motu, ideo potest talia eadem numero reparare.

Ad argumentum in oppositum est dicendum quod verum est quod non minus potens est Deus respectu successivorum quam respectu permanentium, quantum ad id quod natum est subici alicui potentiae. Sed entia successiva sic differunt a permanentibus quod eorum reparatio includit contradictionem et excludit omnem possibilitatem, et ideo nullius potentiae subesse potest. Sed non sic est de entibus permanentibus, ut dictum est. Ideo et cetera.

QUAESTIO III

Utrum Corpus Christi gloriosum quod est in caelo habet vere esse in altari sub speciebus panis.

Deinde circa creaturas quaerebantur quaedam pertinentia ad naturam creatam a natura divina in unitate suppositi assumptam¹, quaedam vero circa alias creaturas puras.

cod. P
fol. 35 V^a

Circa primam quaerebatur unum, videlicet utrum verum Corpus Christi gloriosum quod est in caelo habet vere esse in altari sub speciebus panis. Et arguebatur quod non, quia dicitur — de consecratione, distinctione secunda, capitulo: prima quidem. — quod cum dixisset Iesus illud Iohannis, sexto: nisi quis manducaverit meam carnem et biberit meum sanguinem non habebit vitam aeternam, quidam propter duritiam sermonis recesserunt et tunc Iesus alios instruens quomodo² hoc esset intelligendum dixit: Spiritus est qui vivificat, caro nihil prodest; et ita spiritualiter intelligite quae³ locutus sum, non hoc corpus quod videtis manducaturi estis; sacramentum quod vobis commendavi spiritualiter⁴ intellectum vivificabit vos. Caro autem non prodest quicquam. Et infra⁵: donec finiatur saeculum sursum est Dominus. Sed tamen etiam vobiscum est haec⁶ veritas Dominus. Corpus enim in quo resurrexit in uno loco esse oportet, veritas autem eius ubique est diffusa. Ex istis videtur quod verum Corpus Christi non sit in altari quia, ut exponit Augustinus, verba Christi spiritualiter sic sunt intelligenda quod non illud Corpus quod videbatur sumitur in sacramento, prout etiam dicit in fine: verum Corpus Christi est in⁷ uno solo loco, scilicet in caelo; quare et cetera. Et etiam rubrica huius⁸ capituli dicit: non carnaliter sed spiritualiter Corpus Christi et sanguinem Christi debemus accipere.

Contra. Non minus potens est virtus divina ad convertendum substantiam panis in substantiam corporis sui in caelo existentis quam ad producendum ex nihilo quamcumque creaturam. Ergo cum constet ipsum omnia produxisse⁹ ex nihilo, potest etiam substantiam aliquam in corporis sui substantiam convertere. Unde dicitur eadem distinctione, capitulo: quia Corpus: sicut ad nutum praecipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa

¹ assumpta V. — ² qualiter PC. — ³ quod VP. — ⁴ supernaturaliter C. — ⁵ ita PC. — ⁶ haec om. P. — ⁷ cm. P. — ⁸ huiusmodi V. — ⁹ omnia produxisse] produxisse omnia PC.

caelorum, ita pari potestate in substantiam corporis sui visibiles creaturas convertit, et cetera.

Respondeo dicendum quod Corpus Christi | non figurative vel signative sive sicut in signo est in altari, sed vere et realiter, mediantibus dimensionibus panis, est in eodem loco in quo panis erat et adhuc esset substantia panis si dictis dimensionibus afficeretur sicut ante conversionem afficiebatur eisdem.

cod. V
fol. 71 R^b

Dupliciter enim potest aliquid ¹ habere esse in aliquo loco vere et realiter: uno modo per se et directe et immediate, et sic est aliquid in loco cum per dimensiones suas proprias quibus per se afficitur est in illo loco quo ipsum secundum huiusmodi dimensiones circumscribitur et quibus huiusmodi locum occupat et replet; et sic Corpus Christi non potest esse nisi in uno loco et sic est modo in caelo. Nec potest hoc modo habere esse in alio loco nisi per eius motum localem quo ad locum alium transferatur, sicut etiam substantia panis ante eius conversionem est in loco determinato mediantibus dimensionibus suis quibus afficitur.

Alio modo potest aliquid ² esse in loco realiter et vere per accidens et mediate sive per aliud. Sic est aliquid in | loco aliquo cum aliquid quod per suas dimensiones existens in aliquo loco convertitur in aliquid aliud quantum ad suam substantiam, dimensionibus per quas conversum erat in loco remanentibus; et sic Corpus Christi sine sui mutatione, sed alterius in ipsum conversione, potest esse de novo in aliquo uno loco ubi prius non erat vel etiam simul in pluribus locis secundum quod plura in ipsum converti possunt. Cum ergo substantia panis quae vere est in loco vere etiam convertatur et transsubstantietur | in verum Corpus Christi, dictis dimensionibus in loco sicut prius remanentibus nec aliquid aliud afficientibus, et huiusmodi panis non adnihilatur, sed in illud quod verius est et nobilius ³ transit et quodam modo conservatur, ipsum Corpus Christi sic in se quodam modo continens et conservans substantiam panis non adnihilatam, sed dicto modo in se transsubstantiatam et conversam, vere est ibi ⁴ mediantibus dictis dimensionibus quae factae sunt iam ipsius corporis Christi, non quidem ipsum afficientes et ei inhaerentes, sed ipsum ratione eius quod afficiebant — quia sic ⁵ conversum est et ⁶ factum id ipsum quod Corpus Christi — ad locum eundem determinantes ad quem etiam id quod conversum est sic per ipsas prius secundum se solum antequam converteretur determinabatur, et nunc etiam illud in quod conversum est (quia, ut dictum est, non adnihilatur) per ipsum sic conversum sive ipsum conversum ut existens id ipsum quod est illud in quod est conversum adhuc determinatur. Unde quia substantia panis erat subiectum illarum dimensionum, erat ibi realiter et localiter eo quod ad locum illum mediantibus suis propriis dimensionibus comparabatur; corpus vero Christi, quia illis dimensionibus non afficitur nec sunt eius per informationem et inhaerentiam, non potest ibi esse localiter. Sed quia ipsa substantia corporis Christi succedit ibi substantiae panis quae in Corpus Christi totaliter est conversa et non est adnihilata, ideo est ibi realiter et vere quamdiu dictae dimensiones remanent sub eadem dispositione et habitudine qua ipsam ⁷ substantiam panis afficiebant et afficere potuissent. Quantum ad hoc ergo quod Corpus Christi comparatur ad locum talem, mediantibus dimensionibus alienis, pro tanto, quia illis non informatur nec afficitur nec illae sunt suae proprie et per se, id est, suam propriam naturam humanam naturaliter

cod. C
fol. 16 V^b

cod. P
fol. 35 V^b

¹ aliquis V. — ² aliquis V. — ³ est — nobilius] et nobilius est PC. — ⁴ ibi om. PV. — ⁵ se C. — ⁶ est et] et est C. — ⁷ om. C.

cod. V
fol. 74 Va
cod. P
fol. 36 Ra

consequentes et sibi ratione huiusmodi suae naturae secundum se competentes secundum quas per se habet esse in loco et loco commensurari, dicitur ibi non esse localiter. Quantum ad hoc vero quod dimensionibus illis manentibus succedit verum Corpus Christi substantiae panis dicto modo in ipsum Corpus Christi vere et realiter conversae dicitur ibi esse non signative vel figurative, sed vere et realiter — sacramentaliter tamen ¹ —; unde si sit aliqua hostia non consecrata sed similis consecratae et ad consecrandum ordinata et disposita, Corpus Christi non diceretur esse ubi est talis hostia non solum localiter, sed nec vere nec realiter, sed solum signative ² sive ut in signo vel figura, sicut dicitur esse ubi est aliqua imago et similitudo corporis Christi. Sed dicitur vere et realiter esse ubi est hostia consecrata, licet non localiter: et ex hoc patet quod corruptione vel mutatione tali facta circa dictas dimensiones quod non possent esse dimensiones panis existentis, sicut substantia panis per illas non posset habere esse in loco localiter post talem corruptionem, quia in ipsa substantia panis non manerent, ita etiam facta conversione Corpus Christi per tales dimensiones non poterit habere esse ubi ipsae sunt dicto modo sacramentaliter.

cod. C
fol. 17 Ra

Per praedicta patet responsio ad rationem in oppositum ³. Nam cum Augustinus exponens Verba Christi dicit: non hoc Corpus quod videtis manducaturi estis, non intendit excludere veritatem corporis Christi, sed declarare quod non esset manducandum in hac specie qua ab eis videbatur. Unde dicit Magister, libro quarto sententiarum, distinctione decima, ubi tractat hanc materiam ⁴: his verbis quae Augustinus exponit non negatur verum Corpus Christi esse in altari et a fidelibus manducari, sed his verbis instruimur quod ipsum Corpus non per partes discretum ⁵, sed integrum, nec visibile in forma humana, sed invisibiliter sub specie panis et vini Corpus et sanguinem nobis traderet: et sic intelligitur spiritualiter ⁶, id est invisibiliter, quia non in forma humana, apparet, sed sub specie panis et vini operitur et in uno loco tantum est visibiliter secundum formam propriam humanam et tamen verum Corpus est ubique, scilicet ubi hoc sacramentum celebratur et panis consecratur.

QUAESTIO IV.

Utrum substantia creata possit esse immediatum principium alicuius sui actus.

Deinde circa puras creaturas quaerebantur quaedam pertinentia ad naturam ⁷ substantialem generaliter, quaedam vero pertinentia ad naturam accidentalem etiam generaliter, et quaedam pertinentia ad naturam substantialem rationalem specialiter. Circa naturam substantialem in generali quaerebatur unum, scilicet utrum substantia aliqua creata possit esse immediatum principium alicuius sui actus vel suae operationis. Et arguitur quod

¹ om. C. — ² significative V. — ³ opposito C. — ⁴ naturam C. — ⁵ discertum V. — ⁶ supernaturaliter C. — ⁷ materiam C.

sic, quia esse est actio sive actus qui immediate fluit ab essentia¹ | substantiae. Ergo talis operationis est ipsa substantia immediatum principium. cod. P
fol. 36 R^b

Praeterea, vivere est quoddam esse; sed intelligere est quoddam vivere et intelligere est operatio intellectualis. Ergo et cetera.

Contra. Posito sufficienti principio alicuius operationis ponitur illa operatio. Si ergo substantia aliqua, utpote anima, esset sufficiens principium suae operationis, utpote operationis quae est intelligere, semper esset in actu secundum talem operationem. Hoc autem est falsum. Ergo et cetera.

Respondeo dicendum quod alicuius operationis principium potest esse aliquid dupliciter secundum quod duplex est potentia, scilicet in ratione activi et passivi.

Si ergo quaeratur de principio activo respectu operationis vel actionis vel perfectionis alicuius, sic dicendum, prout alias (1) dixi, quod nulla substantia creata est immediatum principium suae operationis vel actionis vel perfectionis. Nam huiusmodi operatio vel perfectio aut est transiens extra operantem et est subiective in alio transmutato ab hoc agente, aut est manens in operante subiective in ipso ut eius perfectio existens.

De primo sic videtur. Nam quaedam sunt naturalia agentia sive materialia. Haec autem non agunt immediate per suam substantiam, nam cum non attingunt immediate et per se ad nudam substantiam materiae transmutabilis ut secundum se aliquid est, sed secundum quod existit sub determinatis formis et dispositionibus, — quia ut sic solum est transmutabilis ab agente creato, et huiusmodi dispositiones entis praeexistentis in quod agit agens naturale abiciuntur et contrariae inducuntur actione agentis, hoc autem non potest esse nisi agat etiam per aliquas dispositiones contrarias, — unde quia tale agens primo inducit formam accidentalem convenientem sibi in quantum etiam corrumpit contrariam disconvenientem, ideo etiam immediate agit per aliquam dispositionem accidentalem sive suae substantiae additam. Unde secundum Commentatorem, septimo² Metaphysicae: elementa nec agunt nec patiuntur nisi per qualitates, non per formas substantiales. Est tamen forma substantialis id in cuius virtute potentia activa accidentalis operatur, et sic non negatur, sicut aliqui videntur aliis imponere, substantiam | creatam esse potentiam activam. Non enim hoc negatur cum dicatur quod ipsa est potentia activa principalis et dispositio quae est accidens est | quasi instrumentalis. cod. V
fol. 74 V^b

cod. P
fol. 36 V^a

¹ esse VC. — ² sexto V.

(1) *Quodl.* II, 4 (t. II, p. 80).

Hoc etiam patet in agentibus intellectualibus, scilicet anima et angelo. Nam cum non agunt aliquid extra se nisi modo artis et intellectu practico et sic per intellectum et voluntatem, constat autem quod ars sive actus intelligendi et volendi sunt aliquae dispositiones additae naturae intellectuali, etiam si potentiae animae et angeli non differunt¹ realiter ab ipsis, non nisi per aliquid ab eis differens efficiunt aliquid in rebus extra.

Deinde quantum ad operationem vel actum sive perfectionem intra manentem, etiam² videtur dicendum quod substantia nullius talis actus per se ipsam sit principium activum. Nam, aut talis³ actus est naturalis et inseparabilis, vel est adventitius et separabilis. Si primo modo, tunc substantia non potest esse causa efficiens illius sic quod de non esse producat ipsum in esse, nam simul producitur talis actus in esse cum ipsa substantia et ideo ab eo a quo producta est ipsa substantia in esse, est etiam productus huiusmodi actus. Nam generans producens aliquam naturam dat ei etiam⁴ et producit simul cum ea omnia accidentia eius propria sive inseparabilia, quia simul sunt et ab eodem generatio simpliciter substantiae et generatio secundum quid omnium suorum accidentium talium.

Unde non videtur bene dictum quod generans aliquid⁵ compositum ad quod necessario consequuntur per se accidentia et proprietates quaedam, sic disponat illud quod quantum est de se sit in potentia accidentali ad suum accidens, ex parte materiae quidem sic disponens ipsam ut sit necessitas ad receptionem illius accidentis, et ex parte formae sic disponens ipsam ut sit necessitas ad illius accidentis productionem de potentia materiae. Ut generans ignem disponit materiam ignis ut sit necessitas ad su- | sciendum levitatem et caliditatem, et similiter formam ignis ut sit necessitas producendi illam de sua materia et⁶ hoc totum procedit ex virtute agentis impressa igni et quoad materiam et quoad formam, ut pro tanto dicatur quod generans rem dat ei accidentia per se et operationem illi propriam. Sed hoc non videtur bene dictum; non enim hic habent produci entia naturalia, sed prout iam dictum est, simul est generatio simpliciter et secundum quid et ab eodem. Sed ordine naturae una est prior altera; et sicut per primam educitur forma substantialis ab ipso principali agente de potentia nuda materiae, ita per secundam elucitur accidens per se de toto composito ab eodem. Sicut enim ignis, ut dicit compositum ex forma substantiali et materia, per se generatur prima generatione, ita calidum et rarum tale, ut dicit compositum ex subiecto vel substantia in actu et accidente, per se

cod. C
fol. 17 R^b

cod. P
fol. 36 V^b

¹ differant PC. — ² et C. — ³ aut talis¹ ut talis P, talis aut C. — ⁴ ras. C. — ⁵ aliquid C. — ⁶ ut C.

generatur in secunda generatione. Et sicut nihil habet rationem agentis in prima generatione nisi agens quod generat ignem, ita nec in secunda. Sicut enim materia non potest considerari uno modo ut recipiens formam substantialem et alio modo ut agens, quia ipsa secundum se non est nisi recipiens eam ut actum ad quem per se est in potentia, ita etiam totum compositum ex materia et forma substantiali non potest considerari uno modo ut recipiens accidens et alio modo ut efficiens, quia totum est per se subiectum et totum ¹ in potentia per se ² ad huiusmodi accidens. Sicut enim materia sola est quaedam potentia respectu actus substantialis, ita materia cum forma substantiali est quaedam potentia respectu formae accidentalis. Nec videtur bene dictum quod ignis generatus secundum esse substantiale a generante sit in potentia accidentali ad huiusmodi sua accidentia, cum id de cuius natura est quod simul est sub aliquo actu non sit in potentia neque essentiali neque accidentali ad illud. Nec etiam proprie dicitur esse in aliquo dispositio quae est necessitas ad aliquid respectu cuius iam realiter est in actu. Materia enim in fine transmutationis, cum tamen nondum est in actu sub forma, dicitur esse disposita dispositione quae est necessitas, sed cum est sub illa nullo modo; simul autem duratione materia est sub dispositione quae est necessitas ad inductionem formae substantialis primo et accidentium consequentium secundario ordine naturae. Accidens ergo connaturale praecipue et inseparabile non efficitur ab ipsa substantia cuius est, sed a | causa efficiente ipsam substantiam.

cod. V
fol. 75 R^a

Si autem sit adventitium et variabile, ita quod subiectum sit aliquando ³ sub illo actu et aliquando non, cum unum et idem secundum rem non possit esse in potentia et | in actu respectu ⁴ eiusdem, substantia existens in potentia ad aliquem actum secundum se non poterit se educere ad actum secundum illum actum. In hoc ⁵ enim, ut frequenter dictum est, contradictoria implicantur secundum quod idem secundum idem esset in potentia et in actu. Et hoc idem satis patet in substantia simplici, scilicet quod in ea idem secundum idem esset in potentia et in actu respectu eiusdem. Item de substantia composita ex materia et forma. Nam per materiam non habet rationem agendi aliquid in seipsum nec etiam per formam substantialem habet rationem efficiendi accidentia vel in se ipso ⁶ vel in materia vel in toto composito, quia ipsa forma substantialis cum materia est per se subiectum passivum et receptivum omnium actuum posteriorum. Unde non potest dici quod tale compositum ratione suae materiae sit passivum et receptivum

cod. P
fol. 37 R^a

¹ om. PC. — ² in — se] per se in potentia PC. — ³ sit aliquando] aliquando sit PC. — ⁴ om. C. — ⁵ in hoc om. P. — ⁶ ipso om. PC.

alicuius accidentis, et ratione formae activum; quia materia non est receptivum alicuius accidentis ut per se subiectum eius; sed per se subiectum eius est totum compositum quod est ¹ in actu per formam substantialem. Unde per hoc quod materia est susceptiva formae substantialis, est etiam susceptiva, mediante illa, formae accidentalis; quare cum forma substantialis per se et secundum quod est in materia sit una cum materia receptivum accidentis, non potest dici activum respectu illius. Unde dicit Commentator super illud in principio quarti *Metaphysicae*: ens dicitur multis modis, tamen in omnibus dicitur ens quia attribuuntur uni primo enti, scilicet substantiae. Ista attributiones in unoquoque sunt diversae. Praedicamenta enim attributa sunt substantiae, non ² quia est agens aut finis eorum, sed quia constituuntur per illam et est subiectum eorum ³. Dicit etiam Philosophus, primo *Physicorum*, quod subiecta natura cum causa formae est omnium quae fiunt sicut mater. Igitur, cum anima sit quaedam substantia sive forma substantialis, ens in potentia ad operationes et actus cognoscendi et appetendi qui sunt intus manentes, ex praedictis patet quod ipsa per suam nudam substantiam huiusmodi operationes efficere vel elicere non potest, reducendo scilicet se de potentia ad actum secundum illas sine alio agente et movente.

cod. C.
fol. 17 Va

Deinde considerandum circa principium passivum vel receptivum operationum vel actuum sive perfectionum. Et est dicendum quod aliquid in genere substantiae est per se ipsum immediatum principium sui actus sive suae perfectionis substantialis, scilicet substantia prima ⁴; alioquin esset processus in infinitum. Oportet etiam in genere substantiae aliquid esse secundum se ipsum proximum principium suae perfectionis accidentalis, sive significetur per modum actus permanentis ut quantitas, albedo, vel habitus vel huiusmodi, sive per modum operationis quasi trans-euntis et in fieri, ut dealbari; alioquin etiam esset processus in infinitum. Sed circa illos actus vel perfectiones videtur distinguendum, quia quidam sunt connaturales et invariables, quidam autem adventitii et variables ac separabiles; et istorum quidam habent esse in actu completo et in facto esse secundum se et non in fieri vel quasi in fieri sic quod habent esse et conservari in subiecto per naturam subiecti et influentiam agentis universalis absque praesentia agentis ⁵ proximi, ut caliditas et ⁶ raritas et huiusmodi in aliquo corpore; quaedam autem sunt quorum esse non consistit nisi in fieri vel quasi in fieri quorum quidam sunt actus imperfecti et entis

cod. P.
fol. 37 Rb

¹ ens *add.* PC. — ² *om.* C. — ³ *om.* C. — ⁴ prima] primae materiae PV. — ⁵ universalis — agentis] *om.* P. — ⁶ vel PC.

imperfecti secundum quod huiusmodi, ut sunt omnes mutationes secundum formas accidentales de tertia specie qualitatis, quorum esse dependet¹ ex praesentia agentis subiectum secundum tales dispositiones transmutantis; quidam autem sunt actus completi² et perfecti et entis perfecti quorum esse consistit tamen quasi in fieri in quantum dependent continue ex continua praesentia proximi agentis, sicut patet de esse luminis vel intentionis coloris in medio, et simile est de actibus animae qui sunt videre, intelligere, et cetera. De talibus autem dicit Augustinus, octavo super Genesim, capitulo vigesimo sexto: aer praesente lumine non factus est lucidus, sed fit lucidus, quia si factus esset non autem fieret, absente lumine, lucidus maneret. Huiusmodi autem entia dicuntur habere esse quasi in fieri, non quia in esse | eorum sit successio sicut in motu et huiusmodi, sed quia sic dependent in esse suo ab obiecti et agentis praesentialitate, sicut entia vere successiva. Cum ergo sicut est ordo in formis substantialibus respectu materiae, scilicet quod materia non est immediate in potentia ad quamlibet formam, ut scilicet eodem modo sit transmutabilis ad quamlibet formam sed ordine quodam, (ita quod secundum ponentes gradus in formis primo etiam sunt in materia quaedam formae ingenerabiles ut forma substantialitatis et corporeitatis | vel huiusmodi, et superveniunt aliae transmutabiles circa eam ordine quodam; secundum alios autem licet in materia numquam sit nisi una forma³ substantialis, tamen est talis gradus in formis quod est dare primam et ultimam; nam formae elementorum sunt primae⁴ in processu generationis et ultimae in resolutione corruptionis finalis et formae animalium sunt ultimae in processu generationis; unde quia non quilibet immediate fit ex quolibet, ultima forma adveniens materiae praesupponit in materia formas alias praexistisse⁵ licet non maneat⁶ simul cum illis), — ita videtur esse ordo in accidentibus respectu substantiae subiectae. Nam substantia quae secundum se est in potentia ad aliqua accidentia videtur ordine naturae esse prius in potentia ad accidentia propria et inseparabilia quam ad communia et separabilia sive variabilia et praecipue respectu accidentium quae habent esse in fieri vel quasi in fieri. Non enim potest substantia materialis esse immediatum subiectum alicuius transmutationis, nisi sit in actu secundum aliquod accidens aliquo modo fixum; nec potest substantia aliqua illuminari vel immutari intentionaliter nisi etiam habeat aliquod accidens fixum ut diaphaneitatem vel huiusmodi, mediante quo huiusmodi accidentia suscipiat. Unde cum plura accidentia possunt esse simul in uno subiecto, sicut

cod. V
fol. 75 Rb

cod. P
fol. 37 Va

¹ dependent C. — ² completi V. — ³ licet — forma] om. C. — ⁴ et add. C. — ⁵ praexistisse PC. — ⁶ maneat PC.

ponentes plures formas substantiales in eodem ponunt quod in materia non recipitur aliqua forma secundum quam ipsa materia sit transmutabilis quin praesupponatur aliqua alia quasi inseparabilis sive ut magis materialis respectu alterius, ita videtur debere poni in accidentibus quod ubi ponitur circa substantiam aliquis actus accidentalis dicto modo variabilis et praecipue habens esse quasi in fieri, debet poni aliquod accidens aliud permanens, quasi materialis dispositio ad talem actum. Quamvis enim secundum negantes gradus formarum non sit aliqua forma¹ substantialis invariabiliter² in materia mediante qua aliae formae substantiales variabiles circa eam recipiantur in ipsa, hoc autem ponitur in genere formarum accidentalium respectu substantiae in qua nata sunt esse accidentia³; hoc est quia materia cum sit de se in pura potentia nullum actum sibi determinat, quia⁴ pura potentia secundum se perfectibilis est quocumque actu indifferentem. Determinatum enim ad aliquid oportet aliquam actualitatem habere per quam determinet unam rem sibi magis quam aliam. Et ideo, sicut alias fuit determinatum, nulla forma potest invariabiliter esse in materia prima quae dicitur hyle secundum cursum naturae. Unde si in caelo sit vere et proprie materia, et praecipue eadem materia quae est in elementis, caelum est corruptibile per naturam. Sed subiectum accidentis est in actu, et ideo si est in potentia ad accidentia, videtur ex natura sua aliqua sibi secundum suam speciem convenientia determinare.

cod. C
fol. 17 Vb
cod. P
fol. 37 Vb

Secundum praedicta est dicendum quod substantia secundum seipsam bene est principium passivum alicuius sui actus sive perfectionis, non quidem quae sit operatio in fieri vel quasi in fieri existens, sed quae sit accidens aliquod fixum et manens, et praecipue proprium et inseparabile et ipsam secundum rationem suae speciei consequens. Sed respectu posteriorum accidentium et praecipue eorum quae dicto modo habent esse quasi in fieri non est per se immediatum principium etiam passivum.

Et secundum hoc videtur quod operationes animae quae sunt cognoscere et appetere non insunt animae nisi mediantibus aliquibus proprietatibus prioribus ipsam animam fixe et naturaliter perficientibus quae dicuntur potentiae animae. Propter quod videtur quod potentiae animae dicant rem additam ipsi substantiae animae, non quidem relationem vel respectum solum⁵, tum quia respectus sive relatio non est principium activum vel passivum sive ratio agendi vel patiendi, sed magis consequitur rem absolutam cui hoc convenit, tum quia in creaturis nihil advenit substantiae in actu per formam substantialem ut res alia quae⁶ non sit accidens.

cod. V
fol. 75 Va

¹ om. C. — ² invariabilis V; vel liter *scrips. in marg. alia man.* V. — ³ esse accidentia] accidentia esse P. — ⁴ et C. — ⁵ respectum solum] solum respectum C. — ⁶ quod P.

Relatio ergo realis ut res alia ab essentia¹ animae non potest advenire vel inesse ipsi substantiae animae, nisi sit accidens. Sed nulla relatio potest esse accidens nisi fundetur in aliquo accidente absoluto a quo originaliter habet suam realitatem. Propter quod, ut dicit Simplicius super praedicamenta, in capitulo de relatione: si praeordinentur quae in ordine subiectorum praeexistunt his quae ut accidentia superveniunt, palam quod non solum quantum, sed etiam quale praecedit ad aliquid. Nihil ergo potest esse vere relativum² ad genus relationis quae constituit unum praedicamentum inter alia praedicamenta accidentium, quin fundetur | in aliquo accidente abso-

cod P
fol. 38 Ra

luto, quod est quantitas vel qualitas. Ex quo patet quod non videtur valere instantia quae datur contra hanc positionem de relationibus realibus, quae sunt accidentia variabilia circa substantiam et minimam³ entitatem habentia, et tamen fundantur immediate in substantia, ut relatio identitatis et diversitatis inter duas substantias, etiam⁴ si in eis non sit aliquod accidens absolutum. Haec enim instantia falsum supponere videtur. Unum enim in qualitate facit similitudinem quae est de genere accidentis; unum vero in substantia facit relationem identitatis quae non est in genere accidentis, nec dicit rem aliquam additam; sed videtur dicendum quod identitas quae causatur ex uno in substantia non potest poni relatio realis, et hoc videtur esse intentio Aristotelis in praedicamentis quod⁵ nulla substantia sit ad aliquid, et etiam Simplicius in fine capituli de relatione: in substantia secundum se non est relatio, sed omnis relatio quae est in substantia inest ei per aliquod accidens inhaerens. Est ergo identitas relatio rationis de identitate secundum numerum. Hoc satis est manifestum. Similiter etiam cum communitas speciei et generis in qua fundatur identitas secundum genus et speciem sit a ratione⁶ et ens rationis, quia res nulla communis est pluribus distinctis et diversis, oportet quod talis identitas est relatio secundum rationem⁷. Praedicta autem positio concordat his (1) qui dicunt potentias animae differre realiter a substantia animae, hac ratione quod potentia et actus ad idem genus referuntur. Quia ergo operatio animae non est in genere substantiae, et potentiam respectu huiusmodi operationis oportet non esse in genere substantiae. Non enim intelligunt, sicut aliqui arguunt contra ipsos, quod nullum accidens imme-

¹ esse C. — ² relatum PC. — ³ nimiam PC. — ⁴ et C. — ⁵ quae P. — ⁶ a ratione] ratio C.
— ⁷ relatio — rationem] secundum rationem relatio C.

(1) Thomas Aquinas, *Summa Theologica*, I^a, q. LXXVII, a. 1, in corp. et ad quintum.

diatē possit inesse substantiæ, sed quod tale accidens non inest subiecto immediate quod intelligitur ¹ nomine operationis, cuius esse est sic ² variabile et dependens et quasi in fieri existens. Cum argui | tur de esse respectu essentiali dicendum est quod licet esse illud quod dicit dicat per modum actus fluentis, essentiali vero per modum substantiæ quiescentis, tamen ista duo unam et eandem rem ³ simpliciter dicunt. Et sic non est verum quod esse dicat aliquem actum realiter differentem ab ipsa et cuius | ipsa essentiali sit principium. Item cum dicitur ⁴ secundum Augustinum, nono de trinitate, quod intelligere et diligere sunt quaedam vivere sive quaedam vitæ, quare oportet quod subiectum istorum immediatum sit vivens, scilicet anima — nullum enim accidens potest esse quid vivens et cetera, — est dicendum quod sicut distinguimus de esse primo et secundo, ita et de vivere. Primus actus vitæ est viventis per se quod est substantia ⁵ animæ separatae vel substantia composita per animam tamen, secundus est substantiæ mediante sua proprietate. Immo omnia accidentia sunt esse quaedam et sunt entis per se quod est substantia, cuius est esse simpliciter, et ista accidentia sunt principia quarundam actionum quæ etiam sunt esse quaedam et sunt ipsius substantiæ ut principalis agentis, aliorum autem ut rationum agendi. Caliditas ⁶ enim est entitas quaedam, ignis et calere est actus quidam vel esse quoddam eius, sed non substantiale, et ideo licet esse substantiæ sit, non est tamen eius ⁷ secundum se, sed secundum quod calida, et ita de calefacere intelligendum est. Et sic licet intelligere sit vivere et esse quoddam, non est tamen | esse nec vivere substantiale animæ, cum anima manente hoc circa ipsam varietur; et ideo licet sit actus animæ cuius est vivere principaliter, illud tamen non est ⁸ eius nisi mediante sua aliqua ⁹ proprietate.

QUAESTIO V.

Utrum aliquod accidens unum numero possit esse in duobus naturis.

Deinde circa naturam accidentalem in generali quaerebatur unum, scilicet utrum aliquod accidens unum numero possit esse in duobus sub-

¹ intelligunt PC. — ² om. C. — ³ et — rem] bis V. — ⁴ dicit V. — ⁵ substantiæ C. — ⁶ causalitas P. — ⁷ est C; ut forma esse 2^a m. C. — ⁸ om. C. — ⁹ sua aliqua] aliqua sua PC.

stantiis¹. Et arguebatur quod sic: quia una et eadem cicatrix fuit in corpore Petri vivo et mortuo, ut manifestum fuit ad sensum, et tamen corpus Petri vivum et mortuum fuit aliud et aliud secundum substantiam. Ergo et cetera.

Contra: secundum Philosophum, septimo Metaphysicae, accidens non est ens nisi quia est entis scilicet simpliciter quod est substantia. Ergo secundum numerationem huius entis simpliciter, scilicet substantiae, oportet accidens numerari; ergo et cetera.

Respondeo dicendum quod sicut plura accidentia eiusdem speciei non possunt esse simul in eodem subiecto, ita etiam unum accidens, nullo agente, potest esse simul in duobus subiectis. Accidentia enim quae secundum se nullam habent distinctionem, ex esse in eodem subiecto distinctionem non consequuntur, sed unitatem; unde sicut duo puncta non possunt | esse simul in eodem subiecto sed fiunt² unus³ punctus, nec duae lineae, ita nec duae albedines. Sicut enim duas qualitates disparatas, scilicet album et dulce, possibile est esse simul in eodem subiecto, non autem duas contrarias distinctas manentes, immo necessario miscerentur⁴ et facerent unum medium, quamvis secundum se essentialiter abinvicem distinguantur; ita etiam duas qualitates eiusdem speciei sub dualitate manentes impossibile est simul esse, sed oportet quod facerent unam magis vel minus intensam, quia, cum non habeant unde secundum se formaliter distinguantur abinvicem, oportet quod distinguantur per diversitatem subiectorum; vel sic quod sine subiectis, virtute divina, secundum rationem indivisibilitatis, si hoc possibile sit, quaelibet secundum se in esse conservetur et tunc etiam⁵ si sic virtute divina coniungerentur quod una esset in alia vel ambae simul in alio indivisibili, oporteret quod in unum cederent et suas distinctiones amitterent, ut duo puncta vel duae albedines si possibile est divina virtute conservari eas in esse sine dimensione, et postea divina virtute coniungerentur, non manerent distinctae. Et hoc patet per eos qui ponunt habitus augeri vel intendi per additionem eiusdem secundum speciem. Si enim possibilis⁶ est talis additio, manifestum est quod non potest intelligi nisi sic quod additum cum eo cui additur fiat unum numero, sed intensius. Impossibile est ergo quod duo accidentia quae sunt eiusdem rationis et speciei fiant unum subiecto et quod duo maneant et distincta. Cum enim talia plura secundum unam rationem habeant esse in subiecto ratione unius potentiae et non habent perficere

cod. P
fol. 38 Va

¹ subiectis PC. — ² om. C. — ³ unius (?) C. — ⁴ miscerentur V, misceretur *1a m.* P. — ⁵ et C. — ⁶ possibile PC.

unum¹ ordine aliquo neque situs neque naturae, talia duo ambo simul non possunt esse in eodem subiecto quin sint unum.

cod. C
fol. 18 Rb
cod. P
fol. 38 Vb

Nec est instantia quod corpus glorificatum potest esse simul cum non glorificato, quia duo corpora sic simul existentia non habent eundem modum essendi in loco in quo dicuntur simul esse, quia unum est ibi per se et localiter ut commensuratur illi et ipsum occupat; aliud autem non sic, sed solum in eodem loco est cum alio corpore in quantum dimensiones suae positae sunt | vel signatae² iuxta dimensiones alterius, non in quantum sunt occupantes locum et aliis resistentes; unde nec unum est in alio³ ut in subiecto nec ambo sunt in tertio ut in subiecto, sed sunt simul in uno loco, sicut etiam angelus non habens dimensiones est simul in eodem loco cum corpore assumpto. Unum enim corpus quantum existens in loco localiter utitur suis dimensionibus, sed non aliud; et ideo simul possunt esse in eodem loco. Sed duo accidentia, si ponantur simul in eodem subiecto, eundem modum essendi habent; quare non possunt plura esse simul in eodem subiecto.

cod. V
fol. 76 Ra

Similiter⁴ est dicendum quod unum accidens numero non potest aliquo agente esse simul in duobus subiectis; | nam sicut unitas subiecti necessario excludit distinctionem accidentium secundum numerum nisi etiam illa distincta sint secundum speciem, ita diversitas subiectorum necessario excludit unitatem numeralem et facit necessario distinctionem secundum numerum eorum quae insunt ipsis, etiam si specie non differunt.

Nec obstat quod duo corpora sint⁵ simul in uno loco, locus autem non sit in locato sicut in subiecto, cum ex adiacentia loci ad locatum derelinquitur quoddam accidens quod dicitur ubi. Ex quo videtur quod unum accidens potest esse in diversis subiectis, quia ubi est in locato. Sed hoc non valet. Nam cum unum istorum corporum tantum sit in loco proprie localiter, ut dictum est, ideo ubi derelictum ex tali adiacentia loci ad talia corpora est unum numero et non est nisi in illo corpore quod per se et localiter est in loco subiective. Non sic autem est in alio quod non est in loco localiter, quia secundum illum modum quo ibi est, potest maius corpus esse in minori, quod non esset si ibi esset localiter; et ideo illud ubi non est in eo; immo nec in aliquibus duobus potest esse, sicut nec aliquod accidens et hoc simul.

Ex quo patet, licet incidentaliter, quod non potest fieri quod unum corpus numero simul sit in duobus locis per se et localiter, id est, non sacramentaliter nec conversione eius in aliud nec conversione alterius in ipsum; nam cum illud quod est in loco localiter habeat unum accidens

¹ ipsum PC. — ² significatae PC — ³ alia C. — ⁴ etiam *add.* PC. — ⁵ sunt PC.

quod est ubi derelictum ex adiacentia partium corporis in loco (nam licet | locus in locato non sit subiective, ubi tamen est in ipso) non possunt autem duo accidentia eiusdem speciei esse simul in eodem subiecto; unde nec [simul] potest aliqua determinata quantitas alicuius corporis commensurari simul pluribus quantitatibus locorum diversorum. Ideo unum corpus non potest esse localiter ¹ in pluribus locis simul ².

cod. P
fol. 39 Ra

Sed dubium est utrum unum numero accidens ³ successive possit esse in duobus subiectis. Etenim de accidentibus quae nullo modo esse possunt sine subiecto oportet ponere quod non. Quia, deficientibus subiectis et ipsis in subiecto non existentibus, necesse est ipsa deficere. Unde talia perimi possunt, sed transferri nullo modo. Unde si albedo non potest esse sine superficie, tunc eadem albedo quae est in uno corpore non potest ⁴ habere esse in alio corpore in quo eadem superficies non esset. Sed accidentia quae, quocumque agente, possunt habere esse sine subiecto, possunt virtute illius agentis habere esse in diversis subiectis successive; verbi gratia: supponimus quod in sacramento altaris remaneat quantitas cum aliis accidentibus per se sine subiecto, sed supponitur etiam quod postquam desiderint ⁵ esse sine subiecto, scilicet ⁶ sine substantia panis in qua prius erant, posset virtute divina creari ibi aliqua substantia, puta panis consimilis et illis accidentibus afficeretur substantia talis sicut substantia praeexistens afficiebatur eisdem; et sic unum accidens numero posset esse in pluribus subiectis successive. Nam ex numeratione talium subiectorum tale accidens non numeraretur, sed seipso est unum numero, ut patet praecipue de quantitate. Sed utrum naturaliter sive virtute naturalium principiorum vel agentium hoc fieri possit, de aliquibus accidentibus est dubium; et [quia] inter alia accidentia hoc magis ⁷ videtur de quantitate et de accidentibus quae per se in ipsa fundantur ⁸, ut de figura et huiusmodi, et de quibusdam qualitatibus symbolis et communibus generato et corrupto.

Ideo ad huius intellectum est consi | derandum quid est subiectum accidentis; nam si nuda substantia materiae possit esse per se et primo subiectum alicuius accidentis, utpote quantitatis, licet numquam sit ei subiecta nisi simul cum est subiecta ali | cui formae substantiali, sicut nec ipsa materia aliquando habet esse sine forma substantiali, saltem virtute agentis naturalis, et pro tanto diceretur quantitas immediate inesse materiae, quia totum compositum ex materia et forma substantiali per se extenditur extensione ⁹ quantitatis, ita tamen quod forma non advenit nisi materiae iam extensae,

cod. C
fol. 18 Va

cod. P
fol. 39 Rb

¹ simul *add.* PC. — ² *om.* PC. — ³ numero accidens] accidens numero PC. — ⁴ posset PC. — ⁵ desiderunt PC. — ⁶ sed C. — ⁷ hoc magis] magis hoc P. — ⁸ fundatur C. — ⁹ ostensione P.

extensione cuius extenditur; quia de potentia materiae extensae educitur tunc.

cod. V
fol. 76 R^b

Sicut una | et eadem essentia materiae est successive sub diversis formis substantialibus, ita eadem quantitas numero haberet esse successive in duobus subiectis non solum numero sed specie differentibus. Poneretur tamen illa una quantitas habere diversas terminationes secundum diversitatem formarum substantialium; et ipsa sub ratione indeterminationis et indeterminati haberet esse una numero in diversis subiectis dicto modo.

Sed hoc non potest stare, quia nullum accidens primo et immediate, ut scilicet prima perfectio, ordine naturae potest perficere materiam sive inesse materiae; nam cum materia sit potentia in genere substantiae, id quo primo perficitur est actus sive forma in genere substantiae, nec habet ordinem ad aliquod accidens nisi mediante aliquo actu et forma substantiali. Propter ¹ quod dicitur quod ens in pura potentia est subiectum formae substantialis et transmutationis ad eam quae dicitur generatio simpliciter et proprie. Dicitur autem substantia iam ens in actu per formam substantialem, quod est esse in actu simpliciter et in potentia secundum quid, esse subiectum cuiuslibet formae accidentalis et transmutationis ad eam quae dicitur generatio secundum quid, quia est transmutatio ad esse secundum quid sive ad formam quae non dat esse simpliciter sed esse secundum quid. Dicitur enim talis transmutatio esse a subiecto in subiectum, quia ab ente in actu secundum formam substantialem ad tale ens in actu variatum solum secundum quid sive secundum formam accidentalem quam semper praecedit in materia saltem ordine naturae forma substantialis qua subiectum est in actu simpliciter. Unde nec sic potuit intelligere Commentator quantitatem sive dimensionem ² quamcumque sive terminatam sive indeterminatam praecedentem formam substantialem in materia. Unde secundum hunc modum non potest poni idem accidens numero esse in diversis substantiis | vel subiectis.

cod. P
fol. 39 V^a

Unde dicunt alii, ut videtur probabilius, quod quantitas quae non determinat sibi aliquam formam substantialem materialem, quia nec aliqua forma substantialis potest esse sine ea, et quaedam alia ³ accidentia quae dicuntur symbola quae etiam non determinant sibi ⁴ quasdam formas, immo quaedam formae substantiales specie differentes sine talibus accidentibus esse non habent, ut forma aeris et aquae sine humiditate, quaedam etiam si specie differant et sine aliquibus talibus accidentibus esse possunt, tamen etiam possunt esse sub eis, ut forma diversorum lignorum vel lapidum potest esse

¹ propterea V. — ² dimensionum C. — ³ om. C. — ⁴ si P.

et non esse sine albedine vel nigredine; de omnibus talibus dicunt quod unum accidens numero potest esse in diversis substantiis vel subiectis specie differentibus. Et hoc sic ostendunt; nam cum talia accidentia non determinant sibi aliquam talium formarum sive substantiarum compositarum, quaecumque ¹ talium formarum ² substantialium quantum est de se nata est esse subiectum cuiuslibet talis accidentis secundum se, licet non secundum eandem determinationem quam necesse est variari secundum condicionem formarum substantialium. Unde omnes tales substantiae secundum se consideratae sunt talibus accidentibus indifferenter ³ quasi pro uno subiecto.

Et si materia posset esse simul sub huiusmodi diversis formis substantialibus, unum tale accidens numero quantum est de se et absolute posset esse in talibus diversis subiectis simul, licet non posset propter diversitatem terminationum quas non posset simul ⁴ habere secundum huiusmodi diversas formas. Cum ergo materia quando transmutatur de una forma ad aliam numquam sit sine altera formarum substantialium quarum quaelibet cum materia est subiectum huiusmodi ⁵ accidentis, videtur quod successive unum accidens possit esse in huiusmodi duobus subiectis; et hoc modo dicitur quod eadem quantitas dimensiva indeterminata est in generato et corrupto et manet ingenerabilis et incorruptibilis et est ut ⁶ aliquid imperfectum secundum se perfectibile secundum diversas terminatio- nes. Ens in seipso ⁷ in potentia ad diversas terminationes dimensionales, sicut materia prima ex se est in potentia ⁸ ad diversas terminationes substantiales et huiusmodi quantitatem in omni motu et transmutatione naturali ad quamcumque formam oportet supponi in materia, ut videtur dicere et probare Commentator in tractatu de Substantia orbis, et non solum contingit quantitatem eandem sic esse terminatam et indeterminatam et per diversas terminationes esse in diversis | subiectis, sed etiam qualitatem; unde secundum hoc etiam qualitates symbolae secundum esse et gradum interminatam inter magis et minus manent | eadem in generato et corrupto, sed solum variantur secundum gradus terminationis sub diversis formis substantialibus.

cod. C
fol. 18 Vb

cod. P
fol. 39 Vb

cod. V
fol. 76 Va

Sed illud non videtur verum, quia licet ex praedictis bene sequitur quod talia accidentia quantum est de se possint ⁹ esse in pluribus talibus ¹⁰ pro tanto quia nullum eorum sibi determinant, et ideo etiam in tali transmutatione per se non corrumpuntur, ut patet de humiditate in aere et aqua, sicut contraria accidentia, ut patet de caliditate et frigiditate in aqua et in

¹ quaelibet C. — ² sive — formarum] *om.* P. — ³ accidentibus indifferenter] indifferenter accidentibus C. — ⁴ simul *om.* C; licet — simul] *om.* P. — ⁵ huius PV. — ⁶ in P. — ⁷ seipsa. — ⁸ in potentia *om.* C. — ⁹ possent PC. — ¹⁰ subiectis *add.* C, pluribus talibus] talibus pluribus PC.

aere, tamen cum non sint in materia nisi mediante forma substantiali, sicut universaliter corrupta forma substantiali oportet talia universaliter corrumpi, ita corrupta hac forma substantiali oportet corrumpi hoc accidens quod est in ipsa; quia non solum ex esse talis formae habet esse terminatum, sed esse simpliciter, quia non differunt realiter talis forma¹ et sua terminatio. Unde sicut quia tale accidens secundum se et secundum rationem indeterminationis non determinat sibi aliquam formam substantialem, et ideo praeter quamlibet sigillatim esse potest, quia cum non est in una potest esse in alia, quia tamen ut sic determinat sibi formam substantialem in communi per quam habet suum esse etiam tale et indeterminatum, ideo non potest habere esse praeter omnem talem formam; ita etiam hoc accidens determinatum non solum ratione suae determinationis determinat sibi hanc formam secundum quam sic determinatur, sed in ratione suae entitatis singularis, scilicet ut hoc accidens in genere entis eam sic determinat quod non habet hoc suum esse nisi ex esse huiusmodi formae substantialis. Ideo illa forma substantiali corrupta secundum suum esse oportet etiam corrumpi huiusmodi accidens secundum suum inesse. Sicut enim a forma substantiali simpliciter non solum est indeterminationis quantitatis indeterminatae, sed ipsum esse vel entitas talis quantitatis, et ideo, omni forma corrupta, omnino corrumpitur; ita etiam ab hac forma singulari substantiali non solum est haec determinatio huiusmodi quantitatis determinatae, sed ipsum esse huiusmodi quantitatis² et sua entitas secundum id quod est, immo quicquid entitatis est in ipso composito; et ideo hac forma substantiali corrupta oportet eam secundum id quod est corrumpi. Corrupto enim eo quod est prius natura oportet corrumpi quod est posterius, licet non per se, sed corruptione ipsius prioris; et ideo quia haec forma substantialis prius inest materiae quam hoc accidens reale | designatum, non potest corrumpi realitas formae substantialis nisi corrumpatur realitas formae accidentalis.

cod. P
fol. 40 R^a

Qui ergo supponunt quod in generatione fiat resolutio usque ad materiam primam, sic scilicet quod nihil pertinens ad formam substantialem quod fuit in corrupto manet in generato, habent supponere quod etiam nihil pertinens ad formam quamcumque accidentalem manet idem secundum rem; generationem enim simpliciter et secundum substantiam semper concomitatur³ generatio secundum quid quae est secundum formam accidentalem; et generans per se substantiam generat vel causat ex consequenti omnia accidentia illam concomitantia et corrumpens per se sub-

¹ talis forma] forma talis C. — ² determinatae — quantitatis] *cm.* P. — ³ concomitatur.

stantiam realiter corrumpit omnia accidentia illam consequentia, et hoc propter corruptionem ipsius substantiae. Quaedam enim per se corrumpuntur, ut contraria, quae nec eadem specie nec eadem ¹ numero ² possunt manere in generato propter diversitatem formarum secundum speciem et naturam; quaedam autem sic per accidens quod corruptione subiecti [quae] eadem secundum speciem possunt manere propter communicationem naturarum et formarum substantialium respectu accidentium talium, sed non possunt manere eadem numero propter variationem istarum formarum secundum esse et non esse, ut dictum est.

Cum ergo dicunt aliqui (1) quod quaedam accidentia sunt quae sunt in composito ratione formae, quaedam autem ratione materiae; illa autem quae insunt composito ³ ratione formae eadem manere non possunt, quia non manet eadem forma, sed ea quae ratione materiae insunt eadem manere possunt ⁴, quia manet eadem materia; unde res corrupta et generata non sunt aliud et aliud subiectum respectu eorum quae insunt ratione materiae; et ideo accidens quod sequitur materiam existens unum et idem in re corrupta et generata non est in duobus subiectis ut duo sunt et ut differunt, sed ut unum sunt et ut conveniunt; — hoc non valet, quia hoc universaliter convenit omni accidenti materiali per se | quod eius subiectum per se et ⁵ immediatum est ⁶ compositum | ex materia et forma substantiali. Unde omne accidens per se convenit composito sic quod non potest aliquod accidens respicere solam materiam ut per se subiectum eius.

cod. C
fol. 19 Ra
cod. V
fol. 76 Vb

Sed accidentium quae sic sunt per se in toto composito quaedam dicuntur inesse ratione formae, quaedam ratione materiae, non sic quod quaedam sint in materia primo et per se et ex consequenti in composito vel in forma in quantum etiam est in materia; alia vero sint ⁷ | in forma primo et per se et ex consequenti in materia in quantum in illa est forma; sed sic quod quaedam accidentia dicuntur inesse composito ratione formae vel consequi formam, quia ex ratione propria formae compositum est determinatum ad talia accidentia, ut scilicet illud in quo est talis forma substantialis sit ⁸ determinate sub talibus accidentibus et non sub aliis; quaedam autem dicuntur in esse composito ratione materiae vel consequi materiam quia sicut materia secundum se non determinat sibi formam aliquam sub-

cod. P
fol. 40 Rb

¹ eodem V. — ² nec eadem specie — numero] nec eadem numero nec eadem specie PC. — ³ compositae PC. — ⁴ om. V. — ⁵ per se et] etiam P. — ⁶ per se et add. P. — ⁷ sicut PC. — ⁸ si P.

(1) Aegidius Romanus, *Quodlibetum* IV, q. 9, ad argumentum (Lovanii, 1646, p. 223).

stantialem nec aliquam accidentalem immediate, sed mediante quadam forma substantiali determinat sibi quaedam accidentia, et ideo illa non dicuntur consequi materiam sed formam.

Ita etiam sunt quaedam accidentia quae sicut materia secundum se non determinat, ita etiam nec illa determinat mediantibus quibusdam formis substantialibus, sed existens sub formis substantialibus diversis secundum speciem potest esse mediantibus illis sub eisdem accidentibus secundum speciem¹ differentibus tantum numero, et ideo illa non dicuntur consequi formam, scilicet hanc vel hanc determinate, sed² materiam, quia cum insunt alicui composito ex materia et forma secundum aliquam speciem determinatam in quantum tale compositum adhuc est in potentia ratione materiae ut ex eo fiat aliud compositum secundum aliam formam specificam et illi alteri composito nata sunt inesse eadem accidentia secundum speciem; ideo quia in materialibus omnis potentialitas ex materia oritur, sicut ex potentialitate materiae est quod ipsa ens una secundum rem non determinat sibi hanc formam substantialem vel illam, ita etiam, quia existens sub una forma tali, ipsum totum compositum ex materia et forma tali non determinat sibi tale accidens sic quin idem accidens secundum speciem possit esse in composito ex eadem materia et alia forma. Hoc autem quod ex uno composito potest fieri aliud compositum contingit ex potentialitate materiae. Pro tanto dicuntur talia accidentia inesse ratione materiae, quia sicut materia ratione suae indeterminationis secundum se potest transitum facere de una forma substantiali ad aliam, ita etiam existens sub una forma substantiali cum aliquo tali accidente potest transitum facere ad aliam formam substantialem manente eodem accidente secundum speciem, sicut et ipsa manet eadem secundum rem, sicut etiam compositum unum et idem secundum materiam potest variari secundum diversa accidentia specie, scilicet secundum album et nigrum, quae dicuntur consequi materiam et non formam, quia ipsum totum compositum ut est sub uno tali accidente | manens unum et idem non solum secundum speciem sed etiam secundum materiam, est in potentia ad contrarium accidens.

cod. P
fol. 40 Va

Nec est dicendum quod tale accidens dicatur consequi materiam³ modo praedicto, sed sic quia consequitur compositum ratione potentialitatis et indifferentiae quae est in eo principaliter ratione potentialitatis et indifferentiae materiae. Unde quia talis forma non sic determinat materiam quod materia existens sub tali forma substantiali non possit esse sub contrario accidente, ideo tale accidens dicitur convenire tali composito non ratione

¹ potest — speciem] *om.* P. — ² secundum P. — ³ naturam C.

formae, sed ratione materiae. Similiter etiam est dicendum de accidentibus symbolis; quia etiam ¹ ibi forma substantialis non sic determinat materiam ad tale accidens quod materia non possit esse sub eodem accidente secundum speciem etiamsi ² non sit sub eadem forma secundum speciem; ideo tale accidens dicitur convenire tali composito non ratione formae, sed ratione materiae; sicut cum ³ conceditur quod accidentia quae conveniunt ratione formae non insunt tamquam per se in subiecto nisi composito ex materia et tali forma secundum speciem sic determinata; et ideo illo composito corrupto et alio ex illo regenerato corrumpuntur etiam per se talia accidentia propter contrarietatem ad aliud compositum, non solum propter corruptionem subiecti. Ita | etiam accidentia quae insunt ratione materiae non sunt tanquam in subiecto per se ⁴ nisi in composito ex materia et tali vel tali forma, discurrendo per omnes formas mediantibus quibus possunt inesse; et secundum hoc etiam verum est quod, quia compositum ex pluribus talibus formis est quasi pro uno subiecto alicui uni tali accidenti secundum speciem, non oportet quod corrupto aliquo tali subiecto secundum formam substantialem corrumpatur tale accidens secundum speciem, quia regeneratum ex corrupto potest esse talis speciei cui convenit tale accidens et sic remanet tali accidenti uni manenti secundum speciem conveniens subiectum; unde non cor | rumpitur per se, scilicet propter contrarietatem ad aliud compositum, sed manet unum accidens secundum speciem, quia etiam omnia talia subiecta sunt ei quasi unum subiectum secundum speciem. Sed quia ad hoc quod aliquod ⁵ accidens diversificetur secundum materiam et dicatur esse corruptum et regeneratum aliud et aliud secundum materiam sufficit quod eius esse vel entitas | actualis interrumpatur non obstante quod ⁶ maneat ⁷ eadem materia vel idem subiectum, — unde si aliquid sit calidum in mane et frigidum in meridie et iterum calidum in vespere constat quod est alia et alia caliditas ⁸ secundum essentiam, ita etiam cum facta interruptione in esse et entitate subiecti oporteat fieri interruptionem in esse et entitate omnium illorum quae subiecto insunt et non habent esse nisi per esse subiecti, — cum ex composito uno secundum substantiam aliud compositum generatur, oportet quod variatio fiat non solum secundum formam substantialem, sed etiam in omnibus quae composito insunt. Sed verum est quod, sicut dictum est, secundum quaedam fit variatio et transmutatio per se, scilicet ratione contrarietatis quae est inter illa; secundum quaedam autem ratione interruptionis quae necessario intervenit in esse

cod. V
fol. 77 R^a

cod. C
fol. 19 R^b

cod. P
fol. 40 V^b

¹ et C. — ² etiam P. — ³ tamen V. — ⁴ subiecto — se] per se subiecto PC. — ⁵ aliquid C. — ⁶ quia C. — ⁷ manet C. — ⁸ causalitas PC.

et entitate illorum. Verum est ergo quod unum et idem accidens secundum speciem potest esse in duabus substantiis quarum una est ex alia generata; et in hoc proprie non dicitur esse in duobus subiectis, quia ambae tales substantiae sunt ei quasi pro uno subiecto etiam secundum speciem. Et similiter verum est quod illud accidens quod est unum secundum speciem non est in talibus duobus ut duo sunt et ut differunt, sed ut sunt unum et conveniunt. Sed quod unum accidens secundum numerum sit in pluribus subiectis non solum differentibus secundum speciem, sed etiam eiusdem speciei quorum unum prius habuit esse et aliud est regeneratum et sic oportet totam entitatem et actualitatem corruptam fuisse, hoc est impossibile. Licet enim talia non sint plura subiecta respectu talis accidentis ¹, ut considerantur haec ² secundum se et secundum rationem speciei, scilicet subiecta ³ corrupta et regenerata, non considerantur secundum se nisi ut unum subiectum respectu talis accidentis secundum se et secundum speciem suam ⁴, tamen ut considerantur haec ut secundum suum esse reale, facta est in eis interruptio; et verum est de corrupto quod aliquando fuit et nunc non est et de generato quod aliquando non fuit et nunc est; ideo illa oportet esse plura subiecta ratione interruptionis secundum corruptionem et regenerationem; et ideo licet humiditas aquae generatae ex aere non dicatur esse alia ab humiditate aeris propter repugnantiam aquae et aeris secundum se et secundum suas formas, quia utrique convenit, dicitur tamen alia propter eius | interruptionem et corruptionem quam habet in corruptione aeris; et ideo humiditas existens in aqua et aere est alia et alia propter alietatem ⁵ subiecti secundum interruptionem. Praemissis autem non videntur obviare rationes Commentatoris si considerentur.

cod. P
fol. 41 Ra

Cum arguitur de cicatricibus manentibus quae fundantur per se in quanto et similiter posset argui de aliis accidentibus, scilicet qualitatibus symbolis, dicendum quod differunt numero, sed sunt adeo similia quod sensus inter ea discernere non potest. Quomodo aliqui autem pertractant hoc argumentum nitentes ostendere quod necessario sunt eadem numero; ex quo ulterius nituntur ostendere quod necessarium est propter hoc ponere in homine plures formas substantiales innitentes praedictae suppositioni, scilicet quod idem accidens numero manere non potest nisi manente eadem forma substantiali et quomodo haec pertractatio non concludit, alias (1) dictum est. |

cod. V
fol. 77 Rb

¹ tamen *add. 2a m. C.* — ² hoc VC. — ³ substantia PC. — ⁴ speciem suam] suam speciem C. — ⁵ alienitatem PC.

(1) *Quodlib.* II, q. 7 (t. II, p. 95 sq.).

QUAESTIO VI.

*Utrum veritas de re quae est apud intellectum se habeat
in ratione informantis vel moventis.*

Deinde circa naturam substantialem rationalem¹ quaerebantur quaedam pertinentia ad naturam rationalem in generali, scilicet prout comprehendit angelicam et humanam, quaedam pertinentia ad naturam angelicam in speciali, et quaedam pertinentia ad naturam humanam in speciali. Circa naturam rationalem in generali quaerebantur quaedam pertinentia ad potentiam intellectivam secundum se, et quaedam pertinentia ad potentiam appetitivam, scilicet voluntatem etiam secundum se, et quaedam pertinentia ad istas potentias prout ad invicem secundum suos actus comparantur.

Circa primum, scilicet circa naturam rationalem quantum ad potentiam intellectivam, quaerebatur unum, scilicet utrum veritas quae est de re apud intellectum se habeat in ratione informantis vel in ratione moventis. Et arguebatur quod se habeat in ratione informantis, quia veritas non videtur esse nisi quaedam manifestatio et notificatio rei apud intellectum; sed hoc non videtur esse aliud quam quaedam notitia vel scientia quae est quaedam qualitas animam informans. | Ergo et cetera.

cod. C
fol. 19 Va

Contra. Verum et ens convertuntur; unde veritas rei videtur esse rei entitas essentialis et quidditativa; sed quidditas rei² se habet in ratione objecti moventis intellectum, non in ratione | qualitatis informantis ipsum. Ergo et cetera.

cod. P
fol. 41 Rb

Respondeo dicendum quod quidam dicunt quod res non cognoscitur per cognitionem quae sit in ipsa nec per illud quod est in seipsa, sed per id quod est in intellectu. Sunt enim res cognitae non prout sunt in seipsis, sed prout sunt in cognoscente; et ideo sunt verae non per veritatem quae sit in ipsis formaliter, sed per id quod est in cognoscente. Sed res sunt volitae ut sunt in seipsis. Existente enim forma balnei in intellectu, etiam non existente balneo in re extra, possumus intelligere balneum et proprietates eius. Ad intellectum ergo balnei sufficit balneum ut est in intellectu, etsi nihil esset de balneo in re extra. Sed ad velle balnei non sufficit bal-

¹ substantialem rationalem] rationalem substantialem PC. — ² om. C.

neum ut est in intellectu, sed requiritur balneum in re extra. Postquam enim habemus in intellectu formam balnei, adhuc volumus balneum in seipso; et quia res per comparisonem ad intellectum et ut est cognita dicitur vera, ut autem est volita dicitur bona, et quia est cognita ut est in intellectu, est autem volita ut est in seipsa, ideo dicitur quod verum et falsum sunt in mente, bonum autem et malum sunt in rebus. Et quia veritas consistit in assimilatione intellectus ad rem, numquam intellectus intelligit nisi habeat in se similitudinem rei. Intelligitur tamen res etsi in se non habeat propriam naturam¹ et existentiam. Unde ista assimilatio intellectus ad rem non intelligitur sic ut ipsa res secundum se sit id secundum quod est ista assimilatio, quia res ipsa secundum se non est apud intellectum. Ipsa re etiam non existente manet intellectus eius apud animam² per eius assimilationem. Intelligitur ergo ista assimilatio per quamdam formam et speciem existentem apud intellectum per quam ipse intellectus assimilatur rei, quia huiusmodi forma vel species est quaedam similitudo ipsius rei. Si ergo verum dicitur aliquid prout ab intellectu est cognitum et secundum quod huiusmodi, non oportet quod sit in se, sed quod sit in intellectu. Verum et falsum sunt in mente formaliter, non in rebus, sed solum causaliter prout assimilatio in mente causata est a rebus. Licet ergo res sit volita per id quod ipsa est in seipsa, tamen est cognita per assimilationem quae est in intellectu et non per assimilationem quae est res ipsa, et sic res est vera non per id quod est in seipsa, sed per id quod est in intellectu. Sufficit enim quod res sit apud intellectum et quod habeat assimilationem ad intellectum ad hoc quod sit vera et quod sit obiectum intellectus. Res enim non est obiectum intellectus ut est in seipsa, sed ut est in intellectu, quod non esset nisi veritas esset formaliter in ipso intellectu.

cod. P
fol. 41 Va

Sed ista non videntur bene nec proprie dicta. Cum enim secundum Avicennam, ut infra videbitur, res proprie non habeat nisi duplex esse, scilicet in intellectu vel in seipsa et in natura sua extra, rem autem habere esse in intellectu proprie non intelligitur nisi ipsum esse cognitum vel intellectum sive ipsa cognitio intellectus | de re, dicere quod aliquid intelligitur non secundum esse quod habet in se etiam³ secundum se, sed secundum esse quod habet in intellectu est dictum nugatorium, scilicet quod aliquid intelligitur secundum quod intelligitur.

cod. V
fol. 77 Va

Sed quia isti videntur dicere quod res habet esse apud intellectum dupliciter, scilicet quantum ad ipsum actum intelligendi, et quantum ad ipsam speciem intelligibilem per quam, ut dictum est, fit assimilatio intel-

¹ materiam C. — ² animum PC. — ³ et C.

lectus ad rem, etiamsi hoc ¹ haberet veritatem, non tamen bene dicitur quod licet res non intelligatur nisi per aliquam sui similitudinem quae est apud intellectum, quod propter hoc veritas est in intellectu; quia cum sit distinguere inter illam speciem et ipsum actum intelligendi, quaerendum est utrum veritas sit in intellectu formaliter ratione illius speciei aut ratione actus. Non ratione speciei, quia non potest poni nisi propter ipsum actum intelligendi, quia aut ponitur ut in illa et per illam res ipsa quae est obiectum intellectus possit se facere intelligi et intelligatur, aut ut intellectus possibilis factus in actu secundum illam possit in seipso elicere ipsum actum intelligendi, praesente tamen obiecto, aut ut sit per huiusmodi speciem sufficienter dispositus ad suscipiendum immutationem secundum actum intelligendi ab obiecto ². Ergo debet poni veritas in intellectu, si ibi ponatur, ratione ipsius actus intelligendi. Sed per praedicta quae dicuntur de ipsa specie non redditur causa huius ³; ergo non valent. |

cod. P
fol. 41 V^b

Praeterea si negetur, sicut a multis (1) negatur, talis species et dicatur quod saltem in intellectu nostro ad hoc quod actu intelligat est tantum ponere ista ⁴, scilicet ipsum intellectum, actum intelligendi et rem ipsam quae intelligitur, quae licet secundum suum esse particulare ut existit in seipsa non se repraesentet intellectui ut ipsum possit movere ut actu intelligat, tamen ut existens secundum suam similitudinem in phantasia virtute intellectus agentis circa phantasma operantis et abstractionem facientis; et etiam re non existente, manentibus tamen eius phantasmatis, sic disponuntur phantasmata virtute huiusmodi intellectus agentis, quod ex hoc resultat repraesentatio rei cuius sunt, secundum modum cuiusdam abstractionis, ut sic possit esse obiectum intellectus, quod tamen ut sic non habet esse in intellectu formaliter et subiective, sed virtualiter et effective, quia ab ipso ut sic causatur actus intelligendi in ipso intellectu, — sic enim ⁵ ponendo non poterit dici quod veritas sit in intellectu propter aliquod esse quod habeat res in intellectu formaliter nisi propter ipsum actum intelligendi.

Si autem dicatur quod quia etiam isto modo circa intellectum, supposito quod res non habet esse intellectum secundum quod in se et in sua particularitate extra existit, sed secundum quod virtute luminis intellectus relucet in repraesentatione facta per phantasmata et ut sic habet saltem,

¹ etiamsi hoc] si hoc etiam PC. — ² ab obiecto] a vero P. *et 1^a man.* C. — ³ huius PC. — ⁴ ad hoc quod in | telligat *add.* C. — ⁵ quidem P.

cod. C
fol. 19 V^b

(1) v. gr. Henricus de Gandavo, *Quodlibetum* V, q. XIII; *Quodlib.* XI, q. V, etc.

nt dictum est, esse in intellectu immediate ut movens in moto, non autem ¹ ut est secundum se res quaedam in seipsa; et propter hoc dicatur quod res intelligitur non secundum quod est in seipsa, sed secundum quod est in intellectu, quod potest bene intelligi sub hac forma quod quamvis res ipsa secundum esse suum verum et reale quod sibi convenit secundum se ipsam et in seipsa, scilicet in existentia actuali vel potenciali ab intellectu intelligatur, tamen sui intellectum non facit secundum tale esse particulare, sed prout modo praedicto in sua similitudine facta per phantasmata fit ² ipsius rei repraesentatio secundum quamdam abstractionem virtute intellectus agentis; — si, inquam, istis suppositis, dicatur | quod veritas non est in ipsa re sed in intellectu, quia scilicet ipsa res sic secundum suum esse extra quod est particulare non intelligitur, sed secundum esse quod habet tali modo iam dicto in intellectu, res autem per comparisonem ad intellectum et ut est cognita dicitur vera, adhuc hoc non valet, quia petitur quod quaeritur. Nam istis omnibus suppositis, scilicet quod res non dicatur vera nisi per comparisonem ad intellectum et cetera, adhuc quaeritur in quo habet esse veritas formaliter et quare habet esse ibi ubi ponitur, et specialiter cum res secundum istum modum essendi in intellectu, scilicet in ratione moventis non habeat esse in intellectu formaliter. Si ratione talis modi essendi | apud intellectum res dicatur vera, non poterit propter hoc poni veritas formaliter in intellectu; et ideo supposito quod veritas ³ non sit in re secundum quod est secundum se, sed per comparisonem ad intellectum et secundum esse quod habet in intellectu, et ideo debet formaliter poni ⁴ ex parte eius quod ad intellectum pertinet, licet causaliter possit poni in ipsa re etiam secundum se licet forte non omnino immediate quantum ad entia materialia quae per abstractionem intelliguntur, adhuc esset quaestio indeterminata, et remanet inquirendum utrum veritas habeat esse formaliter in eo quod est apud intellectum, sic scilicet ut immediate movens et ad actum inducens vel sic ut intellectum informans et perficiens et hoc est quod quaerit quaestio proposita.

Quod etiam dicitur quod res non sunt cognitae secundum quod sunt in se ipsis, sed sic sunt volitae, ut hoc declaratur per exemplum de balneo, non videtur bene dictum: quia cum obiectum voluntatis sit bonum apprehensum, sicut balneum non existens possumus intelligere per suam similitudinem dicto modo, ita etiam balneum non existens intellectum possumus velle, et sicut per actum intelligendi balneum in se non existens habet esse

¹ aut C. — ² sit C. — ³ formaliter — veritas] om. P. — ⁴ formaliter poni] poni formaliter PC.

cod. P
fol. 42 Ra

cod. V
fol. 77 Vb

intellectum in intellectu, ita etiam per actum volendi habet esse volitum in voluntate. Sed quia quantum ad illa quae sunt intellecta secundum quod, ut ¹ abstracta, (abstracta ² secundum esse quod habent secundum se ipsa) ³, intelligens et volens non sistit in eorum esse cognito et volito, sed ad eorum esse reale quod in se ipsis habent et habere possunt et quod bene ⁴ est apprehensum et volitum etiam si actu non sit, licet per suam similitudinem, | ut expositum est, tendit intellectus et ⁵ volens, per ipsum actum volendi qui ⁶ est quaedam inclinatio appetentis quo moventur membra et instrumenta et quaeruntur media quibus fiant praesentia secundum esse reale quae iam sunt praesentia secundum esse cognitum et volitum. Per hoc ergo quod dicitur quod quia res dicitur vera per comparisonem ad intellectum et bona per comparisonem ad voluntatem, res autem non intelligitur nisi secundum quod est in intellectu non prout est in se ipsa, sed est volita ut est in se ipsa, non debet dici quod hoc sit causa quare verum est in intellectu et bonum in re, nisi ista melius intelligantur | et quaedam alia, ut videbitur infra, addantur.

cod. P
fol. 42 Rb

cod. C
fol. 20 Ra

Unum enim ⁷ et idem est obiectum intellectus et voluntatis ⁸ sic quod res ipsa quae appetitur in seipsa oportet quod etiam cognoscatur in seipsa cum nihil possimus ⁹ velle nisi cognitum. Unde ¹⁰ cum re non existente, de ipsa cognoscitur entitas quam nata est habere in se ipsa, et illa appetitur; et ut dictum est, in hoc dicitur habere res esse cognitum et esse volitum. Sed quia in hoc non sistitur, ideo est supplendum infra qualiter bonum dicitur esse in re, verum autem in intellectu.

Et ideo in quaestione proposita procedendo aliter, est intelligendum quod oportet primo videre quid nomine veritatis importatur. Cum autem conceptus entis et uniuscuiusque secundum quod ens sit primus et simplicissimus, ei quod nomine entis intelligitur et significatur, non potest fieri aliqua realis additio. Sicut enim in intellectu complexo oportet esse aliquod principium omnino primum et etiam intellectui per se notum in quod vel ad quod omnes conceptus complexi sive omnia principia posteriora reducuntur — aliter esset processus in infinitum — sic in ¹¹ intellectu incompleto in quo cognoscitur quid est rei oportet esse aliquod unum omnino primum et intellectui ¹² notissimum in quo vel ad quod omnes alii reducuntur et qui in omnibus aliis includitur. Et est ille conceptus entis in quantum ens, prout patet per Avicennam, primo Metaphysicae; et hoc est id quo

¹ om. P. — ² om. P. — ³ ut abstracta add. P. — ⁴ un̄ P. — ⁵ bis P. — ⁶ om. P. — ⁷ om. C. — ⁸ intellectus et voluntatis] voluntatis et intellectus P. — ⁹ potius P. — ¹⁰ om. PC. — ¹¹ om. PC. — ¹² intellectu P.

cod. P
fol. 42 Va

unumquodque est id quod est in natura et essentia ¹ sua absolute absque omni condicione et additione, ita quod nihil | potest addi huic conceptui primo quod sit res alia, sed omnis alius conceptus rationem aliquam addit super huiusmodi rationem entis quae tamen non potest esse alia ² ab ente, quia ratio entis omnes rationes subintrat. Quicquid enim additur quocumque ³ modo super rationem entis est aliqua | ratio quae tamen nomine entis secundum se non explicatur nec intelligitur.

cod. V
fol. 78 Ra

Unde patet quod verum vel veritas non dicit aliquam rem additam enti sive rei quae primo et per se intelligitur et est obiectum intellectus, sed ⁴ unumquodque secundum suam entitatem et essentiam est verum ⁵ sive habet veritatem eo modo quo ⁶ veritas habet esse in re. Oportet ergo quod addat super rationem entis realem solum modum aliquem vel respectum. Ille autem modus sive illa ratio est quidam respectus ad intellectum. Res enim non dicitur vera ut est aliquid secundum se, sed secundum quod per id per quod est aliquid secundum se habet talem ordinem et respectum ad intellectum quod est sui manifestativa apud ipsum et quod est adaequativa et assimilativa sibi intellectum per similitudinem suam qua potest informare ipsum ⁷ intellectum. Unde ens ut verum est ens ut sui declarativum et manifestativum apud intellectum.

Ut sic ens, secundum quod est intellectus obiectum ipsum sibi adaequans et conformans, non dicitur esse obiectum sub ratione veri sive in quantum verum ut veritas sit aliqua ratio vel dispositio circa ipsam rem secundum quam sit obiectum, — nam secundum suam nudam entitatem hoc habet, — sed pro tanto dicitur hoc, quod licet ens secundum quod ens simpliciter sit obiectum intellectus et sic aliquid efficit in intellectu absque sui mutatione secundum aliquam dispositionem vel etiam absque aliqua dispositione suae entitati absolutae addita ⁸, quia tamen id quod efficit habet realem habitudinem et dependentiam ad ipsum obiectum et ipsum obiectum est res quaedam quae est assimilativa vel adaequativa intellectus ad ipsam, et ob hoc etiam res ipsa secundum rationem intelligitur habere habitudinem et respectum ad intellectum; ideo ab hoc effectu suo in alio existente subiective sic denominatur, quia scilicet dicitur vera et quodam modo relative dicitur; et propter hoc etiam ens dicitur esse obiectum non sub ratione entis simpliciter, sed sub ⁹ ratione entis ¹⁰ veri, scilicet in quantum sua entitate ut | est aliquid secundum se habet sic movere intellectum quod habet ipsum sibi assimilare vel adaequare, quae assimilatio et adaequatio veritas quaedam est.

cod. P
fol. 42 Vb

¹ esse C. — ² esse alia] alia esse C. — ³ quoque C. — ⁴ om. C. — ⁵ vera. — ⁶ quod C. — ⁷ om. C. — ⁸ additam P. — ⁹ om. V. — ¹⁰ om. PC.

Ita tamen quod, quia materialia et sensibilia sive quidditates rerum sensibilibus non habent ex se, ut sic esse habent in rerum natura, quod actu moveant intellectum et sibi conforment, sed secundum quod virtute intellectus agentis consequuntur quod absque condicionibus particularibus, ut sunt aliquid secundum se in esse quidditativo, apprehendi possunt et actu movere et sibi conformare intellectum sive se intellectui declarare et manifestationem sui facere; — et sic, cum verum non dicat condicionem absolutam aliquam et realem circa obiectum intellectus, sed solum denotat ¹ entitatem rei secundum quod actu habet movere intellectum et se ei manifestare, quaedam autem entia hoc habent de se, ut abstracta, alia non, ut materialia, secundum quod iam dictum est; — ideo circa materialia ratio veri dicit quamdam abstractionem quidditatis secundum considerationem vel operationem intellectus agentis quam non habet secundum se; sed circa abstracta dicit abstractionem quam | habet de se. Unde sicut res non est obiectum intel-

cod. C
fol. 20 R^b

lectus sub ratione intelligibilis, quia haec ratio, scilicet intelligibilitas, sit aliqua dispositio vel condicio formalis circa rem secundum quam res moveat intellectum vel secundum quam concipiatur res quae intelligitur, sed ex hoc dicitur intelligibilis et esse obiectum sub ratione intelligibilis, quia sua entitas est talis quod efficit sui intellectum sive intellectionem in intellectu; ita in proposito est intelligendum de ratione veritatis ². Unde prius intelligitur obiectum aliquod sub ratione entis quam intellectus apprehendat circa ipsum ³ rationem intelligibilitatis vel veritatis. Ex hoc enim quod cognoscitur quod est motiva intellectus apprehenditur ratio ⁴ intelligibilitatis suae. Et ita etiam de bono respectu voluntatis est intelligendum. Non enim ratio boni est aliqua dispositio circa appetibile addita rei ratione cuius appetitur, sed ex hoc quod habet movere et ⁵ trahere appetitum ad se per id quod secundum se est in sua natura denominatur sic ab hac ratione.

Cum ergo secundum praedicta verum non addat supra rem quam denominat rem aliquam, sed solum rationem quamdam et denominationem dicto modo, scilicet rationem manifestativi vel declarativi eius quod ipsa | res est | apud intellectum, et hoc non dicit nisi quemdam respectum secundum rationem ipsius rei ad intellectum, patet quod veritas non est in re secundum se et absolute, sed ex aliquo respectu ad intellectum in quo aliquid efficit dicto modo, scilicet sui manifestationem vel declarationem quae est notitia intellectus, et etiam veritas dicitur.

cod. V
fol. 78 R^b
cod. P
fol. 43 R^a

¹ revocat P. — ² intelligendum — veritatis] de ratione veritatis intelligendum PC. — ³ ipsam VPC; hanc *add.* PC. — ⁴ intelligibilitatis — ratio] *om.* C. — ⁵ vel PC.

Ipsam autem obiectum intellectus non habet hunc respectum ¹ in actu nisi cum est in tali dispositione quod actu potest movere intellectum et seipsum manifestare sive sui declarationem facere in intellectu. Loquendo autem de materialibus respectu intellectus nostri, illa hoc ² non habent secundum se et absolute ut ³ existunt in rerum natura in singularibus, sed ut virtute intellectus agentis absque condicionibus particularibus considerantur ut quidditates secundum se. Hoc modo res materiales secundum esse quod habent in particularibus non sunt verae dicto modo nisi quasi in potentia; sed ipsae secundum suum esse quidditativum absolute consideratae, quia ut sic habent rationem formalis obiecti intellectum actu moventis et sibi adaequantis, hoc modo sunt verae actualiter, et ut sic fit quodam modo unum ex ipsa re in ratione obiecti formalis et moventis ⁴ et ex intellectu in ratione materialis et moti et ut sic actu habet esse adaequatio in intellectu subjective.

Ut secundum hoc, prout dicit Avicenna, cum res duplex habeat esse ⁵, scilicet in re et ⁶ intellectu, et triplicem considerationem: scilicet secundum esse quod ⁷ habet in intellectu quod est ipsum intelligere intellectus, et secundum esse quod habet in re quod est ipsam quidditatem esse contractam et particulatam in supposito, et secundum ⁸ id quod est absolute quidditas quaedam secundum se quae, licet sic non sit aliquid in rerum natura secundum se existens praeter esse in singulari re extra vel praeter esse intellectum in anima, quia nihil habet aliquid ⁹ esse nisi in re vel in intellectu, tamen nec hoc esse ¹⁰ nec illud includit nec determinat secundum se. Unde ut sic non est proprie in aliquo ut in subiecto sed solum est aliquid ut secundum se et absolute consideratum. Ut cuius est esse intellectum in anima et cuius est esse reale in ¹¹ singularibus in re extra nihil tamen istorum concernit ut sic secundum se consideratur. Ut sic res secundum esse quod habet extra in singulari non dicatur vera nisi in potentia et hoc ex | eo quod in ea est vera res et quidditas cui competit secundum dictam mediam considerationem posse actu movere intellectum. Illud autem idem ¹² ens secundum quod est quaedam quidditas secundum se et ut sic consideratur et virtute intellectus agentis sic disponitur quod sic moveat intellectum, dicitur verum actu sive veritas quaedam. Ipse autem actus intellectus in quantum est quaedam impressio talis entis per quam intellectus ei adaequatur et conformatur etiam dicitur veritas quaedam.

cod. P
fol. 43 R^b

¹ hunc respectum] respectum hunc C. — ² haec P. — ³ nec P. — ⁴ et sibi adaequantis hoc modo sunt hoc modo sunt verae actualiter et ut sic sit quodam modo unum ex ipsa re in re obiecti formalis et moventis *add.* O. — ⁵ habeat esse] esse habeat PC. — ⁶ in *add.* P. — ⁷ quam C. — ⁸ *om.* C. — ⁹ aliquid C. — ¹⁰ hoc esse] esse hoc C. — ¹¹ et C. — ¹² est *add.* PC.

Sed restat videre cui istorum formaliter et essentialiter conveniat ratio veritatis et cui participative et denominative solum.

Et videtur aliquibus quod ¹ rei, ut sic consideratae quod actu sua actualitate ² movet intellectum et sibi ipsum conformat, eo quod ab hac veritate ut formali et actuali secundum se est veritas intellectus quae est quaedam notitia qua rei sic consideratae conformatur. Sicut enim res ut sic consideratur est entitas simpliciter, sic etiam est veritas simpliciter. Ergo similiter sicut notitia non est entitas simpliciter ³ respectu talis entitatis quae est entitas simpliciter, sed est entitas diminuta, similiter etiam videtur quod sit diminuta veritas, quia sicut unumquodque se habet ad entitatem sic et ad veritatem et talis veritas est quodam modo veritas signi respectu dictae veritatis rei | quia hac veritate dicitur intellectus verus in quantum est quodam modo conformis ipsi rei tanquam suo exemplari, sicut tabula per imaginem in ea depictam conformis et similis dicitur rei exemplari ad quam depicta est tanquam exemplatum quoddam.

cod. C
fol. 20 Va

Et sic quia veritas rei non dependet a veritate notitiae cuiuscumque creaturae, sed e converso, verius autem et dignius est unumquodque in ente absoluto quam dependenti, videtur quod veritas perfectius habet esse in re dicto modo, in quantum scilicet est actu movens et conformans sibi intellectum quam in intellectu. Et haec veritas quae sic est in re et quae est ratio manifestativi et declarativi ⁴ sui apud intellectum, | prout dicit Avicenna quod veritas est proprietas uniuscuiusque rei, in quantum nata est de se veram aestimationem facere, ut dictum est, denominat ipsam rem in qua est ut forma in materia vel subiecto et ipsum intellectum ratione notitiae in quo intellectu est ipsa notitia | ut forma et perfectio in subiecto et huiusmodi res ut obiectum cognitum in cognoscente. Secundum praedicta videtur ad quaestionem dicendum quod veritas proprie et formaliter et principaliter dicta quae est de re apud animam se habet in ratione obiecti moventis actu intellectum et non in ratione informantis subiective.

cod. V
fol. 78 Va

cod. P
fol. 43 Va

Sed sicut communius dicitur, magis videtur mihi quod res intellecta proprie et formaliter non habet rationem veritatis, sed virtute tantum et causaliter; et ad hoc intelligendum est quod veritas generaliter sumpta est quaedam adaequatio recta et conveniens aliquorum ad invicem quorum unum adaequatur alteri quasi passive, et sic habet ab illo aliquo modo rationem mensurati et dependentis, prout Anselmus, in libro de Veritate, in omnibus rebus veritatem ponit, dicens veritatem esse quamdam rectitudinem prout rectum dicitur quod est ut debet esse, et esse veritatem in re in quan-

¹ quia V. — ² actualiter C. — ³ sic etiam — simpliciter om. P. — ⁴ declarativa C.

tum unaquaeque res habet vel facit quod debet facere vel habere. Unde cum quis facit quod debet, dicitur facere veritatem, et sic in actione etiam veritas est, prout Anselmus in dicto libro dicit, allegans illud Iohannis: qui male agit odit lucem et qui facit veritatem venit ad lucem; illud autem habet¹ vel facit quod debet facere vel habere qui habet² in se formaliter ea quae ei correspondent virtute in sua causa sive quod conformatur³ suae causae a qua est vel ad quam est⁴. Unde⁵ conformitas et rectitudo pro eodem accipiuntur et secundum hoc est⁶ veritas in omnibus rebus et actionibus in comparatione ad veritatem⁷ vel entitatem increatam⁸ in quantum suis causis idealibus conformantur. Et etiam in rebus a nobis causatis est veritas in quantum ei quod in nobis est causa ipsorum conformantur.

Sed loquendo proprie de veritate sive de adaequatione, prout scilicet veritas dicit rationem cuiusdam adaequationis specialiter importantis notificationem sive manifestationem apud intellectum, sic solum⁹ invenitur in re comparata ad intellectum et e converso, et sic dicitur veritas adaequatio rei et intellectus et hoc secundum rationem manifestativam et declarativam quasi active ex parte rei et secundum rationem manifestationis et declarationis quasi passive ex parte intellectus. Unde cum notitia habetur ab intellectu de re | qua ipsa res declaratur et manifestatur ipsi intellectui secundum quod res ipsa¹⁰ est intelligibilis et sui quantum est de se manifestativa et declarativa, tunc est veritas proprie dicta vel in re ipsa vel in intellectu vel in utroque. Unde illa adaequatio est inter illa solum secundum esse cognitivum et declarativum; sed, hoc supposito, videtur quod simpliciter et formaliter sit veritas solum in intellectu et solum virtute et causaliter in re.

Nam quaecumque¹¹ aliquid dicitur tale ex ordine ad aliquid aliud quod est in alio, ita quod ibi sistitur ubi completur iste ordo vel respectus sive habitudo; illud quo dicitur aliquid tale formaliter et simpliciter est in illo alio et virtualiter sive causaliter in isto. Verbi gratia, cibus dicitur sanus ex ordine ad sanitatem quae est¹² in animali, et ibi sistitur et completur illa habitudo, et ideo dicitur animal sanum simpliciter et formaliter, cibus autem virtualiter sive effective. Ita in proposito. Cum veritas consistat in adaequatione rei et intellectus, oportet quod res dicatur vera ex ordine et habitudo ad intellectum ratione eius quod causat in ipso; vel e converso, oportet quod res dicatur vera ex ordine et habitudo intellectus ad ipsam rem¹³ ratione¹⁴ alicuius quod efficit intellectus in ipsa. Constat autem quod

cod. P
fol. 43 Vb

¹ autem habet] habet autem C. — ² om. C. — ³ confirmatur P. — ⁴ om. C. — ⁵ talis add. P. — ⁶ om. VC. — ⁷ veritate P. — ⁸ incausatam PC. — ⁹ subiectum PC. — ¹⁰ res ipsa] ipsa res PC. — ¹¹ quandoque C. — ¹² om. C. — ¹³ om. C. — ¹⁴ rationem C.

res non dicitur vera sive adaequata intellectui ex hoc quod intellectus faciat aliquid in ipsa, sed e converso, ex hoc quod res facit aliquid in intellectu unde sibi intellectum adaequat et conformat. Ergo cum illud sit formaliter et subiective | in intellectu, virtualiter et effective in re, et ex hoc dicitur res vera quod sic nata est se declarare et manifestare, videtur quod ipsa declaratio sive manifestatio quae est quaedam notitia intellectus prout importat respectum et adaequationem intellectus ad rem, sit ipsa veritas per | se formaliter et proprie.

cod. C
fol. 20 Vb

cod. V
fol. 78 Vb

Hoc etiam patet ex ratione nominis adaequationis quae importat quod unum quasi passive imitetur ¹ aliud et adaequetur vel conformetur ei. Adaequatio enim supra simplicem aequalitatem addit imitationem. Quia ergo intellectus imitatur res, non e converso, veritas quae est adaequatio intellectus et rei est in intellectu secundum rem et veritatem, in rebus autem secundum rationem et modum intelligendi ac denominationem.

Et confirmatur hoc per exempla quae alii in contrarium inducunt ². Nam veritas est quasi quaedam imago quasi ab ipsa re impressa intellectui; imago autem habet rationem adaequati et est ratio adaequationis quasi passive dicta in imagine vel exemplato, non in exemplari vel imaginali. Sicut ergo secundum alium modum veritatis communiter dictae prout importat quandam adaequationem et rectitudinem, illud dicitur verum quod alteri adaequatur et quod ab alio mensuratur ³ et ad aliud realiter refertur, quia res dicitur vera quae adaequatur et conformatur suae causae, ex hoc etiam est quaedam relatio realis mensurati in re ipsa ad suam causam et quaedam relatio secundum rationem mensurae in causa, ita etiam in proposito. Non dicitur autem mensura relative ad mensuratum per relationem quae sit ⁴ in ipsa, sed e converso, et ideo adaequatio rei ut mensurae ad intellectum ut mensuratum non est nisi per adaequationem realem sive realem relationem ipsius intellectus. Cum ergo veritas hanc adaequationem quae est inter intellectum et rem dicat, oportet veritatem realiter et formaliter esse in intellectu, causaliter autem et secundum denominationem in re. Et denominatur res vera a veritate quae est in intellectu et accipitur sub ordine et habitudine ad intellectum per ordinem et habitudinem realem intellectus ad ipsam. Ordo enim et habitudo rei cognitae ad cognoscentem qui est ordo et habitudo secundum rationem, non accipitur nisi ex ordine et habitudine reali intellectus per suam operationem causatam a re ad ipsam rem. Cum enim intelligitur ordo et habitudo mensurati ad mensuram secundum realem dependentiam et respectum, intelligitur etiam aliquo modo

cod. P
fol. 44 Ra

¹ mutetur P. — ² inducant PC. — ³ mens utatur PC. — ⁴ fit PC.

habitus et respectus mensurae ad mensuratum secundum rationem accipientem ipsam ut aliud extremum huiusmodi habitudinis et respectus.

cod. P
fol. 44 Rb

Sed licet hoc videatur habere veritatem circa intellectum speculativum, scilicet quod veritas propter praedicta sit in ipso, non in re, non tamen circa intellectum practicum. Nam cum intellectus practicus sit mensura et causa rerum cognitarum ab ipso et sic res imitentur ipsum et ei adaequantur et conformantur¹ et ab ipso dependeant, videtur quod veritas non sit in intellectu practico formaliter et secundum rem, sed solum secundum | denominationem, in rebus autem secundum rem. Dicuntur enim artificialia vera per imitationem et adaequationem ad ideam et artem in mente artificis a qua causantur. Ad hoc etiam est intelligendum quod cum haec veritas proprie dicta de qua nunc loquimur sit adaequatio, ut dictum est, notitiam sive manifestationem formaliter importans quae non convenit rebus cognitis formaliter et subjective, sed solum intellectui cognoscenti, veritas sic dicta, prout scilicet veritas dicit adaequationem non quamlibet, sed importantem notitiam sive manifestationem apud intellectum, est simpliciter et formaliter in intellectu practico et non in rebus practicis nisi secundum rationem et modum intelligendi et denominationem. Sed loquendo de veritate communiter dicta prout dicit adaequationem et imitationem cuiuscumque dependentis et mensurati, prout Anselmus, in libro de Veritate, in omnibus veritatem ponit dicens veritatem esse quamdam rectitudinem prout rectum dicitur quod est ut debet esse, quod contingit cum habet in se formaliter ea quae respondent ei² virtute in sua causa et in hoc conformatur suae causae, sic bene est veritas secundum rem in rebus practicis ex habitudine ad artem in intellectu practico. Unde res practicae dupliciter comparantur ad intellectum practicum: uno modo ut mensura ipsius intellectus secundum esse cognitum vel secundum cognitionem, | alio modo ut mensuratum secundum esse reale vel secundum existentiam realem quam habent causaliter et effective ab arte intellectus. Faciunt enim sui cognitionem et manifestationem in intellectu et fiunt secundum existentiam ab intellectu. Prius enim necessario est domus secundum esse cognitum in intellectu quam sit secundum esse reale in se ipsa; prius enim est domus | in mente quam in re. Fit enim domus a domo, id est, domus existens in re a domo existente in cognitione, quia intellectus factus in actu cognitionis ex apprehensione domus facit domum apprehensam vel existentem in apprehensione secundum esse existentiae realiter in re extra, sed non oportet quod sit causata domus in mente a domo existente in re sub forma

cod. V
fol. 79 Ra

cod. C
fol. 21 Ra

¹ conformantur P. — ² in *add.* P.

propria, sed sufficit quod sit causata ab aliquibus entibus naturalibus comprehensis | secundum actus intellectus in ordine quodam ad constitutionem alicuius artificialis secundum talem vel talem dispositionem quae habeat rationem talis vel talis domus; et a domo sic formata in apprehensione intellectus, per voluntatem et instrumenta fit domus in re sive in materia. Et talis domus ut sic cognita in ratione obiecti dicitur vera, quia de se facit notitiam et manifestationem sui sub ratione entis factibilis apud intellectum qui adaequatur tali enti artificiali per huiusmodi notitiam in ipso de illo existentem. Domus autem in re ab illa veritate dicitur vera, quia perfecte imitatur illam sic conceptam et ei adaequatur.

cod. P
fol. 44 Va

Secundum ergo praedicta, loquendo de veritate formali et secundum rem, est dicendum quod veritas quae est de re apud intellectum se habet in ratione informantis et perficientis intellectum subiective, quia est ipsa notitia vel manifestatio passiva rei cum respectu adaequationis ad ipsum intellectum; loquendo autem de veritate causali et secundum rationem vel denominationem sic se habet in ratione moventis et ¹ obiecti abstracti vel habentis in se naturam abstractibilem. Non enim est intelligendum ² quod veritas per se sit adaequatio intellectus ad rem prout secundum se existit in re singulariter, quia ut sic non potest esse obiectum intellectus nec actu movere ipsum, sed per hoc quod virtute intellectus agentis sua applicatione ad phantasmata sive ad rem ut sub phantasmatis repraesentatur, abstrahentis quidditatem rei secundum se ab istis condicionibus individuantibus fit in tali dispositione in qua actu potest intellectum movere, et sic ipsa quidditas ut sic habet rationem veritatis causaliter et virtualiter respectu intellectus quem movet actu et cui se actu manifestat. Et ex hoc etiam res ipsa singulariter dicitur vera hac veritate in quantum a re ipsa singulariter existente non separatur huiusmodi quidditas in esse, sed solum secundum considerationem abstractam et dicatur res singulariter vera quia suum quod quid est ab ipsa non separatum sic est apud intellectum sui ipsius declarativum et notificativum et cetera.

Nec valet si in contrarium obiciatur quod eadem veritas est quae est in intellectu et quae voce significatur; | nunc autem vox non significat notitiam intellectus, sed rem cuius est notitia; ergo et cetera. Vox enim significat rem cognitam mediante tamen apprehensione et ³ conceptu rationis vel intellectus; unde significat ⁴ rem cuius est conceptus vel notitia in intellectu et quae est intellecta. Cum ergo in corpore quaestionis

cod. P
fol. 44 Vb

¹ vel P. — ² est intelligendum] intelligendum est C. — ³ sed P. — ⁴ signat P.

superius dicitur quod res intellecta est entitas simpliciter, quare et veritas simpliciter ¹; notitia autem rei est entitas rei ² diminuta; ergo est etiam diminuta veritas, non valet; immo ex hoc sequitur contrarium quod est nostrum propositum.

Nam ex hoc quod res sua entitate perfecta potest se notificare intellectui et per notitiam qua se notificat intellectum ³ sibi adaequat et conformatur, quod est quidam effectus eius diminutus in entitate simpliciter respectu suae entitatis in se; veritas autem, ut visum est, dicit huiusmodi adaequationem realem quae non est nisi in intellectu; ideo huiusmodi ⁴ notitia ex hoc quod cum tali respectu adaequationis est conformativa, sic intellectus est veritas simpliciter et formaliter; et quia non facit intellectum id ipsum quod est res ⁵, sed aliquo modo assimilatur et conformatur in quantum ipsa notitia rei non est id ipsum quod ipsa res intellecta, sed est quaedam imago et similitudo eius ab ipsa intellectui impressa, dicitur entitas diminuta respectu illius; et ista veritas dicitur veritas | per essentiam et non dicitur quid verum in concrectione ex participatione alterius veritatis, sed res dicitur vera participatione istius dicto modo; est ergo veritas rei in anima vel quae est de re in anima veritas simpliciter et est res quae est diminuta entitas; ipsa vero entitas rei extra est simpliciter et perfecta entitas ⁶, diminuta veritas.

Praedicta patent per Philosophum dicentem, sexto Metaphysicae, quod verum est in intellectu, bonum in rebus. Quamvis enim actus appetitus sit causatus ab appetibili et | ipsum appetibile in ratione obiecti sit mensura a qua habet rationem et speciem ipse actus appetitus et sic etiam realiter refertur volitio boni ad volibile sicut scientia veri ad scibile, tamen bonum quod denominatur appetibile in ordine ad appetitum dicitur esse in rebus realiter et formaliter; verum autem quod denominatur | obiectum intellectus sive intelligibile dicitur esse in intellectu realiter et formaliter. Et hoc est quia ⁷ id quod de re est apud intellectum sive res ⁸ secundum esse quod habet apud intellectum perficit ipsum cognoscentem simpliciter et absolute absque hoc quod per cognitionem quam obiectum facit inclinatur ⁹ cognoscentem secundum quod huiusmodi in rem ipsam in se ipsa sive in aliquam perfectionem existentem realiter in ea; sed completur et terminatur causalitas quam habet intelligibile respectu intellectus in ipso actu intelligendi et ipsa operatio intellectus completur secundum quod intellectum est in intelligente, sive in hoc quod ratio rei intellectae est in intelligente. Propter

¹ quare — simpliciter] *om.* C. — ² est — rei] *om.* C. — ³ intellectui. — ⁴ *om.* C. — ⁵ est res] res est PC. — ⁶ et *add.* PC. — ⁷ quod C. — ⁸ id quod — res] *om.* P. — ⁹ inclinatur P.

cod. V
fol. 79 R^b

cod. C
fol. 21 R^b

cod. P
fol. 45 R^a

quod dicitur quod intelligere est motus rei ad animam et est quasi motus rectus, quia actio intelligibilis terminatur in existentia eius apud intellectum secundum actum cognitionis. Sed appetibile non perficit sic appetentem per actum appetendi. Immo id quod per se facit appetibile in appetitum non est nisi quaedam inclinatio ipsius appetitus vel appetentis in rem ipsam secundum se sive in aliquam perfectionem ipsius ex adeptione rei, et ideo terminus huiusmodi ¹ causalitatis ² quam habet appetibile respectu appetitus non completur in ipso actu appetendi sive secundum esse quod habet appetibile in appetente, sed in adeptione ipsius rei per aliam potentiam et alium actum ipsius appetentis. Operatio enim voluntatis et cuiuslibet virtutis appetitivae perficitur in inclinatione appetentis ad rem sicut ad terminum prout res in se est; et ideo est quidam motus quasi ³ reflexus a re ad animam et rursus ab anima in rem et ibi completur in re ipsa; et ideo dicitur quod velle est motus ab anima ad rem, praesupposito tamen motu rei ad animam. Propter quod etiam a veritate quae est in intellectu a re tamen causata denominatur res vera et non dicitur intellectus verus denominative a veritate rei. Sed res non dicitur bona a bonitate existente in appetitu a re ipsa, sed potius voluntas sive actus eius dicitur bonus a bonitate quae est in re. Sicut enim ex hoc quod appetitus transformat se in rem tendendo in ipsam per actum suum causatum etiam a re ipsa qua inclinatur in illam et movet alias potentias ad adipiscendum ⁴ eam, dicitur bonus vel malus a bonitate quae est in re; ita ex hoc quod res transformat se quodam modo in ipsum et intellectum movendo se quodam modo in ⁵ ipsum et | suam impressionem in ipsum quodam modo faciendo et in hoc sistendo dicitur vera a veritate quae est in anima. Etenim dicitur res bona quia sua perfectione nata est trahere appetitum sive appetentem per appetitum ad seipsam. Dicitur autem res vera quia sua perfectione nata est per id quod in intellectu ⁶ efficit intellectum sibi assimilare et conformare et ⁷ similitudinem suae perfectionis declarativam ⁸ in intellectu efficere et efficitur res quodam modo intellectualis secundum actum intelligendi in quantum suam similitudinem quae est id ipsum quod ipsa ⁹ quodam modo, licet diminute ¹⁰, imprimit in intellectu et per hoc intellectum ipsum sibi assimilat.

cod. P
fol. 45 R^b

Volens autem efficitur quodam modo realis secundum actum voluntatis in quantum per voluntatem a re causatam non sistit in ipsa volitione sicut cognoscens in cognitione, sed tendit ad unionem realem et in huiusmodi unione reali terminatur motio ista sicut alia in unione intentionali. Et

¹ huius P. — ² qualitatis C. — ³ quia C. — ⁴ adipiscendo PC. — ⁵ intellectum — in] om. P. — ⁶ intellectum C. — ⁷ om. C. — ⁸ declaratam C. — ⁹ ipsam C. — ¹⁰ licet diminute] diminute licet C.

cod. V
fol. 79 Va

ideo etiam sicut illud quod complet et terminat dictam habitudinem est aliquid in intellectu | et dicitur veritas, ita illud quod complet et terminat hanc habitudinem est aliquid in re et dicitur bonitas. Et sicut verum nihil addit super ens, sed dicit solum quamdam rationem intellectus sumptam ex habitudine rei ad intellectum, ita etiam bonum nihil addit super rem, sed dicit rationem sumptam ex habitudine eius ad voluntatem. Cum etiam dicitur quod verius convenit aliquid ei cui convenit secundum se absque dependentia et cetera, dicendum quod non tenet in respectivis et in his quae respectum in sui ratione includunt. Nam in his quae magis dependent magis ¹ respectum includunt.

His intellectis, patet responsio ad rationes positas in principio quaestionis. Nam cum dicitur quod veritas non est nisi quaedam manifestatio ², verum est loquendo de veritate formaliter. Cum vero arguitur quod verum et ens convertuntur dicendum est quod verum est de veritate causaliter.

QUAESTIO VII.

Utrum voluntas potest se movere per aliquam dispositionem dato quod non potest sine dispositione.

cod. C
fol. 21 Va

cod. P
fol. 45 Va

| Deinde circa voluntatem quaerebantur duo. Primum erat pertinens ad exitum eius de potentia in actum, utrum ista duo stent simul quod voluntas per se ipsam, | praesente obiecto, non possit se movere ad actum volendi et quod ipsa per aliquam dispositionem in ipsa existentem possit se movere ad actum volendi, non obstante quod huiusmodi dispositio et ipsa voluntas sint ³ indistincta subiecto. Secundum erat pertinens ad obiectum voluntatis, scilicet utrum dicere quod actus voluntatis non possit esse per se obiectum voluntatis sit perniciosum.

Ad primum arguebatur quod sic. Primo, auctoritate Anselmi qui dicit, in libro de Gratia et libero arbitrio, quod voluntas per affectiones suas, scilicet per affectionem commodi et per affectionem iusti movet se et quod sine illis nullo modo posset se movere. Hoc idem etiam arguitur multis exemplis

¹ om. PC. — ² et cetera add. PC. — ³ sit C.

quibus ostenditur quod movens et illud secundum quod aliquid est motum non oportet esse distincta subiecto. Nam angelus¹ potentia intelligens aliquid per speciem in eo existentem movet se ad actum intelligendi illud; et similiter etiam diabolus per se ipsum efficit in se suam malam voluntatem. Item intellectus possibilis et agens et etiam virtus phantastica in qua sunt phantasmata in quibus virtute intellectus agentis relucet obiectum intellectus sunt in eodem subiecto, scilicet in anima, et tamen per ista reducit se homo de potentia intelligendi ad actum intelligendi. Item communiter dicitur quod voluntas movet intellectum et intellectus voluntatem et tamen ista sunt indistincta subiecto.

Item, illi qui ponunt intellectum agentem esse memoriam et habere rationem parentis sive patris, cuius est agere, non possunt negare quin activum et passivum possunt esse indistincta subiecto.

Item, hoc arguitur auctoritatibus Commentatoris qui dicit, nono Metaphysicae, quod activum et passivum quandoque non sunt distincta subiecto. Item, dicit octavo Physicorum quod movens et motum aliquando sunt distincta solum diffinitione et non in esse. Item, eodem octavo, dicit quod rationes Aristotelis per quas probat quod movens et motum debent esse distincta subiecto tenent tantum in corporalibus ubi vere est motus, non autem in spiritualibus vel separatis ubi est motus aequivoce; ergo per hoc vult quod anima quae non est forma corporalis sive materialis, sed spiritualis, non utens organo quantum ad suam operationem possit se ipsam movere.

Contra: qui ponunt quod voluntas per se ipsam non potest se movere ad actum volendi, hoc ponunt quia si poneretur quod voluntas posset se ipsam per se ipsam movere sequeretur quod idem secundum idem esset in actu et in potentia; sed hoc sequitur etiam ponendo quod per aliquam dispositionem in ea existentem moveat se; nam sicut voluntas secundum se, cum actu non vult, est² in potentia ad actum volendi, ita etiam cum voluntas, cum illa dispositione non vult illud totum agregatum ex voluntate et illa dispositione et quaelibet huiusmodi partium, est in potentia in³ actum volendi. Si autem secundum se totum et secundum quantumcumque illarum partium facit se in actu volendi, ipsa tota vel illa pars per quam se faceret in actu iam esset in actu | secundum actum volendi; patet ergo quod etiam ex hoc sequeretur quod idem secundum idem esset in potentia et in actu.

cod. P
fol. 45 V^b

cod. V
fol. 79 V^b

¹ bonus *add.* 2^a m. P. — ² esse P. — ³ ad PC.

Respondeo dicendum quod aliqui (1) ponunt quod voluntas etiam absque dispositione superaddita seipsam movere potest; et ad declarandum quomodo voluntas movet seipsam dicunt quod in ea sunt diversa ratione; et secundum unum habet rationem moventis et secundum aliud rationem moti, nec movetur a se primo secundum totum; et secundum unum illorum potest esse in actu ad quod est in potentia secundum aliud. Est enim secundum istos quaedam diversitas secundum rationem in voluntate humana et angelica quae sufficit ad hoc quod vere possit dici movere se ipsam ¹ primo, sed non secundum se totum, sed secundum aliud et aliud; quia voluntas ut est appetitus simpliciter se habet ad se ipsum ut est rationalis sive liber aut liberi arbitrii, sicut se habet genus ad differentiam; haec enim duo nominat voluntas tanquam species composita. Nam sicut homo est animal rationale, ita voluntas est appetitus rationalis; in qua rationalitate eius includitur libertas eius respectu finis et liberum arbitrium respectu eorum quae sunt ad finem. Ideo motum volitionis facit voluntas quae est appetitus rationalis eo quod rationalis est ut una parte eius, in appetitu autem in quantum est appetitus simpliciter ut in subiecto receptibili et passivo ut | in alia parte eius. Verum est etiam quod agens sive movens semper est tale in actu quale est mobile in potentia; sed esse tale contingit dupliciter, scilicet virtualiter vel formaliter. In quibusdam enim est agens tale virtute quale passivum est in potentia, sicut in sole qui est calidus virtute | et inducit caliditatem formalem in aliquo corpore mixto. Sicut etiam grave habet formam secundum quam habet similitudinem virtualem ad locum deorsum et ideo movet se ² ad illum amoto impedimento, ita etiam appetitus humanus habet a create formam liberi arbitrii qua vult secundum actum aut potest velle, amoto impedimento, quod est absentia obiecti; quo facto praesente in intellectu per ³ cognitionem, libere vult illud si sit finis vel potest velle liberum arbitrium si sit ad finem.

cod. C
fol. 21 V^b

cod. P
fol. 46 R^a

Sed ista positio non videtur rationabilis. Potest enim repelli per hoc quod, licet voluntas includat duas rationes per modum generis et differentiae, ex hoc non sequitur quod ratione unius habet rationem activi et ratione alterius passivi. Cum enim incidant in idem ⁴ simplex secundum rem, oportet quod per illa solum sit activa vel passiva. Sed si sit passiva ⁵

¹ ipsum V. — ² om. C. — ³ obiecto vel C. — ⁴ id V. — ⁵ Sed — passiva] om. P.

(1) Opinio Henrici *add. in marg.* C. — Henricus de Gandavo, *Quodl.* XIII, q. 11 (t. II, fol. 535 R, 540 V, 541 R).

verum est quod erit aliter passiva quia rationalis, quam quia appetitus simpliciter; — sicut etiam intellectus est vis apprehensiva rationalis nec habet ex uno quod sit activa, ex alio quod sit passiva, sed ¹ habet quod alio modo est passiva respectu cognitionis in quantum rationalis quam in quantum apprehensiva.

Praeterea, ista positio improbatur ex hoc quod omne agens principale est nobilius si sit non univocum effectu vel aequè nobile si sit univocum; et est nobilius et actualius eo ex quo vel in quo producit huiusmodi ² effectus. Et cum tale agens est quid compositum, est nobilius vel aequè nobile composito producto ab ipso. Si ergo nihil sit agens respectu voluntatis propriae, nec intellectus nec obiectum in virtute intellectus, sed ipsa per se ipsam educit ³ se de potentia ad actum et hoc ut agens principale, non instrumentale; et hoc quia est virtute tale qualem facit se in actu, ipsa voluntas sine volitione ⁴ est quid nobilius quam ipsum totum volens. Semen enim quod est instrumentale agens et virtute ⁵ tale quale est in potentia instrumentum non est nobilius alteri generato.

Praeterea, sicut impossibile est quod illud activum quod est formaliter tale quale debet facere passivum sit illud passivum et se ipsum faciat formaliter tale, ita impossibile est quod illud quod est virtualiter tale quale debet facere passivum sit illud passivum et faciat se ipsum formaliter tale. Sicut enim contra rationem | eius quod formaliter est tale | quale debet facere passivum est quod ex quo iam est tale faciat se tale, quia iam ⁶ esset in actu et in potentia secundum idem et respectu eiusdem, item essent in eodem numero et subiecto plura accidentia numero differentia et plura alia inconvenientia sequerentur; ita etiam contra rationem eius quod virtualiter est tale quale debet facere passivum, formaliter est quod ex quo iam est tale eminentiori et perfectiori modo, quia est principale agens quod faciat se tale minus perfecto modo. Inconveniens etiam est quod qualitas secundum quam agens aliquid tale dicitur virtute et qualitas secundum quam aliquid tale dicitur formaliter illi correspondens, cum haec dicantur esse talia non univoce sed aequivoce, quod ⁷ sint ⁸ perfectiva unius et eiusdem subiecti; et cetera.

cod. V
fol. 80 R^a
cod. P
fol. 46 R^b

Praeterea, quando activum per se est praesens passivo per se sequitur actio et in ⁹ hoc est exclusum omne impeditivum, ut patet per Philosophum, nono Metaphysicae. Si ergo in voluntate ponatur activum et passivum quae semper sibi sunt praesentia ¹⁰ quia sunt id ipsum, ut dicit ista positio, vel

¹ se P. — ² huius P. — ³ ducit C. — ⁴ volitione PC. — ⁵ et add. P. — ⁶ om. C. — ⁷ quia PV. — ⁸ sicut PV. — ⁹ cum corr. 2^a m. C. — ¹⁰ pertinentia PC.

sunt unum subiecto, ut dicit alia, sequitur actio et huic non potest praestari impedimentum. Quid enim potest impedire quod idem non sit praesens sibi ipsi? et cetera.

Dicere¹ autem quod potest intervenire impedimentum negativum, scilicet absentia obiecti, hoc nihil aliud videtur quam dicere quod absentia activi a passivo vel e converso sit impedimentum ne procedat actio. Igne enim existente alicubi est calefactivum, sed impeditur ne calefaciat, quia deest aqua calefactibilis, vel aqua existente alicubi est calefactibile, sed impeditur ne calefiat quia impeditur ab hoc propter absentiam ignis calefactivi. In proposito enim dicitur quod, voluntate existente et absente obiecto, voluntas non producit actum impedita propter absentiam volibilis. Aut ergo dicitur quod voluntas et volibile se habent sicut per se activum et per se passivum, | sicut dicitur in aliis ubi invenitur actio, nisi sit tale impedimentum scilicet negativum quale ponitur circa voluntatem, aut, sicut frequenter dictum est, dicitur quod unumquodque agens agit in se ipsum amoto tamen tali impedimento; et cetera.

cod. C
fol. 22 Ra

cod. P
fol. 46 Va

Hac igitur positione dimissa tanquam | minus irrationali propter has rationes et multas alias quae possunt induci et alibi etiam sunt inductae, videamus utrum voluntas cum aliqua saltem dispositione sibi inhaerente possit seipsam movere, et ex hoc etiam irrationalitas et impossibilitas praemissae positionis magis apparebit. Sciendum est igitur quod quamvis multae rationes possunt induci contra praemissam positionem qua dicitur quod voluntas simplex existens secundum se movet se, tamen una est principalis, quia scilicet identitas et unitas repugnat rationi activi et passivi. Sed eadem ratio invenitur in voluntate cum quacumque dispositione sibi inhaerente. Nam cum de ratione activi et passivi secundum quod huiusmodi sit quod sint distincta secundum has rationes quae sunt potentia et actus — nam activum debet² esse tale in actu quale est passivum in potentia, — unum autem et idem secundum idem non potest esse tale respectu sui ipsius, ideo sic dicitur de voluntate secundum se, scilicet quod non potest se movere. Sed cum de ratione activi non solum sit quod sit in actu et passivi quod sit in potentia, sed quod in quantum est activum sua actualitas ordinetur ad aliud, et similiter secundum quod passivum sua potentialitas ad aliud ordinetur; et ideo, ut dicitur nono Metaphysicae, quod potentia activa est id quod est principium activum in aliud secundum quod aliud (commenta: non in se), cum³ sit manifestum quod nihil agat in seipsum; potentia autem passiva est id quod est principium per quod

¹ differentiae V. — ² dicitur C. — ³ tamen PC.

aliquid recipit transmutationem in se ex alio secundum quod aliud, cum sit manifestum quod nihil patitur a se, ideo si aliquid ¹ ens ex se non sit sic in actu quod | possit ei convenire ratio activi et potentiae activae, quae quidem ratio activi, ut patet ex praedictis, non potest sibi competere nisi respectu alterius per aliquid sibi additum quod sit idem subiecto cum ipso, bene poterit consequi hanc rationem, scilicet quod activum sit, sed non respectu sui, sed respectu alterius. Sicut enim una simplex natura hoc habet quod sit in actu et quod habeat potentiam activam, sed non respectu sui, sed respectu alterius, ita etiam cum alicui enti secundum se non convenit potentia activa per aliquid sibi additum poterit ei convenire etiam respectu alterius, non respectu sui; verbi gratia, ignis secundum se, | quia includit caliditatem quae est principium activum, habet potentiam activam, sed non respectu sui, sed respectu alterius quod potest calefacere; li[n]gna autem secundum se non habent hoc principium ² activum, sed possunt per aliquid additum vel causatum in eis hoc habere. Sed sicut ignis qui ex natura sua hoc habet non est activus in se, sed in alio, ita etiam ligna, si consequantur per aliquam dispositionem in eis vim activam, illa erit respectu alterius. Et ita etiam est de potentia passiva; nam si alicui convenit potentia passiva de se, convenit ei respectu alterius; si autem non nisi per aliquid additum, per id hoc solum etiam consequetur quod cum prius non posset pati ab alio, modo potest. Si ergo voluntas de se non sit activa, tamen si esset activa, necessario esset activa in aliud quod esset tale in potentia qualis ipsa est in actu, per dispositionem in ea existentem non potest consequi nisi quod possit agere ³ in aliud cum prius non posset. Cuius ratio est: nam sicut si ipsa secundum se haberet potentiam activam, unum et idem simpliciter per se esset activum et ratio agendi respectu alterius, ita si ipsa cum alio sibi addito et mediante illo habet potentiam agendi, hoc totum compositum per se erit activum etiam respectu alterius; sed aliquid erit ibi immediata et propria ratio agendi et aliquid ratio mediata; unde penes hoc non poterit causari aliqua diversitas circa voluntatem, ut scilicet, cum secundum se non possit agere in se, per aliquid additum quod sit ei ratio agendi possit agere in se. Et ita etiam est de potentia passiva; nam si anima secundum suam substantiam non sit susceptibilis actus intelligendi vel huiusmodi ⁴, sed per aliquid additum, scilicet quod sit potentia animae vel species intelligibilis, illud additum non facit quod talem actum possit a se suscipere, sed ab alio.

cod. V
fol. 80 R^b

cod. P
fol. 46 V^b

Nec potest etiam dici quod dispositio quaecumque posita in voluntate

¹ aliquid C. — ² habent — principium] hoc principium habent P. — ³ om. C. — ⁴ huius V.

cod. C
fol. 22 R^b

cod. P
fol. 47 R^a

potest esse activum vel passivum, id est, illud cui principaliter convenit agere vel pati, sed solum potest esse ratio agendi vel patiendi totius compositi ex ipsa et voluntate. Supposito enim per se competit agere sive sit simplex sive compositum. Ei autem quod est aliquid compositi potest competere ratio agendi vel patiendi. Si ergo voluntas nuda nihil potest agere vel pati, hoc est quia non habet rationem agendi vel patiendi. Si autem cum dispositione potest, hoc est quia per eam habet rationem agendi vel patiendi; et ipsa cum huiusmodi dispositione per se erit activum vel passivum. Et quia nihil potest per se agere in se ipsum, sicut voluntas nuda non potest movere seipsam, quia idem per se esset in potentia et in actu respectu eiusdem, ita etiam voluntas cum dispositione non potest movere se ipsam, quia etiam ¹ idem secundum idem esset in potentia et in actu respectu eiusdem; quia voluntas et quaecumque dispositio in ipsa non sic haberent se ² quod unum esset movens et aliud motum, sed sic quod unum esset ratio agendi et aliud ratio patiendi respectu alicuius unius actus, totum autem esset per se movens et per se motum et sic nihil esset ibi quod per se non esset in actu et per se in potentia. Propter quod sicut nuda voluntate existente in potentia ad volitionem ipsam non potest se facere actu volentem, quia in ea non est aliquid quod non sit in potentia respectu volitionis et sic idem esset potentia ³ et actu respectu eiusdem, ita etiam voluntas cum sua dispositione non potest se facere in actu volentem.

cod. V
fol. 80 V^a

Cum enim voluntas simul cum sua dispositione sit in potentia ad volitionem, in potentia quidem passiva, quia potest actu velle, non est ibi aliquid quod non sit in potentia. Ergo si cum sua dispositione ⁴ faceret se actu volentem, idem secundum idem esset in potentia et in actu.

Sicut enim potest dici quod voluntas cum affectione vel dispositione est respectu volitionis in se causandae in actu virtualiter, non formaliter, ita hoc idem potest dici de voluntate secundum se (1), et si sufficit ad hoc quod aliquid ⁵ possit agere in seipsum quod sit actu tale virtualiter quale est in potentia formaliter, ita poterit dici quod unum et idem simplex possit agere in seipsum sicut compositum. Propter quod neutri debet attribui quod possit, ex eo quod talis est aliquo modo virtualiter, efficere aliquid in se

¹ et C. — ² haberent se] se haberent P. — ³ esset potentia] potentia esset C. — ⁴ sua dispositione] dispositione sua C. — ⁵ aliquis V.

(1) Contra dictum Gandavensis *add.* 2^a m. C.

ipso, sed ad agere in aliud sufficit quod sit tale in actu sive virtualiter sive formaliter.

Unde, secundum planam intentionem Philosophi et Commentatoris in octavo Physicorum, oportet omne movens se ipsum esse compositum ex pluribus partibus, non sic ad invicem | se habentibus quod solum essentialiter et non subiecto differant et quod una sit illi toti ratio agendi sic quod totum per se ratione illius agat in se, et alia ratio patiendi ita quod totum per se ratione illius patiatur a se ipso, sicut aliqui aestimant esse in gravi et levi, sed sic etiam ¹ quod subiecto etiam differant et quod una sit movens primo et alia primo mota et ratione talium partium quae sunt unius totius illud unum totum est movens se totum per accidens, id est, in quantum una pars est per se movens aliam. Unde, quia animal non est sic unum quod habeat partes integrales et subiecto distantes unius rationis, potest in una parte esse dispositio secundum aliquam actualitatem, ratione cuius potest esse activa respectu alterius partis quae habet aliam dispositionem ratione cuius potest esse passiva et quia in gravi non sunt partes heterogeneae ² sic differentes, ideo una non potest habere potentiam activam respectu alterius, sed quicquid convenit per se uni respectu alterius, convenit et alteri respectu ipsius; et ideo illud quod movet se oportet esse compositum ex partibus heterogeneis. Et quod est eiusdem rationis in toto et in partibus non potest movere seipsum, ut probat Aristoteles, octavo Physicorum, per hoc quod una pars ibi non potest esse agens respectu alterius eo quod agens et patiens secundum quod huiusmodi sunt contraria. Unde ubi sunt partes continuae secundum quantitatem et ³ eiusdem dispositionis et rationis secundum formam non potest inveniri in una parte unde habeat rationem agendi respectu alterius. Quod autem ita sit patet per Commentatorem super dictum locum, licet dictum eius ad contrarium adducatur. Dicit enim ibi quod illa quae moventur per principium in eis necesse est ut dividantur secundum definitionem in motorem et motum. Motor enim debet esse distinctus a moto aut secundum definitionem et esse simul, sicut illa quae moventur ab extrinseco, aut secundum definitionem tantum, sicut est dispositio in habentibus animos. Anima enim quae est motor in eis distinguitur a corpore quod est motum secundum definitionem, licet non distinguatur secundum esse, quia non est anima sine corpore. Et quia corpora simplicia sunt una secundum | definitionem et | nullum eorum potest dividi in motorem et motum, necesse est ut non sint mota ex se, nisi esset possibile ut motor esset ipsum motum. Si autem

cod. P
fol. 47 R^b

cod. P
fol. 47 V^a
cod. C
fol. 22 V^a

¹ sic etiam | etiam sic C. — ² ethrogee PC. — ³ om. C.

quis dixerit quod sunt composita ¹ ex materia et forma quae sunt distincta per definitionem, dicemus quod prima materia non est ens in actu et id quod movetur ex se debet dividi in motorem et motum actu.

cod. V
fol. 80 Vb

Ex his patet quod si grave movet se per se oportet quod in eo sunt talia duo quae sic se habeant non solum quod unum sit ratio movendi active ipsum totum et alia ratio movendi passive cum in gravi sit forma ratione cuius posset dici movens et materia | ratione cuius posset dici motum, sed oportet quod una sit per se movens in gravi, si movet se, ut contingeret de forma et alia per se mota ut contingeret ² de materia. Deinde manifestat quod non solum oportet ea esse distincta definitione, sed etiam subiecto, licet non in esse, ut praemisit: quod etiam non contingeret in gravi etiamsi ponatur gravitas definitione distingui non solum a materia quae est ens solum ³ in potentia, sed a natura substantiae gravis quae est ens in actu per formam substantialem. Unde subdit, exponendo illud Philosophi quomodo est possibile ut aliquid continuum et naturarum convenientium moveat se ipsum. Commentator etiam intendit per continuum illud quod est unum non per contiguitatem ⁴ per conveniens et cetera, illud quod est similium partium cuius definitio partis et totius est una, scilicet id quod non est diversae substantiae res; ergo secundum quod continuae non contiguae ⁵ impossibile est ut recipiant passionem, id est motum a se. Unde patet quod, quia corpora simplicia sunt omnino unum secundum quantitatem, quia perfecte continua, et secundum formam quia secundum eandem rationem perficit forma talis totum et singulas partes, non potest in eis inveniri movens et motum.

cod. P
fol. 47 Vb

Sed quia animal non sic est unum perfectum continuitate, sed naturali colligatione partium quae etiam ratione et definitione formali differunt ab invicem (nam sunt partes organicae quarum forma non est anima secundum se ut est forma substantialis, sed secundum suas potentias, et in aliqua parte determinata est vis appetitiva et vis motiva virtute cuius partis aliqua propinqua pars impellitur et movetur et sic deinceps), anima ergo quae | movet corpus non dicitur sic movere quod, ut est altera pars compositi formalis differens ratione ab altera, scilicet materialis, sit movens corpus per se, et corpus quod perficit sit motum per se: sed ipsa quae differt definitione, non in esse a corpore, per aliquam potentiam suam appetitivam et motivam secundum esse quod habet in aliqua parte determinata, movet corpus, movendo primo aliquam partem determinatam. Unde, illud animae

¹ sunt composita] composita sunt C. — ² de forma — contingeret om. P. — ³ ens solum] solum ens P. — ⁴ contiguitatem PC. — ⁵ contingue P.

per quod ipsa movet corpus est potentia animae; et est perfectio entis in actu, quia partis organicae iam perfectae per animam secundum quod est forma substantialis; et ideo dicitur ¹ quod anima movens corpus differat ab eo definitione, non in esse, quod non intelligitur de anima secundum quod est actus substantialis, quia sic non relinquatur nisi ens in potentia, scilicet materia quae non movetur ², sed intelligitur de anima secundum rationem talis potentiae, scilicet appetitivae et motivae quae ratione differt a corpore composito ex materia et forma substantiali ³, sive anima ut est forma substantialis, non autem in esse, quia est perfectio alicuius partis corporis actu tamen existentis per animam. Unde si per impossibile esset aliquod animal cuius partes omnes essent eiusdem rationis, sicut contingit in gravi, licet haberet appetitum et vim motivam quae etiam essent in qualibet parte corporis, non moveret seipsum. Quod autem non sic intelligendum quod animal movet se in quantum est divisibile in duo secundum definitionem, scilicet in animam et corpus, ut per animam secundum quod est in toto corpore sit movens et per corpus motum, sed quod secundum esse quod habet anima in una parte corporis non mota per se moveat alias partes. Patet per hoc quod dicit Aristoteles, libro de Motibus animalium dicens, quod aestimandum constare animal quemadmodum ⁴ civitatem bene legibus rectam. In civitate enim, quando bene stabilitus fuerit ordo, nihil opus est separato monarcho quem oporteat adesse ad singula eorum quae fiunt, sed ipse quilibet facit quae ipse, ut ordinatum est, et fit hoc post hoc propter consuetudinem. In animalibus autem idem hoc propter naturam [hoc] fit et quia natum est unumquodque sic constantium facere proprium opus sic ut nihil opus sit in unoquoque animam esse, sed tamen quodam principio corporis existente, alia quidem vivere | eo | quod adnata ⁵ sunt facere autem proprium opus propter naturam. Unde non solum oportet aliquid esse immobile extra animal ad hoc quod moveatur, sicut contingit in motu caeli, sed oportet etiam quod habeat aliquam partem intrinsecam, id est, ad ipsum animal pertinentem | fixam super immobile extra ad motus progressivi executionem, ad quam scilicet appellatur alia pars movenda. Nec adhuc propter hoc dicitur animal movere se proprie, sed quia oportet ⁶ etiam ad motus animalis inchoationem esse in animali aliquam partem immobilem per se a qua oriatur omnis motus localis ipsius animalis, virtute tamen appetitus et potentiae motivae, ut haec in libro de Motibus animalium declarantur.

Sed iterum, ad propositum scilicet quod nihil per se possit se ipsum

cod. P
fol. 48 Ra
cod. C
fol. 22 Vb

cod. V
fol. 81 Ra

¹ om. C. — ² movet C. — ³ materiali C. — ⁴ quemadmodum C. — ⁵ nata P. — ⁶ om. P.

movere, videtur facere ratio et dictum Commentatoris super secundo¹ Physicorum ubi dicit quod a contingente quod habet se aequaliter ad plura nulla actio provenit secundum quod est contingens aequaliter quantum natura eius est natura materiae et non formae et ita materia ergo prima est parata² ad recipiendum duo contraria aequaliter; et similiter apparet de anima concupiscibili³, scilicet ipsam esse paratam ad actiones contrarias aequaliter. Illud igitur contingens non habet causas agentes contrarias aequaliter. Unde necesse est ut actiones illae attribuantur agenti, scilicet qui facit alterum contrariorum; et ita apparet ergo quod contingens aequaliter non invenitur in potentiis agentibus per se, sed in potentiis passivis et in eis quorum praeparatio ad receptionem duorum contrariorum est aequalis, sive sit anima sive non anima et cetera.

Cum ergo voluntas de se sit indifferens ad duas volitiones secundum duo volita, vel ad volendum vel ad nolendum⁴ aliquid unum, et in hoc habeat rationem materiae secundum Commentatorem, oportet quod per aliquid determinatum fiat in actu secundum alterum horum. Non est enim dare quare in unum exeat potius quam in aliud si nulla facta sit in ea mutatio quae prius non erat, aut si, quacumque mutatione facta secundum quemcumque influxum, adhuc manet indifferens quantum est de se ad utrumque. Alioquin si sic dici potest de voluntate, aequè faciliter et rationabiliter poterit negari omnis potentia activa distincta a passivo et dicetur quod unumquodque ens producit se ipsum de potentia ad actum. Quis enim probabit quod ignis generet ignem ex aqua? Dicetur enim quod in aqua est forma substantialis ignis virtualiter quae tamen non efficit se in actum nisi praesente igne ut causa sine qua non. Quis etiam probabit lignum vel corpus aliquod calefieri ab igne? Immo dicetur quod seipsum calefacit, praesente igne ut causa sine qua non. Idem etiam dici poterit de actibus omnium potentiarum animae, ut patet⁵ inducendo; quia enim per nihil potest probari aliquid esse activum respectu alterius nisi quia, illo praesente, aliud est in actu aliquid quod prius erat in potentia. Ita etiam⁶ videmus in voluntate quod praesente obiecto fit in actu de necessitate respectu finalis obiecti, non de necessitate respectu aliorum; nec unquam fit in actu nisi secundum modum et formam rationis; quia nihil fugit nisi iudicet illud esse nocivum, nihil etiam prosequitur nisi iudicet illud esse conveniens; quia non est in actu nisi praesente obiecto, obiectum autem fugere non est nisi id quod sub ratione mali et nocivi apprehenditur, obiectum autem prose-

cod. P
fol. 48 R^b

¹ tertio C. — ² est parata] parata est PC. — ³ et similiter — concupiscibili] om. P. — ⁴ vel ad nolendum] om. PC. — ⁵ pote C. — ⁶ autem PC.

cutionis est id quod sub ratione boni et convenientis apprehenditur. Non videtur ergo ratio per quam probari possit quod aliquod¹ ens sit activum respectu alterius per quod non possit etiam probari de obiecto respectu voluntatis. Non videtur ergo esse negandum quin voluntas vere ab obiecto moveatur quantum ad actus volitionis.

Si autem, ut dicunt alii, actio non omnino subtrahitur ab obiecto voluntatis, quia efficit in voluntate aliquam dispositionem et influxum quo determinatur voluntas ad actum determinatum volitionis, quem tamen actum, supposita illa dispositione, voluntas se ipsam vi suae libertatis efficit, similiter etiam dicitur quod alia agentia actum principalem non efficiunt² in passivis, sed tantum quamdam dispositionem et influxum, quo supposito, agunt actum principalem. Sed hoc falsum est; unde similiter est falsum ex alia parte, scilicet in voluntate. Verum est enim quod omnia agentia principalia inducentia in passiva aliquas dispositiones in | ordine ad formam principalem iuducunt etiam huiusmodi | formam, ut patet in omnibus aliis a forma humana quae propter sui nobilitatem non potest produci ex aliquo, sed ex nihilo a solo Deo per creationem; et quod nulla forma | principalis inducitur a subiecto in quo talis dispositio prima inducitur. Unde hoc oportet similiter ponere in voluntate.

cod. P
fol. 48 Va
cod. C
fol. 23 Ra

cod. V
fol. 81 Rb

Cum etiam ponatur ab aliquibus quidam consimilis influxus fieri ab obiecto in intellectu respectu sui actus intelligendi et tamen dicitur quod etiam obiectum³ efficit ipsum actum intelligendi, alioquin intellectus non diceretur virtus passiva, videtur posse dici hoc de voluntate sicut de intellectu, ita tamen quod libertas voluntatis salvetur dicendo quod secundum condicionem suae libertatis movetur de necessitate solum a summo bono, non de necessitate autem sed cum possibilitate ad oppositum ab omnibus aliis, ita quod, licet in potestate hominis non sit per voluntatem semper prompte ac delectabiliter vel sine tristitia agere et eligere, vel non agere et non eligere ea quae sunt citra finem, prout dicit Philosophus tertio Ethicorum, quod ante generationem habitus in nobis est hoc sed non post habitus generationem, tamen semper a principio usque in finem per libertatem voluntatis remanemus domini actionum, scientes quae circa singula. Quomodo autem hoc sit aliquo modo potest sic ad praesens explicari. Nam in vita ista secundum cursum communem numquam ita aboletur iudicium rationis quin remaneat sic quod per principia universalis potest rectificari per deductionem ordinatam ad posteriora et sic etiam malus per seipsum potest fieri bonus, licet cum difficultate. Intemperatus enim habens notitiam cor-

¹ aliquid C. — ² eliciunt 2^a m. C. — ³ etiam obiectum] obiectum etiam P.

cod. P
fol. 48 Vb

ruptam circa venerea habet rectitudinem iudicii quantum ad universalia per quae potest seipsum deducere ad hoc quod cum occurrit aliquid delectabile id non prosequitur licet cum difficultate absteineat. Sicut enim timor poenae comminatae facit alicui aestimationem ratione cuius ad horam seipsum cohibet quantum ad actum exteriorum, licet | cum tristitia; ita etiam consideratio alicuius deformitatis et turpitudinis potest ipsum movere ut absteineat, licet cum difficultate et tristitia appetitus sensitivi; et sic tandem per frequentes tales actus poterit virtus adgenerari. Si autem aliquis permittat ex negligentia invalescere passionem, vel insistat diu circa alicuius delectabilis considerationem et non divertat intellectum ab hoc et tandem devenit ad corruptionem iudicii in particulari, iudicando quod, omnibus consideratis, melius est nunc tale quid facere propter delectationem quam illud omittere propter quamcumque deordinationem, non obstante quod tunc voluntas agit secundum iudicium perversum rationis, imputatur sibi, quia, ut dicit ibi Aristoteles, eius quod est diligentes esse domini sumus. Unde etiam defectus corporales et infirmitates quae contingunt ex negligentia homini recte imputantur. Quia ergo habens voluntatem potest, per notitiam universalem quam habet circa defectum omnis boni defectivi divertere intellectum ¹ ad aliud considerandum, et quia non movetur nisi ab apprehenso, a nullo tali de necessitate movetur quamdiu ratio non totaliter corrumpitur, sicut in amentibus et furiosis; et ideo non bene videntur ² dicere qui (1) dicunt quod voluntatem esse passivam et ipsam esse liberam non stant simul, ac si ponentes eam moveri ab obiecto nitantur destruere libertatem arbitrii. Si enim poneretur quod respectu cuiuslibet obiecti de necessitate absoluta ³ moveretur, libertas arbitrii tolleretur. Sed cum ponitur moveri dicto modo libere et non de necessitate, quia posset non moveri ab obiecto tali in quo posset considerare defectum, servatur libertas quae voluntati competit.

cod. P
fol. 49 Ra

Unde non valet etiam si sic arguatur: homo est dominus suorum actuum per voluntatem; videtur ergo quod voluntas sit potissime domina sui actus, sed non videtur habere dominium super actum suum si est simpliciter passiva respectu illius; quare et cetera. Item, cum nihil sit ita in potestate voluntatis sicut velle, videtur quod respectu illius habeat dominium | et quod sit illius effectiva; ergo non est in potentia simpliciter passiva. Potest enim dici quod hoc quod aliquid habet dominium super aliquid, hoc

¹ intellectui P. — ² bene videntur] videntur bene C. — ³ necessitate *add.* PC.

(1) Henricus de Gandavo, *Quodl.* IX, q. 5 (t. II, fol. 159 V-160 et fol. 161 V in fine).

contingit quia suo actu potest efficere libere aliquid circa illud vel in illo. Unde voluntas habet dominium super ea quae actu suo potest movere aliquo modo | et educere de potentia ad actum; et ideo ipsa super actum suum dominium proprie non habet per se et directe ac immediate, sed super alias | potentias et super actus earum (1); quia alias potentias habet movere ad exercitium actus et habet imperare actus aliarum potentiarum, sed a nulla alia habet sic moveri. Quia ergo voluntas inter potentias animae humanae est maxime secundum hoc activa et motiva, non autem determinate et uno modo tantum, eo quod movet efficiendo, mota tamen ab obiecto apprehenso a ratione deliberativa non determinata, ideo per voluntatem dicitur habere homo dominium, non per alias potentias. Quod tamen non est ita ¹ intelligendum quod per solam voluntatem dicatur homo habere dominium sui actus, excludendo etiam ipsam rationem a cuius obiecto movetur; sed quia actus intellectus non immediate efficit operationes alias, quia eius non est movere secundum exercitium actus, sed hoc convenit voluntati; unde non debet dici quod homo habeat dominium super actus suos per voluntatem simpliciter et absolute, sed per rationem et voluntatem in quantum etiam liberum arbitrium utrumque includit, quia dicitur esse facultas rationis et voluntatis. Unde etiam ab aliquibus (2) bene dicitur quod homo habet dominium super actus suos eo quod habet deliberationem de suis actibus. Dicitur etiam quod nihil est in potestate voluntatis sicut velle, non quia actum volendi efficiat voluntas in se ipsa, sed quia actus volendi non potest impediri sicut alii actus qui per voluntatem imperantur.

cod. V
fol. 81 Va

cod. C
fol. 23 Rb

Potest enim homo intelligere cum vult et quae vult. Praesente autem ² obiecto voluntatis a nullo potest prohiberi actus volendi. Sed cum voluntas ³ est in actu volendi, potest esse impedimentum respectu actuum aliorum. Universaliter igitur tam in voluntate quam in aliis dicendum est quod nihil movet se ipsum, | non obstantibus praemissis obiectionibus vel quibuscumque aliis quas vidi; et hoc praecipue propter rationes activi et passivi, ut iam allegatum est prius, quia, si de ratione potentiae activae secundum quod huiusmodi est posse ⁴ agere in aliud secundum quod aliud, passivae autem est transmutari ab alio secundum quod aliud, patet quod in quolibet genere entis oportet activum et passivum esse realiter distincta.

cod. P
fol. 49 Rb

¹ om. PC. — ² tamen P. — ³ non *add. 2a m. C.* — ⁴ possem P.

(1) Nota hoc quod dicit Henricus *add. 2a m. C.*

(2) Thomas Aquinas, *Summa Theologica*, 1, q. LXXXII, a. 1, *ad tertium*.

Si autem dicatur quod in quibusdam de ratione potentiae activae est transmutare aliud, in quibusdam idem hoc sine ratione dicitur, et in hoc etiam manifeste contradictoria implicantur, et qua ratione dicitur in uno et in alio. Unde, posito quod in uno solo idem agat ¹ in se ipsum, vel educat se de potentia ad actum, aequali facilitate ponetur in omnibus. Nam si dicatur quod voluntas movet se et non moveatur ² ab obiecto, alioquin praesentato obiecto uno duobus, qua ratione voluntas unius moveretur, eadem ratione voluntas alterius moveretur; quod tamen non contingit, ut patet praecipue per exemplum Augustini, duodecimo de Civitate Dei, de duobus aequaliter dispositis quorum unus movetur ad praesentiam cuiusdam obiecti delectabilis, non autem alius. Sed si ponantur duo ligna eiusdem condicionis ad praesentiam ignis, si unum calefit oportet etiam quod aliud calefiat; ergo in istis est manifestum quod fiunt in actu, igne agente, non sic autem in habentibus voluntatem respectu obiecti — dici poterit quod hoc non valet ad ostendendum quod sola voluntas movet se, quia quod duo ligna aequae disposita ad praesentiam ignis aequae calefiant, non sic autem aequaliter movetur voluntas duorum ad praesentiam alicuius volibilis, hoc contingit ex parte voluntatis ex libertate talis agentis abstracti, scilicet quod non determinatur virtus eius activa ad actum secundum praesentiam talis obiecti. Sed lignum quod omnino naturaliter et determinate agit per se ipsum, calefacit seipsum praesente igne, quia ex natura sua ad hoc est determinatum. Hoc ergo dicitur contingere | non quia voluntas sit potentia activa, lignum autem non, sed quia haec ³ potentia activa est determinata ad talem | actum, non illa; sicut etiam de voluntate dicitur quod est potentia activa respectu ultimi finis, et tamen, ultimo fine apprehenso a quocumque, de necessitate fertur ad illum et de necessitate facit se volentem finem, sicut lignum de necessitate facit se calidum, praesente igne. Videtur ergo ista positio falsa. Nec obstat quod dicit Augustinus 83 quaestionibus, 9, quod moveri per se animam sentit qui sentit in se esse voluntatem, nam si volumus non alius de nobis vult; quia per hoc non intelligit quod voluntas ab obiecto non moveatur, sed quod etiam iste motus est voluntarius et non fit in nobis, invitis nobis, quia ab alio ad volendum non impellimur nec cogimur, sicut aliquis de manu mea, me invito, scriberet; unde subdit ibidem: et ille | motus animae spontaneus est. Hoc enim tributum est ei a Deo et sic est per se ab anima, sic quod licet ⁴ sit ab obiecto movente est tamen sic quod anima non compellitur sed libere consentit. Non similiter autem se habet in aliis motibus ⁵

cod. V
fol. 81 Vb
cod. P
fol. 49 Va

cod. C
fol. 23 Va

¹ idem agat] agat idem C. — ² moveatur C. — ³ om. C. — ⁴ quod licet] quodlibet P.
— ⁵ aliis motibus] motibus aliis C.

qui nobis invitis possunt fieri in nobis et de nobis. Et hoc est quod prius dicit quod si volumus, non alius vult de nobis, quia sponte et nobis consentientibus fit actus voluntatis. Sed cum inviti scribimus per manus motum violentum, nos proprie non scribimus, sed alius de nobis scribit. Item nituntur plures ostendere auctoritate Aristotelis et Commentatoris quod voluntas moveat seipsam per hoc quod dicitur nono Metaphysicae, quod cum potentiae rationales sint ad opposita, quia scientia est contrariorum, non sunt principia alicuius actionis ex se solum, alioquin contraria simul agerent, ideo necesse est, ut sit dominus verus alius ¹ quod sit causa in hoc quod agunt alterum contrariorum quandoque et quandoque alterum. Et hoc est verum principium. Et hoc principium quod facit magis agere contrarium quam alterum est appetitus et voluntas. Ex hoc videtur quod voluntas moveat se libere ad alterum contrariorum et non moveatur ab aliquo illorum.

Et est dicendum quod, cum voluntas sive volens non determinatur ad alterum nisi propter aliquid propter quod agere vult, oportet quod ad hoc quod alterum magis eligat et magis appetat | propter ² hoc sit quia illud aestimat melius et magis eligendum. Hoc autem contingit ex aliquo bono apprehenso a quo voluntas, quasi a fine mota, ex consequenti eligit alterum contrariorum quod magis ordinatur ad illum finem quem ³ magis appetit. Unde subdit ibi, scilicet in nono Metaphysicae ⁴: appetitus enim, cum fuerit alterius contrariorum, tunc actio agentis pendet ex illo contrario; et similiter a voluntate; et ille non agit ⁵ de contrariis nisi illud quod magis appetit. Ipse autem Commentator dicit, duodecimo Metaphysicae, quod aliquid desideratur quia aestimatur esse bonum et quanto magis aliquid fuerit aestimatum bonum, tantum desiderium erit maius; et sic voluntas non movet se, sed movetur a bono apprehenso secundum modum et formam apprehensionis.

cod. P
fol. 49 V^b

Ex dictis ergo Philosophi magis arguitur ipsum ⁶ propositum quam contrarium. Quidam tamen arguunt adhuc quod ⁷ non oportet movens et motum esse distincta subiecto per hoc quod dicit Commentator, duodecimo ⁸ Metaphysicae, quod balneum quod est in anima est movens secundum rationem efficientis et secundum quod est in re secundum rationem finis. Propter formam enim balnei quae est in anima desideramus formam aliam quae est extra animam. Forma ergo balnei quae est in anima est agens desiderium et motum; secundum autem quod est extra animam

¹ aliud VC. — ² quod VC. — ³ et secundum P, quod C. — ⁴ om. VP. et 1^a m. C. — ⁵ agit P, non agit] potentiae non agunt C. — ⁶ om. C. — ⁷ om. C. — ⁸ 13 C.

cod. V
fol. 82 Ra

est finis motus. Ex hoc autem videtur quod cum voluntas cuius est desiderare sit in anima et etiam forma balnei in anima, quod idem subiecto est movens et motum. Sed illud magis est ad nostrum propositum, scilicet ad ¹ ostendendum quod voluntas non moveat se, sed | quod moveatur ab obiecto apprehenso, quia bonum secundum quod apprehensum movet voluntatem vel ad ² actum volitionis ut hoc dicitur secundum rationem causae efficientis, licet secundum quod est in se ipso moveat in ratione finis. Quomodo autem ex hoc non sequitur quod movens et motum sint idem subiecto declarabitur ostendendo quomodo obiectum primo movet intellectum et deinde voluntatem. Licet etiam verum sit ³ quoddam dictum Commentatoris, nono Metaphysicae, quod contra hoc inducitur, tamen non est secundum intentionem Aristotelis ibidem, prout patet ex nova translatione quae certior est.

cod. P
fol. 50 Ra

Si tamen recte intelligatur, illud dictum Commentatoris ⁴ non facit pro illis. Littera quam exponit sic Commentator ⁵ habet: for | te possibile ut actio et passio sint sicut una potentia, forte erit sicut alia; quaedam enim est in passivo et quaedam in agente. Item, quod Commentator non sit pro eis patet. Dicit enim sic Commentator: possibile est ut potentiae activae et passivae ab eis sint ⁶ in eodem. Aestimatur enim quod potentia quae est in agente est entis cuius est potentia passionis, verbi gratia, illud quod movetur in loco per se. Alteratio autem et generatio aestimatur esse ut principium actionis in eis sit in subiecto alio a principio passivo. Ex istis enim patet quid Commentator intelligit per principium activum et passivum esse in eodem vel non esse in eodem ⁷. Non enim intelligit hoc esse in eodem subiecto indivisibili sed communi. Animal enim quod | movetur est quid unum secundum substantiam, divisibile est autem ⁸ secundum diversas partes organicas secundum quarum unam potest dici movens, secundum aliam ⁹ motum. Unde in motu animalis movens et motum non differunt loco nec subiecto nec re, sed situ tantum, ut patet in homine in quo est anima quae est tota in qualibet parte quae, ut est in parte una, puta dextra, movet aliam, puta sinistram; sed quia istae sunt partes unius totius quod est unum ab una forma substantiali ideo dicuntur esse in eodem dicto modo. Verum quia illud quod alteratur et generatur et transmutatur ab eo quod non est idem cum ipso nec subiecto nec etiam unius formae substantialis participatione, ideo ibi dicitur quod sunt simpliciter hae potentiae in alio et alio. Ex hoc etiam potest patere quare animal non dicitur alterari ex se

cod. C
fol. 23 Vb

¹ om. C. — ² et PC. — ³ etiam verum sit] verum sit etiam C. — ⁴ om. P. — ⁵ sic commentator] commentator sic PC. — ⁶ sicut P. — ⁷ simul *add.* C. — ⁸ est autem] autem est P. — ⁹ alium P.

cum una pars ab alia alteratur. Dicitur tamen moveri ex se secundum locum cum una pars ab alia movetur. Huius ¹ ratio est, quia una pars non alterat aliam nisi etiam ipsa iam sit ab alio alterata et nisi existens in actu in quantum facit aliam in actu, sicut hepar non calefacit stomachum nisi sit calefactum. Sed primum movens in animali secundum locum, licet sit transmutatum secundum aliquam qualitatem et alterationem, non tamen secundum loci mutationem. Unde quia non mota localiter movet aliam et sic motum localem quem prius animal non habebat formaliter nec in parte movente nec in mota, nunc habet ab aliqua sui parte illum primo | agente. Non sic autem potest dici in alia transmutatione. Ideo dicitur animal ex se habere motum localem, quia ex aliqua sui parte, sed non mota localiter. Deinde subdit Commentator super illud: In quibusdam rebus potentia activa erit in ipso passivo et in quibusdam in alio; et intendit quod non est necesse quod hoc principium sit in subiecto diverso in quo est potentia passionis in loco. Et hoc etiam inducitur contra praedicta.

cod. P
fol. 50 R^b

Sed ex hoc etiam nihil habetur contra illa (1). Loquitur enim de his quae per aliquod agens principium reducuntur de potentia ad actum, non solum secundum motum localem, sed secundum formam aliquam. Quod patet per hoc quod dicit postea: Passivum enim patitur secundum quod habet principium quod differt ab ipso quod extrahit ipsum de potentia ad actum. Talium autem quaedam producuntur a principio simpliciter separato et distincto loco et subiecto, ut contingit in his quae non generantur ex semine, ut cum ex aqua generatur ignis ab igne; quaedam | autem a principio coniuncto, non secundum aliquid indivisibile nec secundum participationem unius formae substantialis cum passivo, sicut contingit in motis ex se localiter quantum ad animalia, sed in coniuncto cum passivo in aliqua massa una habente tamen partes quantitativas et formales, sicut est ² commixtum ex seminibus maris et feminae. In illo enim est activum coniunctum passivo, sed non in eadem parte indivisibili, sed sunt propinqua; unde talia quae sic coniunguntur in una massa non sunt proprie distincta loco prout hic ³ dicit. Quod etiam dicit Commentator, octavo Physicorum, quod sermo Aristotelis dicentis quod impossibile est ut aliquid moveat secundum quod movetur, tenet in motis et moventibus quae moventur univoce et hoc dicit ⁴ quia hoc non est impossibile nisi in motoribus qui non sunt corpora aut virtutes in corporibus; philosophi enim aestimaverunt quod abstracta movent

cod. V
fol. 82 R^b

¹ huiusmodi V. — ² sicut est] *om.* C. — ³ hoc P. — ⁴ dixit PC.

(1) Responsio ad Henricum *add. 2^a m. C.*

se; sed si hoc fuerit ita, tunc motus et movere illic dicuntur aequivoce cum motu qui est hic.

Hoc non valet ad ostendendum quod anima vel voluntas moveat ¹ se ipsam, sed potius ad contrarium. Intelligendum tamen quod qui vult se iuvare de hac auctoritate | quantum ² ad totum debet concedere quod corpus vel virtus in corpore non potest se ipsum movere sic quod secundum unam et eandem partem corporalem sit movens et motum, — alioquin si intelligeretur sic quod sufficeret quod secundum aliqua duo essent movens et motum sic quod totum ³ per se moveretur et moveret, — sed secundum unam partem haberet rationem moventis et secundum aliam rationem moti, cum hoc etiam oporteat ponere in omnibus moventibus se ad excludendum illud inconueniens quod idem secundum idem sit actu et potentia; nec valeret differentia quam videtur ponere Commentator istorum corporalium ad separata. Item, si secundum Commentatorem in separatis non tenet quin idem possit esse movens et motum, eo quod ibi non est vere et proprie motus, etiam ⁴ vocando verum motum exitum de potentia ad actum qui nullo modo secundum ipsum est ibi, ex hoc arguitur, secundum eum, quod ubicumque | est exitus vere de potentia ad actum, oportet ponere diversa secundum rem. Et hoc patet expresse per Commentatorem, secundo ⁵ Physicorum, ubi dicit quod illud quod est in potentia ad plura numquam exit in actum per se, sed oportet quod sit aliud agens ipsum extrahens de potentia ad actum. Item, quod illud quod dicit de separatis non valeat contra dicta patet: constat enim quod appellando verum motum exitum de potentia ad actum qualem ponimus in voluntate cum vult quod prius non volebat, nullo modo talis motus secundum Philosophum et Commentatorem est in separatis, quia nullam innovationem ponunt in eis cum nec per se nec per accidens subsint motui caeli a quo secundum ipsos omnis exitus de potentia ad ⁶ actum causatur. Unde, in duodecimo Metaphysicae, probatur quod substantiae separatae semper sunt in actu; immo quod in eis idem est secundum rem intellectus et intellectum ⁷ et actus intelligendi. Ergo prout hic ⁸ dicit Commentator: si verum est dictum Platonis, scilicet quod moveant se, intelligitur de motu aequivoce dicto, id est solum secundum rationem intelligendi, quia ibi intelligitur aliquid ut intelligens ⁹ et aliquid ut intellectum et ipsum intelligere quasi quiddam secundum fieri et moveri, et hoc quidem modo movere se ipsum perfectissime convenit primo ¹⁰ abstracto, | scilicet Deo, a quo tamen omnis potentia est relegata. Unde dicit Augustinus, octavo

cod. P
fol. 50 Va

cod. C
fol. 24 Ra

cod. P
fol. 50 Vb

¹ movet C. — ² est *add.* P. — ³ motum C. — ⁴ *om.* C. — ⁵ tertio C. — ⁶ in P. — ⁷ intellectui P. — ⁸ hoc P. — ⁹ intll's V. — ¹⁰ et *add.* V.

super Genesim, quod Spiritus Creator movet seipsum sine tempore et loco.

Item, solent etiam induci plures instantiae contra id quod dicitur quod oportet per se et primo movens et per se et primo motum esse distincta subiecto, scilicet de motu gravis deorsum et e converso. Possum addere de motu gravis sursum, scilicet de ascensu ¹ aquae in urinali vel in clepsydra ² sive in cantephora ³ et huiusmodi; item, de motu ferri ⁴ ad adamantem, in quibus non apparet motor distinctus; item, quod non secundum locum solum, sed etiam secundum alterationem et augmentum | idem moveat se ipsum ut ⁵ videtur de aqua calefacta quae revertitur ad frigiditatem maiorem quam sit frigiditas aeris continentis, ut prius inductum est. Item, nutriens se ipsum uniendo sibi nutrimentum extendit quantitatem suam. Item, cum haec etiam sunt exempla inducta a Philosopho et Commentatore de libro de Morte et Vita. Nam ignis deficit non solum actione contrarii, sed etiam actione sui ipsius in se ipso, scilicet marcescendo. Item, calidum naturale agit continue in humidum radicale in quo est tanquam in subiecto; et multa alia consimilia.

cod. V
fol. 82 Va

Sed dicendum quod in omnibus istis non est idem movens et motum per se, sed in aliquibus idem est movens et motum per accidens ut in descensu gravis. In aliis autem est movens per se distinctum sed latens. Haec autem sunt magis naturalis quam theoreticae speculationis.

His visis, patet responsio ad auctoritatem Anselmi in principio inductam in qua dicit quod anima et voluntas movent se secundum affectiones. Dicendum est enim quod per affectionem in appetitu vel in voluntate existentem potest intelligi ipsa naturalis idoneitas ut aptitudo qua voluntas naturaliter inclinatur ad bonum vel aliqua habitualis dispositio superaddita per acquisitionem vel per infusionem; et est intelligendum quod per huiusmodi affectionem non dicitur voluntas se movere per se et directe, sed indirecte et quasi dispositive, in quantum scilicet per | talem affectionem sic est disposita quod per illam habet quamdam conformitatem ad quaedam obiecta sic quod cum apprehenduntur ab intellectu apprehenduntur sub ratione boni et convenientis. Sic autem apprehensa per se et directe movent voluntatem sicut obiectum movet potentiam. Et hoc patet per exempla quae circa hoc inducit Anselmus. Eadem etiam est sententia Philosophi dicentis, tertio Ethicorum, quod qualis unusquisque est talis finis videtur ei et cetera.

cod. P
fol. 51 Ra

Restat respondere ad instantias suprapositas. Prima autem dictarum instantiarum inductarum, scilicet in principio quaestionis, est ⁶ de innova-

¹ assensu PC. — ² clepsedre V. — ³ cantaplorā C, cantoplorā V. — ⁴ om. V. — ⁵ del. V.
— et C.

tionibus actuum quibus angeli intelligunt alia a se ex naturalibus, quia videtur quod per aliquid in eis existens reducunt se de potentia ad actum secundum huiusmodi actus cum nihil extrinsecum videatur agere in ipsos. Item de peccato primi angeli qui causavit in se suam malam voluntatem.

Et quantum ad praesens est dicendum quod illi philosophi praecipui qui ductu naturalis rationis absque lumine fidei de talibus tractaverunt totum exitum de potentia in actum circa substantias separatas negaverunt, propter quod id quod circa hoc tenemus magis ex auctoritate Sacrae Scripturae et fidei adhaesione tenemus quam per rei | evidentiam capiamus. Quae autem fide tenentur suppono esse verissima. Sed cum talia quae ¹ in vita praesenti aut non possunt aut cum magna difficultate, etiam a paucis de quorum numero non sum, possunt per evidentiam rationis alicuius intelligi vel sciri; unde etiam quia casum diaboli firmissime ex fide supponimus, sed modum sui casus sive quomodo cadere potuit Scriptura perfecte non exprimit, licet illum innuat, quia etiam hoc magnam et diffusam declarationem et explanationem requirit, ideo de hoc me breviter expedio dicendo quod ex casu eius non probatur quod idem subiecto moveat seipsum, quia non peccavit nisi spontanea voluntate appetendo aliquid modo quo illud appetere non debuit. Obiectum ergo apprehensum, supposita defectibilitate voluntatis et inconsideratione et aliquanti negligentia rationis, causavit in eo actum volendi, quo actu | peccavit ex eo quod ² illud obiectum appetiit modo quo non debuit non ex errore vel ignorantia, praecedente duratione, sed nescientia simplici ex defectu considerationis modi quem considerare debuisset, quam tamen nescientiam vel ³ inconsiderationem sequebatur error vel ignorantia in hora qua illicite consentit ⁴. Et huiusmodi error vel ignorantia, licet fuerit duratione simul cum ipso consensu, naturaliter tamen prior fuit. Nisi ergo ostendatur quod primus homo causavit ⁵ in se actum intelligendi, non ostenditur quod idem moveat | se, quia dicitur quod illud idem quod est obiectum intellectus est obiectum voluntatis.

Et ideo esset ulterius considerandum quomodo angeli reducuntur in actum intelligendi eorum quae prius actu non intelligunt. Et quia hoc etiam videtur esse de his quae ⁶ fide tenemus, quia ea quae praecipui philosophi circa hoc ductu naturalis rationis investigare potuerunt non consonant his quae a catholicis sunt tenenda, nec modus circa hoc etiam expresse habetur in Scriptura, de hoc etiam ⁷ doctores contraria opinantur. Sicut de aliis credibilibus confiteor, ita et de isto, quod nescio istum modum; nondum

¹ quod PC. — ² per C. — ³ om. P. — ⁴ consentit C. — ⁵ causaverit C. — ⁶ etiam *add.* C. — ⁷ et C.

enim vidi circa modum cognoscendi angelorum modum ponendi qui intellectum quietare possit. Dicunt enim aliqui quod universaliter in angelis et in intellectu nostro est intellectus agens qui est lux increata, et secundum hoc cum illa sufficiat ad repraesentandum omnia scibilia per influentiam illius lucis in intelligentia angelorum causatur intellectus cuiuscumque entis, sicut per influentiam eiusdem secundum rationes ideales per applicationem voluntatis divinae causatur rerum entitas vel existentia in se ipsis. Alii autem dicunt quod naturalem cognitionem habent de rebus aliis a se ex ipsarum rerum existentia. Unde videtur dicere Augustinus, quarto super Genesim capitulo trigesimo quinto, quod minor cognitio vespera dicta est, quam cognitionem sane praecedebant quae fiebant, quia praecedit cognitionem quicquid cognosci potest. Et ponunt quod per abstractionem a rebus fiat | eorum cognitio. Alii dicunt (1) quod cognoscunt per quasdam species concreatas sive per quosdam habitus inditos in quibus secundum rationem obiecti moventis omnia creata relucent, et super hunc modum fundantur dictae instantiae.

cod. P
fol. 51 Va

Sed istud numquam capere potui, quia, sicut dictum est supra, illae species cum intellectu faciunt unum compositum cuius est per se agere in aliud vel per se pati ab alio et ideo illud quod sic additur potest esse ratio agendi in aliud vel patiendi ab alio, sed non potest agere in illud cui inhaeret et quod informat. Sed circa hoc nihil definitio. Sed quantum ad praesens sufficit videtur posse dici quod per huiusmodi species aliquo modo determinantes et habilitantes ad obiecta in virtute luminis aeterni super mentes eorum irradiantis, non gratuita illustratione et speciali — sic enim non illustrantur daemones — sed quasi naturali et generali, fiunt actu intelligentes singula, quomodocumque ergo hoc contingat. Non dico quod moveantur nisi ab obiecto et dico, sicut alias dixi, quo talia ardua dubia et difficilia non ostendunt directe propositum ad quod inducuntur, sed magis innuunt oppositum, scilicet quod idem non potest educere seipsum de potentia in actum aut quod hoc non videtur de facili applicabile ¹ animo per hoc quod talia dicta petunt evolutionem difficultatum latentium. | Nisi enim hoc obstaret quod unum et idem secundum rem non potest reducere se de potentia ad actum, facile esset solvere omnia supra posita et etiam alia; nec diceremus necessarias species in intellectu angeli, sed sufficeret praesentia vel existentia rei ut causa sine qua non. Etenim sicut dicitur quod praesente obiecto, nihil

cod. C
fol. 24 Va

¹ apprehensibile *corr.* 2^a m. C.

(1) Thomas Aquinas, *Summa Theologica*, I, q. LV, a. 2.

tamen faciente in voluntate, voluntas facit se de non volente volentem, ita obiecto praesente nihil in intellectu faciente, intellectus faceret se de non intelligente intelligentem. Non apparet enim ratio quare de voluntate sic ponatur et non de intellectu; immo etiam ¹ de quocumque alio. Et si in intellectu negatur, quare hoc etiam in voluntate non negetur?

cod. V
fol. 83 Ra
cod. P
fol. 51 Vb

[Deinde inducuntur aliae difficultates de potentia animae. Sed quia, ut dicit Aristoteles in principio de anima: omnino penitus difficillimorum est accipere aliquam fidem de animae substantia et natura, ideo circa ipsam et eius potentias et operationes multi fuerunt errores et adhuc sunt multae et diversae opiniones quaedam falsae, quaedam verae, licet ignoretur quae sint verae. Et sunt etiam plurimae difficiles dubitationes, scilicet non inductae et quaedam aliae quas nescirem bene dissolvere. Tamen ad praedictas dubitationes dissolvendas primo supponimus quod, quia aliqua principia esse certissima oportet, alioquin nihil etiam posset per ea investigari, communia ergo illa principia metaphysicae, quae quodam modo est omnis scientia, debent in qualibet scientia speciali supponi; et ideo quia ex metaphysica hoc scire debemus quod unum et idem non potest esse in actu et potentia et quod illud quod est in potentia ad aliquid non potest se reducere ad actum secundum illud et hoc pertinet ad metaphysicam, quia ² est commune omni enti, ideo hoc debemus supponere circa angelos et circa animam et, hoc supposito, alia quae ad ipsam animam specialiter pertinent investigare, nec propter ignorantiam vel dubitationem circa posteriora debemus certissima et prima negare. Si ergo alicui videatur quod, supposito quod voluntas non moveat se ipsam, difficile sit servare libertatem quam sua aestimatione vult ponere in voluntate sicut placet ex hoc posteriori, non debet procedere ad negationem priorum et certorum, sed propter certitudinem priorum quae supponere habet debet studere quomodo illis posteriora concordet. Unde quantum ad praesens est dicendum quod voluntas proprie et per se non movet intellectum nec e converso, sed obiectum quod intellectum movet ad actum intellectionis movet etiam voluntatem ad actum volitionis.

Unde, pro tanto intellectus movet voluntatem in quantum voluntas non fit in actu a suo obiecto nisi natura saltem prius intellectus factus sit in actu ab eodem obiecto. Unde unum et idem obiectum secundum rem ⁴ efficit duplicem actionem ordine naturae, tamen prius unam quam alteram, sed simul tempore in eodem subiecto, id est in anima ratione dictarum eius potentiarum, scilicet intellectus et voluntas | tis.

cod. P
fol. 52 Ra

¹ et C. — ² oportet C. — ³ immo C. — ⁴ rationem C.

Voluntas autem dicitur movere intellectum quantum ad exercitium actus in quantum movet potentias sensitivas intellectui ¹ subservientes quae sunt organicae ad debitam formationem phantasmatum, quibus factis virtute intellectus agentis semper quantum est de se in actu existentis fit illustratio super phantasmata convenienter disposita et abstractio sive formatio obiecti convenientis ipsius intellectus quo fit in actu ipse intellectus possibilis.

Sed tunc restat maior difficultas de illo obiecto ² intellectus et voluntatis et de istis potentiis deservientibus intellectui et voluntati quae sic moventur a voluntate, quia omnes potentiae simul subiecto sunt in quantum subiective sunt in anima quae est in toto corpore. Phantasmata, etiam rebus corruptis, remanentia in memoria vel phantasia sunt in eodem subiecto cum intellectu et voluntate et est dicendum quod est considerare animam secundum eius essentiam vel substantiam et secundum eius potentias. Primo modo sic est tota in toto corpore et in qualibet parte eius propter eius indivisibilitatem per se et per accidens et sic non est immediatum principium alicuius operationis secundae. Secundo modo sic quantum ad aliquas eius potentias est in aliqua parte corporis determinata, quantum ad aliquas in nulla, scilicet quantum ³ ad intellectum et voluntatem quae non sunt organicae. Et sicut substantia per se unitur materiae et facit unum per se cum materia, ita potentiae etiam sensitivae per se ut in subiecto sunt in coniuncto ex anima et corpore sive in corpore et in parte determinata secundum determinatam dispositionem corporis. Intellectus autem et voluntas nec per se sunt perfectio materiae vel in materia, nec etiam in coniuncto nec in aliqua parte corporis, immo ut sic sunt separatae eo quod operatio earum non exercetur per corpus, quia nec per aliquam partem corporis sive per aliquod organum corporale; et ideo | licet anima ut essentia vel forma substantialis sit in illa parte corporis in qua est phantasia et sic de aliis, tamen ipsa sub ratione talis potentiae sive talis potentia quae est intellectus vel voluntas ut sic | nec est in hac parte corporis nec in illa, quia in nulla, et ideo dicitur quod substantia animae est coniuncta, potentia vero intellectiva separata, non quia | secundum rem non sit subiective in ipsa anima quae est in materia ut perfectio eius, sed quia per se nec est in toto nec in aliqua parte sicut nec operatio quae per eam exercetur. Sicut ergo potentia quae esset in alia parte corporis a parte in qua est phantasia ⁴ posset immutari et moveri ab eo quod esset in phantasia, ita potentia quae non est determinata ad partem in qua est phantasia, sed est extra illam sic quod non plus est ibi quam in

cod. C
fol. 24 V^b

cod. V
fol. 83 R^b

cod. P
fol. 52 R^b

¹ intellectum PC. — ² difficultas — obiecto] de illo obiecto difficultas P. — ³ scilicet quantum] quantum scilicet PC. — ⁴ phantasma 2^a m C.

pede, ab eo quod est in phantasia poterit immutari. Ita autem est in proposito, quia illae potentiae non sunt sic alligatae et immersae materiae sicut aliae, sed sunt dicto modo abstractae et separatae. Propter quod etiam obiectum ipsius intellectus secundum quod huiusmodi, licet adminiculo phantasmatis formetur, tamen non concernit subiectum determinatum in aliqua parte corporis, sed ut sic importat quid abstractum secundum se, ens aliquid non designatum¹ ad hoc et nunc. Quod autem dicitur quod intellectus agens est memoria cuius est agere et producere prolem in ipsa intelligentia et cetera, dicendum quod hoc dictum videtur originem sumpsisse a dictis meis alibi male tamen intellectis (1), quia non dixi asserendo quod intellectus agens sit omnino proprie et perfecte memoria nec quod aliquam actionem per se et proprie faciat in intellectu possibili, sed quod pro quanto pertinet ad naturam mentis in anima secundum quam anima facta est ad Dei imaginem debet ad imaginem pertinere, et cum sint tres partes imaginis, scilicet memoria intelligentia et voluntas, et memoria secundum quod ad imaginem dicitur pertinere videtur habere rationem agentis et parentis; quod etiam ad intellectum agentem pertinet videtur pro tanto² quod sit idem quod intellectus agens, sed quomodo hoc sit intelligendum alterius est considerationis. Cum vero dicitur quod intellectus agentis pro quanto pertinet ad memoriam est agere, dico quod actio intellectus agentis proprie dicta est circa phantasmata quae non sunt in intellectu possibili sed in virtute phantastica³, quomodo tamen hoc fiat, non obstante quod aliquo modo simul subiecto sunt mediante substantia animae intellectus agens et phantasia iam dictum est, | quia etiam aliquo modo non sunt simul, in quantum scilicet non determinat sibi aliquam partem⁴ pro subiecto nec etiam ipsum totum, quia non est in toto per se sed solum in anima secundum⁵ se simplici, ut dictum est. Ad omnes etiam huiusmodi instantias dici potest quod non valent ad probandum propositum de voluntate, scilicet quod ipsa secundum unum et idem secundum rem possit esse movens et motum, licet videantur valere ad probandum aliquo modo quod illud quod continet plura in eodem subiecto potest esse movens et motum secundum illa quamvis etiam hoc non sit concedendum.

cod. P
fol. 52 Va

¹ designatim VP, et *in m. C.* — ² videtur pro tanto] pro tanto videtur PC. — ³ phantasmata PC. — ⁴ parte V. — ⁵ per *corr. in marg. V.*

(1) *Quodlib. V, q. 8 (p. 31).*

QUAESTIO VIII.

Utrum perniciosum sit dicere quod actus voluntatis non possit per se esse obiectum voluntatis.

Postea ad secundum praedictorum, scilicet utrum dicere quod actus voluntatis non possit esse per se obiectum voluntatis sit perniciosum, arguebatur quod sic. Quia dicere contra veritatem Sacrae Scripturae est perniciosum. Sed hoc dicere est dicere contra veritatem Sacrae Scripturae. Quare et cetera. Maior patet. Minor probatur; quia dicitur in Psaltes: concupivit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Sed desiderare iustificationes Dei est actus voluntatis et tamen, ut patet, est etiam obiectum ipsius voluntatis. Quare et cetera. Item, ibi dicitur in glossa ¹ quod dilectio qua diliguntur diligenda est diligenda. Sed diligere diligenda est actus voluntatis et tamen, ut patet, hoc est obiectum voluntatis. Quare et cetera.

Contra. Dicere veritatem non est perniciosum; sed hoc dicere est dicere veritatem. Quare et cetera ². Maior patet. Minor probatur: nam sicut se habet intellectus ad suum actum et obiectum, ita voluntas ad suum; sed actus intellectus non est per se obiectum intellectus; immo actus intellectus per se habet aliquid aliud pro obiecto, ut per se patet. Ergo similiter et actus voluntatis non est per se obiectum voluntatis.

Respondeo dicendum quod cum, prout dicit Philosophus, omnia bonum appetant quia unumquodque naturaliter inclinatur in suam perfectionem quae est bonum eius, oportet ponere quod intellectus cum non est in actu intelligendi appetat suam perfectionem quae est intelligere aliquid intelligibile sive suus actus intelligendi. | Et similiter oportet ponere quod voluntas vel quicumque appetitus animalis cum non est in actu appetendi aliquid apprehensum a ratione vel sensu naturaliter appetit suam perfectionem | quae est suum | appetere vel velle aliquid ³ bonum apprehensum. Sicut ergo intellectus suo naturali appetitu appetit esse suum intelligere, ita omnis appetitus animalis, suo appetitu naturali sive naturaliter appetit esse suum ⁴ appetere animale; hoc autem accipitur appetitus animalis pro omni appetitu

cod. V
fol. 83 Va

cod. P
fol. 52 Vb
cod. C
fol. 25 Ra

¹ gloria. — ² Contra. — et cetera] om. P. — ³ aliquid C. — ⁴ intelligere — suum] om P.

qui consequitur apprehensionem quamcumque sive intellectivam sive sensitivam.

Et est intelligendum quod actus appetendi quo unumquodque ens sive animatum sive inanimatum naturaliter dicitur appetere suum bonum et suam perfectionem, licet significetur verbaliter et per modum agendi, tamen non est aliquis actus realiter differens a re vel natura cuius dicitur esse. Appetitus enim materiae non est aliud¹ quam naturalis eius potentialitas et capacitas formae ipsam perficientis². Ex hoc enim quod est imperfecta secundum formam et nata perfici per illam ex natura sua, illam dicitur appetere sive ad illam inclinari naturaliter.

Sed actus appetendi quo appetitus animalis secundum quod animalis dicitur aliquid appetere est verus actus realiter differens ab ipso appetitu. In hoc tamen conveniunt quod nullus talis actus appetitus est simpliciter perfectivus appetentis, sed est quaedam inclinatio appetentis ad aliquid aliud quod est per se obiectum talis actus, quamvis ipse actus appetitus animalis sit aliqualis perfectio appetitus et etiam appetentis realiter differens ab appetitu. Sicut enim materia quamdiu caret forma quam appetit suo appetitu naturali est imperfecta, ita homo quamdiu caret scientia quam appetit appetitu animali qui est actus aliquo modo perficiens appetitum est imperfectus.

Ex quo patet quod actus appetendi³ cuiuscumque appetitus sive sit indifferens ab appetente sive sit differens non potest esse per se obiectum ipsius appetitus, sed aliquid aliud. Actus enim sive inclinatio qua materia dicitur appetere formam non est obiectum appetitus materiae, immo ipsa forma appetita qua perficitur materia appetens ut perfectione ab ipsa realiter differente. Et similiter in actu appetendi quo intellectus dicitur appetere suum intelligere non est obiectum ipse appetitus⁴ naturalis intellectus quo appetit suum intelligere, immo ipsum intelligere est obiectum talis appetitus quo perficitur ipse intellectus appetens ut perfectione formali ab ipso realiter differente; et similiter actus quo appetitus animalis naturaliter appetit suam perfectionem, quae est appetere animaliter, non est obiectum huiusmodi appetitus naturalis, immo ipsum appetere animaliter est obiectum talis appetitus. Ergo similiter actus quo appetitus animalis appetit aliquid animaliter non est per se obiectum appetitus animalis ut est animalis, immo aliquid aliud. Ex quo videtur sequi quod sicut intellectus suo appetitu naturali appetit omnem suam perfectionem naturaliter, id est omnem actum

cod P
fol. 53 Ra

¹ alius P. — ² perficiens C. — ³ sive *add.* PC. — ⁴ id est actus appetendi *add. in marg.* 2^a m. V.

intelligendi quo perficitur et non appetit aliquem actum appetendi naturalem, quia unum et idem esset quo appeteretur ut actu et quod appeteretur ut obiectum, quia actu appetendi appeteretur actus appetendi eiusdem rationis. Ita etiam appetitus animalis suo appetitu et actu appetendi naturali appetit omnem suam perfectionem naturaliter, id est omnem actum appetendi animaliter quo perficitur et non appetit aliquem actum appetendi naturalem, immo est id ipsum; et sicut huiusmodi appetitus animalis ut naturalis actu appetendi naturali non appetit aliquem actum appetendi naturalem sed solum animale, ita huiusmodi appetitus ut animalis actu appetendi animali per se non appetit aliquem actum appetendi animale sed aliquid aliud. Et sic patet quod actus appetendi non est per se obiectum animalis appetitus ut animalis est, id est quod actum¹ appetendi animaliter non appetit appetitus animalis per se per actum appetendi animale. Dictorum autem istorum ratio est, quia perfectio uniuscuiusque quae naturaliter appetitur est formalis perfectio et inhaerens ipsius appetentis; et appetitus quo huiusmodi perfectio appetitur, utpote materia, naturaliter | appetit formam quae est eius perfectio dicto modo. Et etiam intellectus naturaliter appetit intelligere et voluntas velle, sed huiusmodi actus vel perfectio appetita, ut dictum est, non potest esse ipse actus appetendi quo appetitur, sed est illius obiectum. Sed quia talis actus appetendi non est aliud aliquid re differens a | natura appetente vel ab ipso appetitu qui tali perfectione perficitur, ideo perfectio sic appetita quae sic est obiectum talis actus appetendi est etiam perfectio talis naturae appetentis. | Sed quia actus appetendi animalis qui est perfectio ipsius appetitus formaliter et subiective est res differens ab ipso appetitu, obiectum per se talis actus non potest esse perfectio appetitus formalis ut inhaerens, sed ut movens et agens appetitum² ad talem actum et speciem dans actui, sed bene est perfectio formalis ut inhaerens ipsi appetenti secundum aliam potentiam magis principalem, sicut patet cum quis vult scire; et eadem ratione talis actus appetendi non potest esse per se obiectum actus appetendi³ animalis dans rationem et speciem tali actui ut obiectum formale, quia est per se et formaliter ipse actus appetendi habens rationem et speciem ab obiecto alio per se. Voluntas ergo appetitu naturali appetit omnem actum volendi animale per se, sed appetitu animali sive actu animali appetendi non appetit per se aliquem actum appetendi animale; et quia quicquid appetit moraliter appetit actu appetendi animali, ideo voluntas nullum actum suum per se appetit⁴ moraliter.

Unde, etiam cum voluntas actu animali appetat per se perfectionem

cod. V
fol. 83 V^b

cod. P
fol. 53 R^b

cod. C
fol. 25 R^b

¹ actu PC. — ² appetitu C. — ³ non — appetendi] om. P. — ⁴ formaliter C.

hominis appetentis et praecipue eius beatitudinem, beatitudo pro quanto consistit in actu non potest per se et primo esse aliquis actus voluntatis, quia actum beatificum per se volumus et nullum actum voluntatis per se velle possumus. Sed quia, ut alias dictum est, sicut distinguitur appetitus quo bonum appetitur, ita etiam bonum quod appetitur. Illud autem quod appetitur appetitu naturali habet rationem boni naturalis et etiam ipse actus appetendi et illud quod appetitur ab homine appetitu perfecte distincto ab appetitu naturali habet rationem boni moralis et etiam actus quo hoc appetitur tali appetitu dicitur actus appetendi moralis. Ex ¹ hoc videtur quod voluntas nullum actum suum animale per se ² velit moraliter sive animaliter, sed naturaliter sive suo praedicto appetitu naturali. Sed illud quod est | per se obiectum talis actus appetendi animaliter solum per se vult moraliter et illud dicitur bonum morale et etiam talis actus appetendi dicitur actus moralis.

cod. P
fol. 53 Va

Est tamen ad intellectum dictorum notandum quod non omnis actus voluntatis ut est appetitus animalis, quo scilicet volumus aliquid aliud quod non est actus voluntatis, est actus moralis proprie, ut scilicet sit laudabilis vel culpabilis, nec huiusmodi obiectum proprie est bonum morale; nam, ut dictum est supra, bonum distinguimus ³ secundum distinctionem appetituum et e converso. Nunc autem cum distinguantur principia activa in naturam et voluntatem, tunc ⁴ illud quod operatur naturaliter sive modo naturae sub principio naturali includitur et similiter omne illud quod appetitur naturaliter sive modo naturae ⁵ sub bono naturae includitur, et talis appetitus reducitur ad appetitum naturalem. Nunc autem ita est quod appetitus sensitivus in bruto, etsi sequatur bonum apprehensum et in hoc distinguatur ab appetitu pure naturali, quia tamen modo naturae, scilicet determinate et cum impetu, fertur in tale bonum, ideo et obiectum et actus huiusmodi ratione modi agendi ad entia naturalia reducuntur et non dicitur actus moralis nec obiectum bonum morale. Similiter etiam quia voluntas humana respectu finis ultimi sic se habet quod licet tendat in illum secundum quod apprehensus est et in hoc differat ab appetitu pure naturali, quia tamen in illum fertur modo naturae, scilicet necessitate immutabili et determinate, ideo reducitur etiam ad entia naturalia sic quod voluntas naturaliter, id est modo naturalis appetitus, | dicitur appetere finem ultimum. Ideo etiam proprie loquendo talis actus non est moralis nec eius obiectum proprie est bonum morale, quia etiam tali actu proprie nec laudamur nec

cod. V
fol. 54 Ra

¹ Et ex P. — ² et primo scilicet *add. in marg. V.* — ³ bonum distinguimus] distinguimus bonum P. — ⁴ *om. P.* — ⁵ *om. P.*

vituperamur quia nobis proprie non potest imputari¹, quia nec proprie habemus dominium super ipsum nec nos sumus nobis ipsis causa respectu talium actuum nec nos inclinamus proprie in illos, sed modo naturali inclinamur² sic. Omne autem illud quod appetitur modo electivo dicitur appeti appetitu perfecte | distincto ab appetitu naturali; et similiter illud quod

cod. P
fol. 53 Vb

appetitur tali appetitu dicitur bonum morale et talis actus appetitus actus moralis est³, quia secundum tales actus proprie laudamur et vituperamur. Sed quia huiusmodi actus voluntatis qui habent per se aliquid aliud pro obiecto possunt apprehendi a ratione ut quaedam bona, non tamen nisi ex bonitate obiectorum a quibus habent rationem et speciem, ideo etiam per accidens possunt esse obiecta actus voluntatis, non quidem diversi simpliciter et secundum speciem, sed iidem⁴ secundum speciem et per reflexionem iterati; nam cum volo aliquid et cum ille actus sit bonum quoddam ex bonitate obiecti apprehensi sub ratione boni et convenientis, | ex hac apprehensione voluntas⁵ reflectendo se super hunc actum sub ratione cuiusdam obiecti, scilicet in quantum includit⁶ ipsum obiectum principale, potest illud velle et sic cum volo aliquid et apprehendo hoc, scilicet velle illud esse quoddam bonum, volo me velle illud et habent isti duo actus unum et idem principale et per se obiectum, immo etiam infiniti si sic infinities fieret reflexio vel replicatio. De primo enim actu patet quid est eius obiectum. De secundo etiam patet quod primus actus non est obiectum secundum se et per se actus secundi, sed ratione sui principalis obiecti⁷ sive in quantum illud includit, et sic ipsum obiectum primum et principale magis et per se est obiectum secundi actus et omnium aliorum actuum. Cum enim volo aequum et volo me velle aequum et volo me velle velle aequum, non volo nisi unum per se et principaliter. Ita etiam cum diligo Deum et diligo me diligere Deum et diligo me⁸ diligere diligere Deum⁹ non est nisi unum per se dilectum, scilicet Deus. Et sic patet quod dicere quod actus voluntatis non possit esse primum et per se obiectum eius non est perniciosum, sed est verum; sed dicere quod nullus actus voluntatis possit esse obiectum¹⁰ voluntatis per accidens sive secundarium et per reflexionem, hoc posset esse perniciosum. Et sic etiam dicere quod voluntas non possit aliquo modo velle actum suum moraliter non est benedictum, quia si actus principalis | est moralis et actus reflexus etiam est moralis. Si autem actus¹¹ principalis non sit proprie moralis, nec etiam reflexus proprie est moralis.

cod. C
fol. 25 Va

cod. P
fol. 54 Ra

¹ quia — imputari] *om. C.* — ² inclinamus P, inclinatur C. — ³ *om. PC.* — ⁴ *idem 2^a m. C.* — ⁵ voluntatis C. — ⁶ includitur C. — ⁷ in quantum *add. C.* — ⁸ *om. C.* — ⁹ et diligo me diligere diligere Deum] *om. P.* — ¹⁰ esse obiectum] obiectum esse C. — ¹¹ *om. C.*

Ad rationem patet responsio, quia auctoritates non dicunt quod aliquis actus voluntatis sic ¹ sit obiectum voluntatis, scilicet per se et primo, sed per reflexionem et secundario, ut patet cum dicitur quod dilectio qua diliguntur ² diligenda est diligenda vel quod deo diligere me diligere Deum et cetera.

QUAESTIO IX.

*Utrum intellectu vidente Deum immediate
per lumen gloriae voluntas potest eo frui absque habitu.*

Deinde circa potentias dictas, scilicet intellectum et voluntatem prout ad invicem secundum actus suos comparantur, quaerebantur quaedam pertinentia ad istas potentias prout actus ¹ unius ad actum alterius comparatur; quaedam vero pertinentia ad istas potentias prout ambae ad eosdem actus comparantur.

Circa primum quaerebantur quaedam pertinentia ad actus beatificos, quaedam pertinentia ad actus ex naturalibus productos. Circa primum quaerebatur unum: scilicet utrum, intellectu existente perfecto per lumen gloriae virtute cuius possit Deum praesentialiter ³ et immediate videre, voluntas etiam possit eum diligere et eo frui praesentialiter absque aliquo habitu existente in ipsa voluntate? Et arguebatur quod sic: quia omnis potentia quae formatur et actuatur ab obiecto apprehenso potest exire in actum suum, illo obiecto sibi sufficienter praesentato. Sed voluntas formatur et actuatur ab obiecto apprehenso per intellectum. Ergo, illo suf | ficienter sibi praesentato, poterit exire in actum suum. Sed sufficienter sibi praesentatur cum per intellectum lumine gloriae perfectum praesentialiter et immediate apprehenditur. Ergo et cetera. Similiter etiam posset argumentum formari secundum aliam positionem sic. Potentia quae libere seipsam movet in suum obiectum potest exire in actum suum, obiecto illi sibi sufficienter praesentato. Sed voluntas sufficienter habet obiectum praesens cum ab intellectu apprehenditur. Ergo intellectu existente in actu, poterit et ipsa exire in actum suum ⁵. Quare et cetera.

cod. V
fol. 84 R^b

¹ si P. — ² diligunt C. — ³ actu C. — ⁴ principaliter V. — ⁵ actum suum] suum actum PC.

Contra. Eadem videtur esse proportio habitus perficientis voluntatem ad habitum perficientem intellectum in patria et in via. | Si ergo ad perfectum actum beatitudinis non oportet voluntatem esse perfectam habitu in patria, nec ad actum merendi in via oporteret actum voluntatis esse perfectum per habitum. Hoc autem est falsum; quia omne meritum in via est ex caritate, ut patet prima Corinthiorum, tertidecimo. Quare et cetera.

cod. P
fol. 54 R^b

Respondeo dicendum quod perfectissima unio possibilis naturae rationalis ¹ ad Deum est in unitate suppositi quantum ad esse existentiae secundum naturam, et cum hoc quantum ad actus gloriosos secundum intellectum et voluntatem post istam est alia, quae est unio solum secundum actus beatificos intellectus et voluntatis. Et sicut ² dicitur ab aliquibus quod natura humana est assumpta vel saltem assumptibilis a divino supposito absque aliqua gratia habituali et habitu quocumque et tamen assumpta anima perfecte est ³ beata; ab aliis autem dicitur quod, licet non sit anima Christi assumpta sine gratia habituali, illa tamen non est necessitatis sed congruitatis et decentiae, ita forte videretur quod Deus sub ratione obiecti beatificantis ⁴ posset se unire naturae rationali sic quod elicerentur dicti actus beatifici absque hoc quod dictae potentiae essent per aliquos habitus elevatae, quamvis ⁵ ad congruitatem et decentiam possunt etiam per tales habitus elevari. Et secundum hoc dicendum esset ad quaestionem quod existente intellectu disposito habitu glorioso, non autem voluntate, si Deus se offerret tali naturae sub ratione obiecti, utraque potentia esset in actu beatifico, licet intellectus quodam modo convenientiori et decentiori; sed hoc beatitudinem ⁶ essentialiter non mutaret.

cod. C
fol. 25 V^b

Sed hoc non tenetur. Et ideo aliter est dicendum quod quaestio videtur supponere impossibile, scilicet quod intellectus sic sit dispositus habitu glorioso quod possit exire in actum ⁷ visionis beatificae, voluntate non sic existente disposita habitu proportionato sic quod etiam possit exire in actum dilectionis beatae, et quod actu exeat in illum actum, nisi virtute divina, stante actu intellectus, voluntatis actus suspenderetur et | subtraheretur, sicut alibi dictum est. Si enim supponitur quod in actus beatificos non possunt exire dictae potentiae quantumcumque Deus se offerat nisi sint habitibus supernaturalibus elevatae et sicut natura rationalis in esse naturae constituta habet unde in actus naturae suae proportionatos possit exire, ita etiam quod nullum actum naturae suae proportionatum elicere

cod. P
fol. 54 V^a

¹ rationali PC. — ² etiam *add.* C. — ³ esset P. — ⁴ beatificalis V. — ⁵ quantum PC. — ⁶ habitudinem PC. — ⁷ in actum *om. Ia m.* PC.

potest nisi sit in hoc esse naturae per suam formam naturalem et dispositiones sibi convenientes constituta; tunc etiam videtur quod natura rationalis quae ordinatur ad perfectionem et operationem supernaturalem debeat per aliquam formam et dispositiones ¹ convenientes constitui in esse supernaturali ut sic in tali esse supernaturali constituta possit in operationes sibi secundum hunc modum suae existentiae competentes elicere; nec potest elicere aliquam talem operationem perfectam et perfecte nisi sit in hoc esse perfecte constituta. Videtur ergo quod per aliquid a Deo infusum elevetur homo ad huiusmodi esse supernaturale quo quodam modo sit particeps divinae et supernaturalis naturae secundum quod dicitur secunda ² Petri, primo: maxima et pretiosa promissa nobis donavit ut per hoc efficiamini divinae consortes naturae.

Et secundum quod duplex est status hominis secundum hoc esse supernaturale, scilicet viae et patriae, secundum hoc etiam diversificatur hoc donum infusum et dicitur pro statu viae gratia simpliciter, pro statu patriae gloria sive gratia consummata. | Sicut ergo constituendo hominem in esse supernaturali secundum statum viae Deus infundit ei dictum donum quod est gratia, quae vel est idem quod caritas realiter licet differens ratione, vel numquam est sine caritate nec esse potest, ita cum ³ constituit hominem in esse supernaturali pro statu patriae dat ei dictum donum quod etiam sine caritate esse non habet. Sed perfectio supernaturalis viae pro quanto respicit id quod ad intellectum pertinet ratione sui modi imperfecti, quia non elevat intellectum ad videndum Deum in se ipso, non includit necessario hoc donum gratiae quod vel est caritas vel quod ⁴ non est sine caritate. Quia enim per fidem non perfecte | videtur Deus sub ratione qua omnino in ipso satiatur appetitus, ideo non obstante tali cognitione potest appetitus diligere aliquod bonum creatum inordinate. Perfectio autem intellectus patriae quo videtur Deus immediate in se ipso non sic se habet; immo necessario ad ipsam sequitur perfectio affectus. Quia enim tantum bonum creaturae provenit ex voluntate et dilectione divina quo creaturam diligit, impossibile est quod Deus creaturae maxima bona communicet et ipsam dilectione specialissima non diligit. Sed eum quem Deus sic diligit facit etiam sui dilectorem ⁵; et ideo dat ei etiam habitum quo ipsum summe diligit. Cum ergo videre Deum sit summum quod Deus communicare potest creaturae quia, ut dicit Augustinus, primo de Trinitate, visio Dei est summa merces nostra et omnium desideriorum finis, videtur quod Deum sic videns habeat necessario habitum quo eum proportionaliter

cod. V
fol. 81 Va

cod. P
fol. 54 Vb

¹ et *add.* C. — ² secundo PV. — ³ tamen PC. — ⁴ *om.* P. — ⁵ dilectorem PV.

diligat. Unde non videtur quod posset facere Deus quod aliquis peccator et non diligens videat ipsum sic. Unde dixit Moïses in Exodo : Domine si inveni gratiam in oculis tuis ostende mihi faciem tuam. Et ideo etiam dicit Augustinus, in libro de Videndo Deum, capitulo vigesimo septimo : filiis promissum est hoc, scilicet videre Deum, de quibus dictum est : nunc filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus et scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est. Sic ergo videtur dicendum quod Deum videre ¹ beatifice et Deum etiam sic diligere inseparabiliter sunt connexa. Sed supponitur quod Deum non potest quis sic diligere sine habitu caritatis. Quare oportet videntem Deum ² sicut habet intellectum elevatum per habitum gloriae, ita etiam voluntatem oportet habere ele | vatam per habitum caritatis existentem in ipsa voluntate.

cod. C
fol. 26 Ra

Hoc etiam ³ patet ex his quae communiter supponuntur. Quia aut gratia et gloria sunt idem secundum essentiam, prout aliqui ponunt ; et sic non potest poni quod Deus aperte videatur, cum iste sit praecipuus actus gloriosus, sine habitu glorioso qui est gratia consummata quae necessario includit caritatem ; — aut est habitus essentialiter differens multo ⁴ perfectior et excellentior et excellentius | includens quicquid per gratiam importatur vel includitur. Et ideo sic loquendo de habitu gloriae oportet quod includat habitum caritatis quo Deus perfectissime diligitur et sine quo gratia non habetur.

cod. P
fol. 55 Ra

Si autem esset possibile quod natura sic perficeretur ⁵ habitu glorioso quod posset immediate Deum videre absque hoc quod esset perfecta secundum aliquem habitum voluntatis, esset dicendum quod non posset cognosci sic quin diligeretur secundum modum et possibilitatem voluntatis naturalis. Sed iste actus diligendi non esset omnino perfectus nec actui intelligendi proportionatus et ideo nec simpliciter beatificus. Cum tamen actus perfectus voluntatis ad beatitudinem requiratur, et secundum hoc etiam talis natura beata esset ⁶ simpliciter pro tanto quod esset perfecta secundum actum qui ad beatitudinem principaliter pertinet, non esset tamen omnino et perfecte beata. Et esset tunc exponendum quod accipit prima ratio sic quod licet voluntas actuetur ⁷ et formetur ab obiecto apprehenso secundum rationem, formatur tamen et actuatur ab illo secundum ⁸ modum suae dispositionis et perfectionis ; et ideo, si sit elevata per habitum supernaturalem, perfectior est actus eius et simpliciter beatificus ; si non, non.

Ad rationem in oppositum esset dicendum quod in via cum habitu

¹ diligere V. — ² om. C. — ³ hoc etiam] et etiam hoc C. — ⁴ multe P. — ⁵ proficeretur P, perficeretur C. — ⁶ beata esset] esset C, beata add. 2^a m. C. — ⁷ activetur PC. — ⁸ formatur — secundum] om. C; et 2^a m. C.

cod. V
fol. 81 V^b

fidei in intellectu non requiritur habitus caritatis in voluntate ad hoc quod | voluntas Deum simpliciter et absolute etiam super omnia diligit, cum hoc aliquo modo possit ex naturalibus, praeeistente apprehensione summi et universalis boni in ratione. Sed ad hoc quod meritorie ipsum diligit et quod per voluntatem operationes meritorias eliciat et imperet, ad hoc requiritur habitus gratuitus in voluntate, et ita etiam potest fieri adaptatio de dilectione gratuita in patria. Sed primum videtur melius dictum; et secundum hoc concedenda est ratio ad hoc gratia conclusionis.

cod. P
fol. 55 R^b

Ad rationem in oppositum est dicendum, sicut tactum est, quod verum est quod potentia quae actuatur¹ et formatur ab obiecto apprehenso, illo obiecto praesente per apprehensionem, potest huiusmodi potentia esse in actu perfecto secundum huiusmodi obiectum, si tamen ipsa sit sufficienter disposita | ta et habilitata sive² elevata. Quod ergo dicitur: voluntas actuatur³ et formatur a bono summo apprehenso, hoc est concedendum; perfectionem enim formalem et speciem habet actus quo voluntas diligit Deum ex bonitate et perfectione Dei, non ex alio. Et secundum hoc concedenda est conclusio quod, cum voluntas est sufficienter disposita respectu sui obiecti, illo praesente, actuatur⁴ et formatur ab eo⁵. Et est ulterius dicendum quod numquam praesentatur ei sic secundum intellectum quin⁶ ipsa etiam sit perfecte disposita per habitum correspondentem; quia⁷ Deus praesentans se intellectui dicto modo sua libera voluntate et dilectione animam sibi gratam facit et eam sic elevat et disponit quod huiusmodi actus convenienter suscipere possit. Hoc autem requirit animam totam esse perfectam per habitum gratiae qui non est sine caritate in voluntate et sine sapientia in intellectu. Et sic, quando hoc modo praesens est obiectum, voluntas perfecte est in actu suo, non tamen sine dicto habitu, quia ille necessario includitur. Si vero ille habitus non inesset tunc, ut dictum est, voluntas esset in actu secundum suum modum, tamen imperfectum.

QUAESTIO X.

Utrum actus intelligendi sit perfectior actu diligendi.

Deinde circa dictas potentias, prout ad invicem comparantur secundum actus suos ex naturalibus productos, quaerebantur duo. Primum erat

¹ activatur. — ² et 2^a m. C. — ³ activatur. — ⁴ activatur. — ⁵ ea P. — ⁶ quia VC. — ⁷ quod P.

de comparatione actus potentiae unius ad actum alterius potentiae secundum perfectionem, scilicet utrum actus intellectus quo creatura rationalis cognoscit superiorem, scilicet homo angelum, vel angelus inferior superiorem, sit perfectior quam actus voluntatis quo illum diligit. Secundum erat de comparatione actus unius potentiae ad actum alterius potentiae secundum rationem dominii, scilicet utrum voluntas habeat dominium super actum intellectus tam speculativi quam practici.

Ad primum sic proceditur, et arguitur quod actus diligendi sit perfectior quam actus cognoscendi; quia actus cuius obiectum rationem nobiliorem importat, est actus nobilior, quia ex nobilitate obiecti attenditur nobilitas actus. Sed obiectum dilectionis habet nobiliorem rationem quam obiectum intellectus, quia obiectum dilectionis quae est actus voluntatis importat rationem boni et finis, quae est ratio nobilitatis; est enim bonum et finis obiectum voluntatis. Obiectum autem intellectus hanc rationem non importat. Quare et cetera.

Contra. Non minus est perfectus actus diligendi quo quis diligit se ipsum, quam quo diligit alium, quia actus quo quis diligit seipsum videtur esse exemplar actus quo diligit alium, secundum illud Matthaei, vigesimo secundo: diliges proximum tuum sicut teipsum, — exemplar autem est potius exemplato. Sed actus quo quis cognoscit superiorem naturam est perfectior quam actus quo diligit seipsum, eo quod nobilius est obiectum; nobilius enim est in tali casu¹ cognitum quam dilectum. Ergo nobilior est cognitio qua² quis cognoscit naturam superiorem quam dilectio qua diligit eam. |

Respondeo dicendum quod si verum est quod ab aliquibus (1) dicitur circa comparationem actuum voluntatis et intellectus respectu Dei, scilicet quod respectu Dei actus diligendi est perfectior et eminentior quam actus intelligendi, ratione potentiae nobilioris et obiecti eminentioris vel sub ratione eminentiori, et ipsius actus perfectiori modo unientis³, cum haec etiam non minus reperiantur respectu omnium, simpliciter et universaliter concedendum est actum diligendi⁴ esse nobiliorem respectu omnium diligibilium quam actum cognoscendi respectu eorum⁵. Sicut enim respectu Dei voluntas est potentia nobilior quam intellectus ratione libertatis quae est ipsius voluntatis, quia dicitur quod ipsa libera est secundum se et formaliter, quia actus eius exit ab ea sponte et sine impulsu et necessitate coactionis,

¹ tali casu] casu tali PC. — ² quo 2a m. C. — ³ viventis PC. — ⁴ intelligendi P. — ⁵ eorundem PC.

(1) Henricus de Gandavo, *Quodl.* I, q. 14 (t. I, fol. 10 V).

et quia etiam dominium habet super operationes suas et etiam aliarum potentiarum, et eis utitur; — melioris autem est uti deteriori et inferiori; sed aliae potentiae fiunt in actu, alio movente et influxum quo necessitantur faciente et imperatur eis a voluntate, unde etiam ipse intellectus, quia per obiectum determinatur ad unum et modo necessitatis, reducitur ab ipsa voluntate in actum intelligendi; ideo etiam ¹ agit serviliter; voluntas autem non sic sed libere; — secundum hanc rationem erit voluntas intellectu nobilior respectu cuiuscumque obiecti. Per | consequens sequitur quod est simpliciter nobilior. Natura enim suae libertatis et perfectionis non variatur respectu quorumcumque.

cod. P
fol. 55 V^b

Item, sicut Deus est obiectum nobiliori modo respectu voluntatis quam respectu intellectus, ita etiam et angelus superior respectu inferioris. Sicut enim nobilior est ratio boni quam entis secundum se ut haec in Deo considerantur, ita in angelo et quocumque alio; quia sicut ratio boni est posterior et praesupponit rationem veri in Deo, ita etiam in angelo. Nec obstat quod ratio veri praesupposita a ratione boni est simplicior et prior: non enim propter hoc est eminentior. Immo potius debet ex hoc concludi quod ratio boni sit ² eminentior quam ratio veri, et etiam quod voluntas ³ sit potentia perfectior et eminentior intellectu, quia ea quae sunt posteriora origine, sunt priora perfectione et e converso. Nam flos praecedit fructum origine et tempore; fructus vero florem, perfectione et electione. Semper etiam ⁴ informe praecedit formatum origine; tamen perfectione et electione formatum praecedit informe. Cum ergo prius sit aliquid apprehendi sub ratione veri ab intellectu, quam appeti sub ratione boni a voluntate, origine etiam intelligere praecedit amare, quia bonum apprehensum est obiectum voluntatis, secundum hoc obiectum voluntatis est nobilius obiecto intellectus, et potentia potentia, et actus actu.

Item, si propter hoc est actus voluntatis perfectior, respectu Dei, quia magis unit quam actus intellectus, quia, secundum Dionysium et Augustinum, amor est vis unitiva et transformativa amantis in amatum, non sic actus intellectus; cum hoc etiam invenitur respectu alterius cuiuscumque sicut respectu Dei, ut per se patet, non solum secundum hoc actus volendi ⁵ respectu Dei erit nobilior quam actus cognoscendi, sed simpliciter et respectu omnium. Quod autem ita sit quod actus voluntatis magis uniat quam actus intellectus, hoc videtur quia cum intellectus et actus eius et ratio formalis sui obiecti praecedant origine voluntatem, eius actum, et formalem rationem

¹ om. C. — ² est P. — ³ quod voluntas] voluntas quod C. — ⁴ enim P. — ⁵ intelligendi VP, volendi *corr. in marg.* V; diligendi C.

obiecti, quamvis per utrumque istorum actuum fiat unio ad obiectum; tamen ex quo unio¹ intelligendo inchoatur et in amore consummatur, quia origine praecedat unio per intelligere, sed perfectione praecedat unio per amare, potior est ergo unio per amorem quam per intelligere, sicut consummatum est potius quam inchoatum.

cod. P
fol. 56 R^a
cod. C
fol. 26 V^a

Hoc etiam ostenditur per hoc quod actus intelligendi unit per quamdam intentionalem assimilationem; sed actus amoris unit per quamdam transformationem. Sufficit enim intelligenti quod habeat similitudinem intelligibilis et quod habeat formalem expressionem eius; sed hoc non sufficit amanti, sed vult se omnino coniungere amato, et vult se facere id quod ipsum et quantum potest se transformare in ipsum. Si enim intelligens, secundum quod huiusmodi, vult realem praesentiam intelligibilis, hoc est propter ipsam intellectionem, ut quia forte non potest illud plene intelligere, nisi illo praesente. Sed amans secundum quod huiusmodi, non vult praesentiam amati solum propter ipsum amorem, immo propter ipsam rem amatam, cui quantum potest vult se coniungere. Immo secundum quod huiusmodi, quantum posset, vellet se transformare in ipsam². Inde est quod unire et transformare amori appropriantur. Unde Dyonisius, quarto de Divinis Nominibus: amor transformatur, quia ponit amantem extra se, et collocat eum in re amata; est enim, ut dicit, extasim faciens divinus amor, non dimittens sui ipsorum esse amatores, sed amatorum. Amor enim non permittit quod³ amans sit sui ipsius, sed cogit amantem esse rei amatae; quare si transformare in bonum amatum et quantum in se est quasi idem facere cum eo, est maior unio quam assimilari alicui rei per aliquam intentionalem expressionem. Sicut actus diligendi Deum est perfectior actu cognoscendi, quia magis est unitivus, ita etiam erit in proposito.

cod. V
fol. 85 R^b

Hoc autem ostenditur aliter sic, quia in diligendo est motus animae ad res et obiectum amoris est res ut est in se ipsa; in intelligendo vero est motus rei ad animam. Intelligitur enim res secundum quod est in nobis, diligitur autem prout est in se ipsa. Si ergo intelligitur res⁴ a nobis ut est in nobis et diligitur a nobis ut est in se ipsa, consequens est quod per intelligere unimur rei secundum quod est in nobis et secundum modum nostrum, sed per diligere unimur ei ut est in se ipsa, et secundum modum ipsius. Et quia perfectior est unio ad rem secundum quam unimur ei secundum modum realem ipsius quam unio secundum quam unimur ei secundum modum nostrum per dictam intentionalem assimilationem, consequens est quod unio per amorem est perfectior quam unio per intelligere.

cod. P
fol. 56 R^b

¹ in *add.* 2^a m. C. — ² transformare in ipsam] in ipsam transformare PC. — ³ quia PC.
— ⁴ intelligitur res] res intelligitur PC.

Sed, istis non obstantibus, melius videtur esse dicendum, quod principalior et perfectior est actus intellectus cognoscendi quam actus voluntatis diligendi, et ex rationibus sumptis ex contrariis eorum quae a praedictis supponuntur ostendi potest propositum, per hoc scilicet quod declarabitur quod intellectus est potentia eminentior quam voluntas, et quod eius actus perfectior est, et quod eius obiectum etiam nobilius, et quod etiam magis unit cum ultimo fine quam actus voluntatis.

Primum declaratur ex condicione istarum potentiarum quam in eis percipimus ex comparatione ipsarum ad finem propter quem inditae sunt animae et ex comparatione earum cum suis actibus ad se invicem. Nam cum diversae potentiae insint ipsi animae, potentiae apprehensivae insunt ut secundum actus illarum animal habeat suam perfectionem sensitivam quae secundum se vel per se ad aliam ulterius non ordinatur, — in ipso enim actu sentiendi dicitur animal habere suam perfectionem secundum se, absque hoc quod dicatur quod sentire ad aliam principaliorem perfectionem sensitivam sive quantum ad esse sensitivum ordinetur; — sed potentiae appetitivae sicut et motivae non insunt ad hoc vel propter hoc ut secundum actus illarum animal habeat suam perfectionem sensitivam principalem et finalem, quae scilicet per se ad aliam non ordinatur. In ipso enim actu appetendi, sicut etiam nec in actu movendi secundum locum, non dicitur animal habere suam perfectionem sensitivam principalem et finalem. Immo istae potentiae, scilicet appetitivae et motivae ad hoc inditae sunt animali, ut per eas animal inclinetur et tendat in rem aliquam apprehensam, ut illa habita perficiatur ipsum animal secundum aliquam aliam perfectionem principaliorem et finalem quae non sit secundum actum appetitus sicut nec secundum actum | qui est motus.

cod. P
fol. 56 Va

Item, si considerentur appetitus et eius actus ut ad apprehensivam potentiam et ad eius actum comparantur, invenietur quod appetitus et eius actus magis sunt propter potentiam apprehensivam et eius actum quam e converso. Unde dicit Commentator, duodecimo Metaphysicae: desiderium in animalibus est propter sensum qui distinguit et comprehendit voluptuosum; et hoc desiderium est appetitus, voluntas autem propter intellectum. Dicit etiam Philosophus, secundo¹ de Anima: cui inest sensus inest et appetitus; est autem appetitus desiderium; ita et voluntas. Cui ergo inest sensus, huic et laetitia et tristitia et dulce² et triste; quibus autem hoc et concupiscentia: delectabilis enim appetitus [hoc]. Et³ secundum hoc⁴ quia habentia sensum vel intellectum in actu sentiendi et intelligendi ratione

cod. C
fol. 26 Vb

cod. V
fol. 85 Va

¹ tertio C. — ² et dulce] et dilecte C; vel delectabile 2^a m. C. — ³ etiam C. — ⁴ om. C.

perfectionis quam includunt ¹ communicatur delectatio, ideo inditus est appetitus quo habentia sensum et intellectum in hos suos actus secundum sensum et intellectum inclinentur.

Ex his autem potest propositum declarari sic; quia illa potentia est eminentior et etiam eius actus cuius actus principaliter et propter se quaeritur, et cuius actus ad perfectionem alterius potentiae per se et principaliter non ordinatur, quam illa potentia cuius operatio propter se et principaliter non quaeritur sed ad perfectionem alterius potentiae ordinatur. Sed intellectus est potentia cuius actus propter se et principaliter quaeritur et cuius actus per se ad perfectionem alterius non ordinatur; voluntas autem non est talis potentia, sed eius actus propter perfectionem intellectus principaliter quaeritur, et ad illam ordinatur. Quare et cetera.

Maior est satis manifesta. Minor sic declaratur: quia universaliter omnis virtus appetitiva et motiva data est rebus ut per illas potentias et actus earum inclinentur et tendant res ad suas perfectiones consequendas, quibus tamen non perficiuntur secundum ipsam potentiam appetitivam, sed secundum aliam. Sed sic appetitus inditus est propter actum appetendi aliquod obiectum quo ² formaliter et inhaerenter perficiatur appetens et sic est datus | propter huiusmodi bonum quod est obiectum ipsius appetitus et non actus eius neque bonum et perfectio eius. Ex quo statim patet quod in nullo actu appetitus potest consistere rei perfectio principalis. Et hoc patet in omnibus. Appetitus enim naturalis gravis non est inditus gravi ob hoc quod perfectio lapidis consistat in actu talis appetitus qui est eius naturalis inclinatio in locum deorsum, et etiam in ipso moveri deorsum; sed ob hoc quod per huiusmodi appetitum inclinatur in suam principalem perfectionem quae ³ est conservatio sui in esse et operatione in loco convenienti. Unde, inclinatio ad talem locum non est propter se, id est propter ipsam inclinationem, sed propter huiusmodi perfectionem.

Nec videtur impedire illationem in proposito: scilicet sic esse in voluntate quod dicitur quod in gravi est aliqua nobilior perfectio quam sit descensus vel inclinatio ad locum deorsum; sed non sic est in rationali natura aliqua perfectio nobilior perfectione secundum voluntatem.

Sine ratione enim ⁴ videtur peti in hoc contrarium; nam appetitus, in quantum est quaedam potentia appetentis, semper est propter aliquid quod respicit pro obiecto quod est aliquid, quo eminentiori modo perficitur appetens quam per ipsum actum appetitus et non est propter suum actum principaliter. Unde in hoc non est differentia inter appetitus, sed in hoc

cod. P
fol. 56 Vb

¹ cum *add* P. — ² quod P. — ³ quod C. — ⁴ non P.

cod. P
fol. 57 Ra

cod. V
fol. 85 Vb

cod. C
fol. 27 Ra

quod unus nobiliori modo fertur in obiectum suum quam alius, et in hoc etiam quod habet unus ¹ nobilior obiectum quam alius. Qua ratione ergo in uno ente invenitur quod appetitus in ipso est propter eminentiorem aliam perfectionem quam sit perfectio quam habet secundum actum appetitus. Debet etiam concludi ita esse in omnibus secundum proportionalitatem, sic tamen quod nobilior appetitus est propter nobiliorem perfectionem et nobiliori modo tendit in illam. Sicut ergo, ut dictum est, est ² de appetitu gravis deorsum, sic debet dici de appetitu animalis, scilicet quod etiam actus appetitus animalis non est inditus animali ³ propter hoc quod perfectio animalis consistit in aliquo actu talis appetitus, sed ob hoc quod per huiusmodi appetitum inclinatur in suam principalem perfectionem quae est conservatio | sui in esse secundum se ipsum in proprio individuo, quod fit per nutritionem et ciborum sumptionem ⁴, et in esse vel ⁵ conservatione sui ipsius in conservatione suae speciei in alio ⁶ individuo, quod fit per generationem. Ad hoc enim naturaliter animal inclinatur et ideo est ei inditus appetitus animalis quo appetit illa per quae hoc contingit, scilicet usum ciborum secundum gustum et venereorum secundum tactum. Unde appetitus animalis non est ⁷ in animali ut animal in actu aliquo secundum appetitum, scilicet secundum appetere vel secundum quemcumque alium, ipsum animal perficiatur, sed in eo quod est obiectum talis actus ipsius | appetitus, scilicet in eo quod est talibus vel talibus secundum tales vel tales actus aliquorum sensuum principaliter uti et ad talem finem. Cum etiam naturaliter inclinatur amore sensitivo ad bonum prolis et sibi coniunctorum, ista inclinatio non est bonum principale ipsius inclinati, sic immo ipsum obiectum talis actus vel inclinationis est bonum ipsius in quod inclinatur, in quantum scilicet est quodammodo id ipsum cum eo qui ⁸ inclinatur. In hoc enim bonum ipsius in quod inclinatur est bonum eius quod inclinatur in quantum reputat se unum cum illo et e converso. Unde ⁹, inclinatio qua inclinatur in bonum alterius non est ipsum principale bonum ipsius inclinati nec ipsius in quod inclinatur, sed aliquid aliud, scilicet id in quo communicat qui sic inclinatur cum eo in quod inclinatur et quod vult etiam communicari illi in quod inclinatur in quantum est aliquo modo sibi ipsi idem; et sic bonum suum est aliquo modo principale bonum ipsius sic inclinati; et secundum hoc, sicut inclinatio qua animal per actum appetitus inclinatur in suum bonum in se ipso non est principale bonum ipsius sed aliquid aliud in se ipso, ita etiam

¹ in hoc — unus | unus etiam habet PC. — ² *om.* P. — ³ *om.* C. — ⁴ susceptionem PC. — ⁵ in *add.* C. — ⁶ *om.* C. — ⁷ nisi *add.* P. — ⁸ cui vel in quod *2a m.* C. — ⁹ sicut *add.* C.

inclinatio qua per amorem aliquid inclinatur in prolem suam vel in aliquid aliud, sive in bonum alterius, non est principale bonum eius, sed aliquid aliud. Unde, sicut animal cum deest sibi aliquid pertinens aliquo modo ad perfectionem suam, cum illud appetit non habitum | non dicitur ex hoc habere suam perfectionem simpliciter, licet habeat quamdam perfectionem secundum potentiam appetitivam quae est in actu desiderandi vel appetendi; et hoc quia ipse actus appetitus est propter aliquid aliud secundum quod animal simpliciter habet aliquam perfectionem; et cum adeptum est id quod prius non habitum appetebatur et desiderabatur et cessat talis actus appetitus in appetitu, insurgit ¹ alius actus vel aliqua passio, scilicet amor aliquis iam habiti et delectatio in illo. In hoc etiam non potest consistere principale bonum ipsius quia talia quasi concomitative ² se habent ad bonum aliud principale et ex illis habent suam bonitatem, ut patet cum animal est aegrum et desiderat sanitatem, et cum esurit et desiderat cibum, et sic de aliis. Constat enim quod animal magis perficitur cum est in actu comedendi per actum gustus quo gustat gustabile quam cum erat in actu appetendi et desiderandi gustabile. Cum autem amat gustabile iam habitum et in eo delectatur, adhuc magis dicitur perfici per ipsum actum gustandi quam per ipsum amorem vel delectationem consequentem. Et sicut in animali perfectius est quod sentit et sentit se sentire quam quod amat se vel delectatur in se, ita etiam respectu proles amatae magis perficitur animal amans in hoc quod percipit illam esse vivere et bene vivere et perfecte secundum actus ad ³ eius perfectionem pertinentes, quam in hoc quod amat ipsam talia habentem et ⁴ in hoc quod prolem propter naturalem unionem reputat quodammodo id quod ipsum est. Unde, etiam ⁵ naturali quodam instinctu parens in prole quodammodo reputat se esse et ⁶ se remanere, cum in seipso corrumpitur et remanet tamen proles. Sicut perfectius est cum ipsum bene est et utitur bene sensibus suis secundum actus eorum et percipit se esse, vivere et sic sentire, quam cum amat ⁷ se tale existens, vel etiam cum percipit quod se amat talia habentem, similiter etiam videtur dicendum in appetitu rationali. Quia non videtur esse inditus | homini propter hoc quod perfectio eius consistat in actu talis appetitus, quo scilicet inclinatur in aliquid apprehensum a ratione, sed ob hoc quod ⁸ per huiusmodi appetitum et eius actum inclinatur in suam principalem perfectionem. Quae non consistit in conservatione sui in esse in se ipso vel in alio et in usu actuum secundum gustum et tactum, quia hoc

cod. P
fol. 57 R^b

cod. P
fol. 57 V^a

¹ insurgat PC et 1^a m. V. — ² communicative PC. — ³ om. C. — ⁴ om. P. — ⁵ et C. — ⁶ in add. P. — ⁷ amant P. — ⁸ quia PC.

cod. V
fol. 86 Ra

habet per alium appetitum, | scilicet sensitivum, in quantum est communis homini et bruto; sed est aliqua sua perfecta operatio conveniens homini secundum quod homo, sive naturae rationali secundum quod rationalis. Hoc autem non est nisi operatio secundum intellectum. Appetitus ergo rationalis sive voluntas principaliter, sive primo et per se, non est in homine ut in aliquo actu ipsius voluntatis ipse homo perficiatur; sed ut perficiatur in eo quod est obiectum per se ipsius voluntatis, scilicet in eo quod est esse in actu perfecto secundum intellectum. Cum enim perfectio hominis

cod. C
fol. 27 Rb

ipsum intrinsecus informans sit aliquis | actus non autem ¹ voluntatis propter praedicta, oportet quod hic ² sit actus ipsius intellectus.

Nec videtur impedire propositum si dicatur quod, licet aliquis actus voluntatis bene sit propter aliquem actum intellectus tamquam propter nobiliorem perfectionem, scilicet actus quo voluntas vult Dei cognitionem, tamen est alius actus voluntatis qui non est propter aliquid intellectus, et est nobilior actu ³ intellectus, scilicet actus quo vult summum bonum, scilicet ipsum Deum esse, et quo etiam ipsum amat secundum se, quia summe amabilis.

Hoc non videtur valere, quia, licet illud obiectum voluntatis quod est Deus secundum se et ut est obiectum voluntatis ⁴ secundum istos actus sit quid nobilius et perfectius quam obiectum voluntatis quod est perfectio ipsius hominis formalis ipsum per inhaerentiam informando, tamen in genere perfectionum hominem subjective et informative perficientium, actus voluntatis non potest esse nobilior, quia nec magis volitus vel appetitus, ut videbitur, sed est finaliter propter actum alium ipsius intellectus qui est magis volitus et magis habens rationem finis. Licet etiam ipse actus appetitus sit quaedam | perfectio rationalis naturae ut etiam est informatus, non solum obiecto praedicto quod est actus intellectus, sed etiam summo bono secundum se amato; in genere autem obiectorum voluntatis illud est melius et perfectius quod magis habet rationem finis et desiderati; — ergo inter actus ille actus qui magis desideratur per se magis habet rationem finis. Quia ergo, in genere finis et boni sive perfectionis hominem formaliter perficientis, actus voluntatis non potest esse principalior, quia nec potest esse principale et per se obiectum ipsius voluntatis, quod tamen requiritur ad hoc quod habeat rationem boni et finis simpliciter et per se, sed ⁵ hoc convenit actui intellectus, quia in genere actuum qui per se sunt obiecta voluntatis maxime appetitur ⁶ ipse actus intelligendi, ideo actus intellectus melior est et nobilior

cod. P
fol. 57 Vb

¹ non autem] *om.* P, et non est C. — ² hoc PC. — ³ actus P. — ⁴ *om.* V. — ⁵ *om.* C. — ⁶ appetitus P.

actu voluntatis. Quamvis ergo actus quo volo Deum propter seipsum esse et quo Ipsum propter se diligo sit perfectior quam actus quo volo Deum videre vel quo diligitur Deus quia visus, quia nobilius est illud obiectum isto, tamen ex hoc non sequitur quod actus quo diligitur sit perfectior actu quo ipse videtur ubi est idem obiectum utrobique. Iudicandum est enim de tali actu voluntatis quo vult et diligit amicum ac si esset amati qui est alter ipse. Sicut ergo actus quo quis amat alium, si esset existens in amato, ut scilicet ipse amatus ab alio etiam sic amaret se ipsum, esset propter aliud, ita etiam in amante. Unde, sicut non posset esse maxima perfectio amati actus quo se ipsum amaret, ita nec etiam amantis potest esse maxima sua perfectio actus quo amat amicum. Cum enim voluntas inclinatur amore rationali qui dicitur amor amicitiae et benevolentiae¹ ad bonum alterius, ista inclinatio non est bonum principale ipsius in quod inclinatur vel ipsius inclinati; immo ipsum obiectum talis actus vel² inclinationis est bonum aliud principale | et ipsius in quod inclinatur et ipsius qui inclinatur. Nam cum sic amantes se sint quodam | modo unum, in quantum amor, secundum Dionysium et Augustinum, est vis unitiva et transformativa amantis in amatum; et secundum Philosophum: amicus est alter ipse volens alicui bonum, tali amicitia vult hoc in quantum sunt quodam modo unum et in quantum bonum quod illi vult est bonum quod etiam sibi principaliter vult; quia amicabilia³ quae ad amicos videntur ex his quae ad se ipsum venisse, ut dicitur nono Ethicorum; illud quidem vult ipsi ut est quodammodo ipse; et sic talis actus volendi non est bonum et perfectio principalis ipsius volentis, sed obiectum talis actus quod est quiddam aliud⁴ quod est bonum et perfectio amici in se ipso, et ipsius amantis ut est unum cum illo. Cum enim volo amico hoc maximum bonum quod est esse perfectum secundum intellectum, illud volo sibi in quantum est mihi aliquo modo coniunctus, et quia illud quod maxime mihi⁵ volo est esse sic perfectum in eo quod amicus est sic perfectus sive aliquo modo perfectus, quia aliquo modo sive ipse amicus, immo etiam⁶ omnis amicitia sive honesta sive turpis qua quis inclinatur in bonum alterius, ordinatur ad perfectionem amantis secundum actus aliquos principaliter intentos, et non ad ipsum actum amandi finaliter. Nam amici quaerunt maxime convivere et communicare sibi in operationibus quas maxime amant et quas principaliter intendunt, scilicet in vera amicitia communicare in actibus virtuosis. Et sicut amans vere se ipsum vult se esse perfectum principaliter virtutibus, et exercere actus virtuosos, ita etiam vult in amato. Unde dicit Philosophus, nono Ethicorum: illud quod maxime

cod. V
fol. 86 R^b
cod. P
fol. 58 R^a

¹ benivolentiae. — ² om. C. — ³ amabilia PC. — ⁴ alius P. — ⁵ om. V. — ⁶ et C.

cod. C
fol. 27 Va

eligimus | et diligimus est esse et vivere. Hoc autem contingit homini secundum sensum et intellectum; et ideo maxime eligibile est homini sentire se esse et vivere, quod fit sentiendo et intelligendo se sentire et intelligere. Ita etiam supposita unitate affectuum amicorum, ratione assimilationis virtutum quas communiter participant, intenditur unio realis ipsorum secundum istas perfectiones, quae fit¹ secundum communicationem secundum hos actus, scilicet ut sentiat amans amicum virtuose sentire et intel | ligere. Sicut enim aliquis delectatur in suo esse et vivere sentiendo se ipsum dicto modo, ita etiam ad hoc quod delectetur in amico qui est quasi ipse alter non sufficit quod ipsum amet, sed oportet quod consentiat, id est², simul sentiat ipsum esse et cetera. Quod contingit communicando ipsi secundum communicationem sermonum scientialium et virtuosarum operationum.

cod. P
fol. 58 Rb

Ex his videtur posse concludi quod, cum voluntas sit quidam appetitus, [quod] ipsa principaliter est propter perfectionem aliam quam sit perfectio secundum suum actum. Sed ad hoc est principaliter ut per ipsam volens inclinetur non principaliter ad ipsam perfectionem voluntatis; quia illa non est nisi quaedam inclinatio ad perfectionem et operationem aliarum potentiarum principalium sive³ ad hoc data⁴ ut per ipsam principaliter inclinetur volens ad ipsas operationes aliarum potentiarum quae sunt perfectiones hominis principales.

cod. V
fol. 86 Va

Unde, quia perfectio cuiuslibet alterius potentiae continetur sub obiecto voluntatis sicut proprium bonum sub bono communi, propter hoc movet alias potentias ad suos actus et ipsa consequitur finem suum quando quaelibet alia potentia pertingit ad suam perfectionem. Videtur ergo quod actus voluntatis non potest esse perfectior sine quo magis perficitur ipse volens; quia, ut iam prius dictum est, illud quod habet magis rationem boni et finis est perfectius; sed in genere actuum actus intellectus magis habet rationem boni et finis, quia cum obiectum voluntatis sit bonum et finis, illud quod magis per voluntatem appetitur magis habet rationem boni et finis. Sed in genere actuum actus intellectus | magis appetitur quia est per se obiectum voluntatis. Non sic autem actus voluntatis; quia non appetitur per se vel propter se, sed secundum reflexionem sui super se ratione obiecti principalis. Volo enim habere actum speculandi propter se, ut meam perfectionem simpliciter; sed non volo me velle hoc propter se, tanquam meam perfectionem simpliciter. Velle enim speculari non est perfectio mea simpliciter, sed ipsum speculari; et ideo volendo me velle speculari, non volo perfectionem meam | ratione actus volendi quem volo, sed ratione obiecti ipsius

cod. P
fol. 58 Va

¹ sit P. — ² id est] om. PC. — ³ sed corr. 2a m. C. — ⁴ scilicet videtur add. 2a m. V.

quod volo. Et est tale obiectum quod est principaliter bonum volitum, bonum non ipsius voluntatis sed intellectus; sive non est bonum volentis secundum voluntatem sed secundum intellectum.

Propter quod etiam beatitudo quae est finis in quem¹ tendit voluntas, in quantum ponitur consistere in aliquo bono creato, quod scilicet appetatur ut maximum bonum inter creata, est visio Dei. Non potest enim appetens velle sibi maius et perfectius bonum quam videre ipsum Deum. Unde actus intellectus in genere actuum est maxime volitus, quia ipse actus voluntatis cuius est aliquid aliud per se obiectum non potest per se et directe esse volitus, ut dictum est. Videtur ergo intellectus esse potentia eminentior simpliciter quam voluntas. Videtur etiam actus intellectus esse eminentior et perfectior actu voluntatis secundum praedictam considerationem.

Et etiam hoc aliter videtur si consideretur causalitas et principalitas quae est actus et obiecti intellectus respectu actus et obiecti voluntatis. Voluntas enim non est nisi apprehensi per intellectum; est autem intellectus speculativus et practicus, et utrique actui coniungitur actus aliquis voluntatis. Nam cum intellectus speculativus est perfectus actu suo, cum ipse et voluntas ratione suae abstractionis sint potentiae supra seipsas et super actus suos et obiecta conversivae, ipse homo perfectus actu intelligendi percipiens se intelligere obiectum nobile et actu tali nobili perfectum, complaceat sibi in illis per voluntatem et diligit illa et ut sunt quaedam perfectiones secundum se et ut sic percipit se illis perfectum. Unde, sic fertur voluntas non per se et² immediate et directe in praedictos actum et obiectum, sed mediante actu conversivo, quo sic perfectus cognoscit³ actum et obiectum secundum quod perfectivum est actus intelligendi, in quantum haec sunt quaedam perfectiones ipsius volentis⁴ et intelligentis. Primo enim actu intelligendi pure | speculativo apprehenditur ipsum obiectum secundum se et absolute, et non fertur voluntas in ipsum secundum huiusmodi⁵ apprehensionem | per actum aliquem principalem qui possit dici⁶ amor vel dilectio⁷, licet in tali actu speculativo, secundum doctrinam Augustini, undecimo de Trinitate, adsit⁸ intentio voluntatis⁹ vel attentio voluntatis aliquo modo copulans prolem parenti et cetera. Sicut enim delectatio ad appetitum pertinens naturali necessitate consequitur et annectitur actui perfecto, sic etiam talis amor vel dilectio voluntatis consequitur et annectitur talibus quibus sic perficitur ipse volens. Si autem quaeratur quis istorum actuum sit eminentior et perfectior, vel actus intel-

cod. P
fol. 58 V^b

cod. C
fol. 27 V^b

¹ quam V. — ² etiam P. — ³ et *add.* PC. — ⁴ *om.* C. — ⁵ huius V. — ⁶ *om.* C. — ⁷ dici *add.* 2^a m. C. — ⁸ assit. — ⁹ intentio voluntatis] voluntas PC.

lectus quo perfectus sive in cognoscendo vel actus voluntatis quo diligo hanc meam perfectionem, et similiter si quaeratur de ipso obiecto respectu cuius habet rationem eminentiorem vel respectu intellectus vel voluntatis, patet quod ipse actus intelligendi est eminentior et perfectior, quia ex sua bonitate et perfectione habet ipse actus voluntatis cuius ille est obiectum bonitatem et perfectionem. Ipse etiam actus intellectus est id quo ipse intelligens et volens principaliter perficitur ut ¹ bono principali et finali quod est obiectum et non actus ipsius voluntatis. Ipse autem actus voluntatis est id quo ² volens et intelligens concomitative vel consecutive et secundum quamdam connexionem naturalem perficitur, non ut bono principali et finali, sed ut bono habente bonitatem et perfectionem participatam a bono principali et finali cui connectitur. Perfectius est enim esse perfectum cognitione Dei et ipso Deo secundum quod cognitus, quam esse perfectum dilectione huius ³ cognitionis et ipsius cogniti secundum quod cognitum est.

cod. V
fol. 86 V^b

Intellectus autem practicus qui est respectu | cogniti, non secundum se et absolute, sed in ordine ad voluntatem, in quantum scilicet ipsum obiectum apprehensum ab intellectu per se et immediate et directe habet movere voluntatem, dupliciter potest considerari secundum duplicem actum voluntatis quo | voluntas dupliciter fertur per se et directe et immediate in aliquid apprehensum. Aut enim voluntas fertur in aliquid apprehensum non habitum ut habeatur et ipsi volenti uniatur; aut etiam fertur in apprehensum habitum ut conservetur et salvetur non propter se, sed in ordine ad ipsum volentem et ut aliquid ad ipsum pertinens; et respectu talium dicitur voluntas actu suo volendi vel amandi habere amorem concupiscentiae; puta si volo vinum quo careo; item si habeo vinum, illud volo esse et salvari propter me. Alio modo fertur voluntas in aliquid apprehensum propter se, prout voluntas actu suo amandi vel volendi dicitur ad aliquid habere amorem amicitiae.

cod. P
fol. 59 R^a

Quantum ad primum istorum modorum est ibi considerare tria: scilicet actum intellectus in actu et actum voluntatis in actu et obiectum utriusque quod etiam consistit principaliter et finaliter in aliquo actu, licet non praesente, quia consistit in aliquo quo formaliter perficitur ipse volens, ut patet per exemplum supra dictum. Si autem ista tria ad invicem comparentur, puta cognoscere vinum ratione potationis et velle vinum potare et ipsum vinum actu potare, sive esse perfectum tali perfectione et tali bono quale est in potatione ⁴ vini, sive velle conservari et salvari vinum propter huius-

¹ in C. — ² quod PV. — ³ huiusmodi PC. — ⁴ potione P *1^a* m. C.

modi perfectionem, et sic de aliis, et quaeratur quid sit perfectius inter ista, — dicendum quod, quia ipsum velle non est finale bonum, immo est quaedam inclinatio in aliud; inclinatio autem in aliud non potest habere rationem finalis perfectionis secundum modum praedictum, sed illud in quod aliquid inclinatur cum res in suam perfectionem inclinetur et ideo nullum velle potest esse ¹ finalis perfectio inclinati; quia vero obiectum apprehensum et volitum secundum suum esse reale secundum se et absolute non apprehenditur nec appetitur [sive] ut est aliquod ens secundum se et absolute, sed ut est quoddam bonum nostrum, non nisi in quantum potest nobis coniungi per aliquem usum et secundum aliquam operationem alicuius alterius potentiae, puta cum apprehenditur ut quoddam potabile et appetitur | propter ipsum potare; et tunc est dicendum quod si actus quo tale obiectum apprehenditur et appetitur si[n]t actus intellectus et voluntatis, actus autem propter quem talis res apprehenditur sit ² actus sensus gustus, nobilioris autem potentiae nobilior est actus; — secundum hoc cognitio et volitio talis obiecti simpliciter est nobilior actu qui est obiectum ³.

cod. P
fol. 59 R^b

Si autem actus | quo talis res cognoscitur sit ⁴ potentiae sensitivae, nobilior videtur adhuc visio vel cognitio talis obiecti simpliciter quam obiectum quod est actus gustus sensus. Et hoc quidem est intelligendum secundum quod sensus considerantur ⁵ in ordine ad cognitionem et in quantum propter ipsam cognitionem principaliter diliguntur. Verumtamen cum ipsum potare vinum non sit cognitum nec volitum nisi ut habet rationem finis, et sic cognitio vini non est ⁶ nisi ut potetur, propter quod est et ⁷ ipsum velle potare vinum ⁸ — propter hoc enim insunt cognoscenti et volenti talis cognitio et talis appetitus ut illud secundum suum esse reale per actum potandi adipiscatur, — oportet ponere quod ex quo istud habet rationem finis debeat etiam aliquo modo dici melius, sed non simpliciter sed secundum quid, scilicet quia est appetenti necessarium vel utile, puta ad conservationem sui esse. Sicut enim opera perfectiora contemplationis aliquando intermittuntur propter opera imperfectiora ad vitae sustentationem necessaria, ita etiam operatio intellectus et voluntatis, licet sit nobilior operatione aliqua ad corpus et ad virtutes corporales pertinente, in quantum tamen est homini necessaria ad illam ut ad id quod est bonum necessarium, et ⁹ sic melius quo possunt huiusmodi ¹⁰ operationes perfectiores aliquo modo ordinari, non sicut minus et imperfectius ad maius ¹¹

cod. C
fol. 28 R^a

¹ potest esse | esse potest C. — ² sunt. — ³ obiectioni P, obiecto C. — ⁴ sint V. — ⁵ consideramur P, consideramus C. — ⁶ om. C. — ⁷ etiam P. — ⁸ sunt actus ordinati ad ipsum potare vinum *add. in marg.* V. — ⁹ est *corr.* 2^a m. C. — ¹⁰ huius V. — ¹¹ minus C.

et perfectius, sed potius e converso, sicut etiam dominus aliquando propter sui ipsius bonum et necessitatem circa servorum dispositionem occupatur et ¹ illorum aliquo modo habet curam.

cod. V
fol. 87 Ra
cod. P
fol. 59 Va

Si autem huiusmodi obiectum quod est vinum ² secundum quod potabile, vel ipsa potatio | vini referuntur ad actum cognoscendi et appetendi sensitivum, sic videtur quod ipsum potare vinum sit aliquo modo perfectius | quam cognitio eius secundum alium sensum vel appetitus secundum sensum. Prout enim sensus diliguntur propter utilitatem et quia utilitas sensibilium quae sunt obiecta sensuum attenditur secundum ordinem ad ³ conservationem naturae animalis secundum individuam et secundum speciem, ad hanc autem utilitatem propinquius se habent sensibilia tactus qui est cognoscitivus eorum ex quibus consistit animal, secundum hoc etiam delectationes quae sunt secundum tactum sunt maiores, quia sunt fini propinquiores delectationibus aliorum sensuum; sic et actus secundum tactum videntur perfectiores et magis dilecti aliis, quamvis, prout sensus diliguntur propter cognitionem, sicut delectationes secundum visum sunt potiores et visus ⁴ est sensus perfectior secundum quod deservit cognitioni praecipue intellectivae; et secundum hoc perfectior est actus potationis vini quam cognitio eius secundum alium sensum vel quam actus appetitus eius sive antecedens sive concomitans.

Per praedicta tamen non est intelligendum quod sensus tactus in animalibus sit simpliciter perfectior quam sensus visus, sed tantum quo; alioquin, cum virtus generativa et nutritiva magis de propinquo se habeant ad finem qui est conservatio naturae animalis quam quaecumque potentia sensitiva, potentiae vegetativae et earum actus essent perfectiores sensitivis potentiis et earum actibus, quod tamen est falsum. Unde, quia potentiae sensitivae sunt spiritualiores et immaterialiores quam vegetativae, sunt perfectiores; et inter sensitivas quae magis sunt spirituales ⁵ et immaterialiores, sunt perfectiores ⁶, quia etiam ⁷ sunt magis et perfectius cognoscitivae. Unde, cum cognitio sit per se et ⁸ proprius actus potentiae sensitivae apprehensivae ⁹, per se debet dici illa perfectior per quam ¹⁰ sumus magis et perfectius cognoscitivi. Haec autem est illa quae ¹¹ immaterialior vel spiritualior ¹², cuiusmodi est potentia visiva et auditiva. Propter quod etiam in animalibus imperfectis quae non sunt nata habere omnem perfectionem secundum sensum invenitur sensus tactus sine aliis, sicut id quod est prius et imperfectius et materialius sine posterioribus perfectionibus et magis

¹ om. C. — ² unum PC. — ³ et C. — ⁴ etiam add. P, et 2^a m. C. — ⁵ spiritualiores P. — ⁶ sunt perfectiores] om. C. — ⁷ et C. — ⁸ est add. 2^a m. C. — ⁹ apprehensivae corr. 2^a m. C. — ¹⁰ quem V. — ¹¹ est add. 2^a m. C. — ¹² vel spiritualior om. C.

spiritualibus. Nec obstat quod delectationes secundum tactum sunt vehementiores quam secundum | alios sensus. Quia etiam sunt vehementiores quam delectationes intellectuales, non sunt tamen simpliciter perfectiores et nobiliores. Qualitercumque etiam se habeat inter actus cognoscitivos sensuum, scilicet sive visio cervi a leone sit perfectior quam gustatio cervi ¹ sive non ², tamen semper actus sensus cognoscitivi est perfectior quam actus appetitus, quia actus sensus est quasi finis propter quem et in ordine ad quem habet esse actus appetitus.

cod. P
fol. 59 V^b

Quantum ad secundum modum supradictorum, est intelligendum quod voluntas fertur in | aliquid propter se dupliciter, vel ut in obiectum principale ut ad quod per se actus voluntatis terminatur, vel ut ad id quod est formalis ratio obiecti principalis ratione cuius voluntas in ipsum sic terminatur. Isto modo enim non fertur proprie nisi in bonum quod habet rationem ³ boni simpliciter et finis, non solum in ordine ad aliud. Unde, cum secundum Philosophum, octavo Ethicorum, tria sunt amabilia in quae scilicet fertur voluntas ut in ea quae important rationes volendi et amandi, scilicet bonum delectabile et utile; et ⁴ secundum hoc sunt tres species amicitiae. Quia amantur quidam propter bonum honestum, quia sunt boni et virtuosus secundum se; quidam autem propter bonum delectabile, quia scilicet sunt amanti delectabiles; quidam propter bonum utile, quia scilicet sunt amanti utiles ⁵. Sed duae posteriores amicitiae non sunt per se amicitiae sed per accidens, quia in illis non amatur aliquis secundum se, sed secundum quod amanti aliquid exhibet, scilicet utilitatem vel delectationem. Quia ergo sola prima amicitia est vera et perfecta amicitia, secundum quam unusquisque bonus et perfectus | se ipsum amat, sicut decet, et alium consimiliter sicut seipsum, et secundum illum vult se esse et vivere virtuose, et operationes virtutum exercere et similiter amicum ut alium se ⁶, ideo secundum hanc considerandum quomodo respectu apprehensorum ab intellectu in quae fertur ipsa voluntas ad invicem se habeant intellectus ipse et voluntas, et actus eorum, et obiecta.

cod. C
fol. 28 R^b

cod. V
fol. 87 R^b

Circa hoc autem intelligendum quod intellectus et voluntas aliquando sunt respectu obiecti ut realiter absentis, puta cum aliquis vult sibi vel amico aliquod bonum | simpliciter quo caret, puta cum aliquis vult scire mathematica vel esse liberalis et apprehendit hoc ut perfectionem qua caret; aliquando vero respectu obiecti iam praesentis, puta cum aliquis existens mathematicus vel liberalis vult sibi hoc bonum quo sic perfectus

cod. P
fol. 60 R^a

¹ a leone — cervi] om. P. — ² om. PC. et 14 m. V. — ³ rationi V. — ⁴ om. C. — ⁵ quia — utiles] om. C. — ⁶ alium se] se alium C.

est, et secundum illud operari. Si autem quaeratur quid ¹ istorum trium sit perfectius, scilicet obiectum apprehensum et volitum vel ipsa apprehensio et volitio quantum ad alterum obiectum ², manifestum est quid dicendum: quia scire mathematica secundum suum esse reale quo scilicet actu informat intellectum est nobilius quam secundum suum esse potentiale et secundum esse cognitum vel volitum, sive quam eius cognitio vel volitio, et secundum hoc scire mathematica est quid nobilius quam apprehendere vel cognoscere hoc quod est scire mathematica vel etiam quam velle scire illa. Scire enim mathematica est notitia perfecta et determinata in intellectu, sed cognoscere solum hoc quod est scire mathematica ut perfectionem aliquam cognoscentis in potentia est quaedam cognitio generalis indeterminata et imperfecta eorundem. Item, est bonum finale quod propter se quaeritur. Sed velle scire illa non est finale bonum, sed est quaedam inclinatio in hoc quod est scire mathematica ut in finale bonum. Actus enim voluntatis, quo scilicet voluntas est in actu, non potest habere rationem boni finalis et per se voliti.

Quantum ad aliud autem ³ obiectum, videtur quod, prout esse liberalem et liberaliter operari dicunt habitum et actum secundum esse quod habent in appetitu inferiori, secundum hoc istud obiectum secundum esse eius reale ⁴ non est quid nobilius et perfectius quam secundum cognitum esse suum ⁵ et volitum, licet sit verius et perfectius id quod est secundum esse proprium in natura sua quam secundum esse cognitum et volitum. Prout enim Commentator ostendit, in fine sexti Ethicorum, prudentiam esse perfectiorem virtutibus moralibus, quia scilicet est perfectio nobilioris potentiae, quia ratiocinatum ⁶ in quo est prudentia nobilior est irascibili et concupiscibili in quo sunt virtutes morales; ita etiam potest argui propositum, quia scilicet intellectus et voluntas quibus apprehendimus et volumus esse liberales et liberaliter operari sunt nobiliores potentiae appetitu inferiori. Sicut autem haec se habent respectu eius ⁷ | qui se diligit, volens se esse, vivere et huiusmodi perfectiones habere et secundum eas operari, sic etiam se habent respectu amici qui diligitur secundum ista; quia diligens amicum diligit eum sicut alium se.

Istis ergo suppositis, considerandum est quomodo obiectum voluntatis est vel non est ⁸ nobilius obiecto intellectus. Et videtur quod si consideretur obiectum intellectus speculativi in quod non fertur voluntas per se et directe, ut supra dictum est, illud obiectum est obiectum intellectus sub ratione nobiliori quam voluntatis: puta cum Deus secundum intellectum videtur

cod. P
fol. 60 R^b

¹ quis P. — ² vel obiectorum *add. in marg. 2^a m. V.* — ³ om. C. — ⁴ realiter C. — ⁵ cognitum esse suum] suum esse cognitum PC. — ⁶ ratiocinationi PC. — ⁷ respectu eius] eius respectu C. — ⁸ vel non est] om. C.

a beatis secundum se et secundum suam perfectionem et entitatem absolutam; voluntas autem, cum fertur in hanc perfectionem ipsius videntis et in obiectum visionis quod ratione suae perfectionis causat hunc perfectum actum visionis, non sic fertur in ipsum secundum se et secundum suam perfectionem et ¹ entitatem absolutam; sed fertur in ipsam visionem et in ipsum visum in quantum visum ²; et sic ut facit ad perfectionem | ipsius videntis. Sub nobiliori autem ratione consideratur | aliquid ut consideratur secundum se et absolute et secundum suam entitatem et perfectionem absolutam ut sibi convenit secundum se ipsum, quam cum consideratur sub aliqua ratione particulari et contracta, quare et cetera. Et ideo, ut supra dictum est, perfectior est actus intellectus quo Deus videtur, quam actus voluntatis quo complacet videnti in hac visione et in viso ut visus est, et quo vult se esse perfectum tali actu visionis, et vult habere praesens obiectum et illud esse et conservari in sua entitate et perfectione propter perfectionem actus videndi quem causat.

cod. C
fol. 28 Va
cod. V
fol. 87 Va

Propter quod nec in isto actu quodammodo reflexo, quo scilicet apprehendo me videre Deum et apprehendo ³ Deum esse obiectum perficiens hunc actum visionis, nec in actu consequente voluntatis circa hoc, potest consistere principale et finale bonum, sive principalis et finalis perfectio vel ⁴ beatitudo hominis, immo in ipso actu principali qui est obiectum istorum actuum consequentium et a quo perfectionem habent isti actus.

Cum autem voluntas non feratur directe ⁵ per se et immediate nisi in obiectum apprehensum ab | intellectu pratico potest comparari obiectum intellectus speculativi ad obiectum intellectus practici quod etiam est obiectum voluntatis, et potest comparari obiectum intellectus practici ad obiectum voluntatis. Quantum ad primum patet quod aliquid est obiectum intellectus speculativi sub nobiliori ratione quam sit obiectum intellectus practici, et per consequens voluntatis; quia aliquid est obiectum intellectus speculativi secundum se et absolute, sive secundum suam entitatem et perfectionem absolutam, est autem obiectum intellectus practici secundum esse contractum et particulatum, sive sub ratione particulata ⁶ et contracta, in quantum scilicet est conveniens apprehendenti.

cod. P
fol. 60 Va

Est autem circa hoc intelligendum quod per intellectum practicum nunc intelligimus intellectum qui apprehendit rem non secundum se et absolute, in quantum scilicet intelligens perficitur simpliciter secundum intellectum, sed intellectum ⁷ qui apprehendit rem sub ratione convenientis

¹ om. C. — ² om. C. — ³ me — apprehendo] om. P. — ⁴ et C. — ⁵ et add. C. — ⁶ particularata P.C. — ⁷ sed intellectum] om. C.

et perfectionem importantis ad ipsum intelligentem, ut ex hoc non solum perficiatur intelligens simpliciter secundum intellectum, sed etiam inclinetur ipse intelligens in illud quod apprehenditur secundum appetitum, ut ex eius adeptione perfectionem aliquam consequatur. Et hoc contingit dupliciter ¹ secundum duplicem actum voluntatis: quorum unus est velle simpliciter, alius dicitur electio, quamvis magis proprie dicatur intellectus practicus ille quo existente in actu sequitur electio eius quod est ad finem, quam ille quo existente in actu sequitur velle ipsum finem, quia esse practicum est esse operativum. Nunc autem ex intellectu ex quo causatur voluntas finis immediate non sequitur operatio aliqua ultra actum ipsum volendi finem, sed ex intellectu ex quo causatur electio eius quod est ad finem sequitur operatio alia cuius causa est immediate ipsa electio. Electionis autem causa est ipse ² intellectus qui proprie dicitur practicus. In quantum tamen ³ intellectus practicus accipit principium sui processus in syllogizando ex fine voluto, sive ex appetitu finis, pro tanto | cognitio finis, ad quam scilicet sequitur appetitus finis, ad intellectum practicum dicitur pertinere. Et sicut verum quod est bonum et perfectio intellectus sic proprie practici non est verum simpliciter sed concorditer se habens ad appetitum rectum, ut dicitur sexto Ethicorum, quia verum intellectus practici respectu eorum quae sunt ad finem non est verum causatum ex apprehensione illorum simplici et absoluta, sed secundum convenientiam et consonantiam quam habent ad ipsum finem appetitum, ita etiam intelligendum est quod verum quod est bonum et perfectio intellectus practici alio modo sumpti qui est apprehensivus alicuius entis sub ratione finis non est verum simpliciter | sed concorditer se habens ad intelligentem, id est verum talis intellectus practici, scilicet respectu finis, non est verum causatum ex apprehensione illius simplici et absoluta sive sub ratione entis simpliciter et absolute, vel etiam sub ratione entis perfecti et boni simpliciter et absolute sed secundum consonantiam et convenientiam quam habet ad ipsum apprehendentem. Immo, sicut convenientia et conformitas quam apprehendit intellectus circa id quod est ad finem ad ipsum finem est formalis ratio talis actus intellectus, ita etiam convenientia et conformitas quam apprehendit intellectus circa id quod est finis ad ipsum apprehendentem est formalis ratio obiecti talis intellectus practici; et formalis ratio obiecti intellectus qui propriissime est practicus, scilicet conformitas et convenientia eius quod est ad finem ad ipsum finem includit convenientiam ipsius finis per se ad ipsum apprehendentem; et virtute illius procedit ratio practica in syllogizando et voluntas

cod. P
fol. 60 Vb

cod. V
fol. 87 Vb

¹ d'm P; d'm Ia m. C. — ² iste PC. — ³ om. C.

in eligendo circa illa quae | habent convenientiam ad ipsum finem propter convenientiam ipsius finis ad ipsum apprehendentem. Unde, illud quod est ad finem apprehenditur sub ratione convenientis ad ipsum apprehendentem et hoc mediante fine qui per se est conveniens sive apprehensus sub ratione convenientis. Unde, potio habens conformitatem ad sanitatem, quia eius est inductiva et causativa, non apprehenditur ab intellectu practico sub hac ratione nisi praeintelligatur sanitas | apprehensa sub ratione convenientis et ideo etiam iam ut conveniens apprehendenti sit volita. Et sicut intellectus proprie practicus qui est respectu eorum quae sunt ad finem numquam moveret appetitum ad eligendum ea quae sunt ad finem et ulterius, mediante appetitu, ad alia quae sunt necessaria ad executionem in opere eius quod appetitur per electionem, nisi quia illud quod apprehendit, apprehendit sub conformitate et convenientia ad ipsum finem volitum, quia secundum se conveniens et conforme apprehendenti; — ita etiam intellectus qui est alio modo practicus respectu finis non moveret voluntatem ad volendum ipsum finem, nisi illud quod est finis apprehenderetur sub ratione convenientis ad ipsum apprehendentem. Unde, sicut apprehensio potionis alicuius inductivae sanitatis non moveret appetitum ad eligendum eam ¹ et ad sumendum, nisi apprehenderetur ut sic in ordine ad sanitatem appetitam ut finem, ita etiam apprehensio ipsius ² sanitatis, vel sanitas apprehensa, non moveret voluntatem ad volendum ipsam, nisi apprehenderetur sub ratione convenientis ad ipsum apprehendentem. Quantumcumque enim aliquid apprehendatur non solum sub ratione entis, puta circa corporalia sanitas vel huiusmodi, et circa spiritualia scientia vel huiusmodi, sed etiam sub ratione perfectionis sive ut ens perfectum et bonum secundum se et absolute, nisi apprehendatur sub ratione convenientis ad ipsum apprehendentem, non potest movere voluntatem eius ad volendum ipsum, alioquin nullus apprehenderet aliquid sub ratione boni et perfecti secundum se quin illud vellet et hoc vel ut finem propter se, vel ut ad finem propter ipsum finem ³; quod est falsum. Unde dicit Philosophus, octavo Ethicorum, quod unusquisque videtur amare id quod est sibi bonum. Sicut enim simpliciter amabile est quod est simpliciter bonum, ita unicuique amabile est id quod est ei bonum. Et, prout ibi subdit, nihil differt dicere quod unusquisque amat id quod est bonum ei, et dicere quod unicuique est amabile id quod ⁴ apparet ei bonum, quia appetitus non fertur in aliquid nisi prout est apprehensum. Unde, cum aliquis amat aliquid apparens bonum, illud amat ut sibi bonum, etsi forte non | sit sibi simpliciter bonum. Unde ⁵ videtur dicendum simpliciter quod unusquisque amat id quod est sibi apparens bonum.

cod. C
fol. 28 V^b

cod. P
fol. 61 R^a

cod. P
fol. 61 R^b

¹ eum C. — ² om. C. — ³ ipsum finem] finem ipsum C. — ⁴ est *add.* V. — ⁵ Non P.

cod. V
fol. 88 R^a

Et secundum praedicta patet quod pro eodem accipiendum est sive dicatur aliquid | esse obiectum voluntatis sub ratione boni, sive sub ratione convenientis; quia actus voluntatis non est nisi quaedam inclinatio in aliquid propter conformitatem et convenientiam quam magis habet ad illud quam ad aliud et in quo, adepto illo, tanquam in sibi simpliciter convenienti ratione huiusmodi ¹ convenientiae quiescat. Unde cum specificatur bonum, quaedam rationes convenientiae exprimuntur, scilicet utile, delectabile, honestum. Item, bonum quoddam est commodum quoddam, iustum et cetera. Ex praedictis ergo patet quomodo sub alia ratione est aliquid obiectum intellectus speculativi quam intellectus practici et quod sub nobiliori ratione est obiectum intellectus ² speculativi quam practici. Unde et perfectior est actus intellectus speculativi quam practici; et virtutes intellectuales speculativae sunt nobiliores virtutibus intellectualibus practicis.

cod. C
fol. 29 R^a

cod. P
fol. 61 V^a

Quantum ad alium ³ vero articulum circa comparationem obiecti intellectus practici ad obiectum voluntatis, est intelligendum quod non videtur quod sint ponendae diversae rationes circa huiusmodi obiectum utrumque, ut scilicet sub una ratione sit obiectum unius et sub alia ⁴ alterius. Quia constat quod voluntas nihil vult nisi apprehensum per intellectum, et etiam ⁵ non vult aliquid sub aliqua ratione nisi illud sit apprehensum sub illa ratione. Quod enim intellectus apprehendat aliquid sub una ratione et voluntas non velit illud sub illa ratione sed sub alia, hoc est impossibile; quia si non apprehenditur sub illa alia ratione, nec voluntas illud potest velle sub illa. Si autem apprehenditur, habetur propositum. Unde, quia, ut dictum est, obiectum voluntatis non est nisi bonum apparens, — non est autem apparens nisi quia sub ratione boni vel ut bonum et conveniens apprehenditur; non enim apparet aliquid bonum ipsi volenti secundum voluntatem sed secundum intellectum, licet voluntas per actum volendi in illud feratur, sed non nisi secundum quod apprehensum est, — non | videtur esse differentia in obiecto intellectus practici et voluntatis; neque secundum rem, quia illud idem quod est obiectum intellectus est etiam obiectum voluntatis; | neque secundum rationem, quia, ut dictum est, voluntas non potest ferri in aliquid nisi secundum quod apprehensum est, et non potest ferri in obiectum suum sub aliqua ratione sub qua non sit apprehensum. Sed in hoc solum potest attendi differentia talis obiecti ut ad istas potentias comparatur, quia non potest movere utramque potentiam primo et immediate, quia ens secundum quod est conveniens sive

¹ huius PC. — ² obiectum intellectus | intellectus obiectum C. — ³ ad — vero] vero ad alium P. — ⁴ ratione *add.* C. — ⁵ ideo PC.

bonum ipsi cognoscenti, apprehenditur et movet intellectum per se et immediate; sed illud idem non movet voluntatem solum, sic scilicet quia sit conveniens ipsi volenti sic sive sub ratione convenientis, sed movet voluntatem secundum quod sic est apprehensum; quia scilicet talis est ordo istarum potentiarum inter se et respectu suorum obiectorum quod voluntas non potest exire in actum suum nisi mediante actu intellectus; et illud obiectum quod movet intellectum et voluntatem non potest movere voluntatem nisi prius moveat intellectum secundum cognitionem. Et secundum hoc potest poni differentia in isto obiecto ut est obiectum intellectus et voluntatis¹; quia est obiectum intellectus simpliciter et absolute absque hoc quod oporteat quod non moveat intellectum nisi mediante motione alterius potentiae, quam primo faciat in actu idem obiectum sub eadem ratione; sed non est obiectum voluntatis secundum se et simpliciter et absolute, sed secundum quod apprehensum, quia de ratione eius quod habet movere voluntatem est quod sit bonum apprehensum sive apprens ipsi volenti secundum intellectum, ut sic intelligatur differentia inter intellectum speculativum et practicum et voluntatem et inter obiecta eorum; nam ens secundum quod ens sive secundum se et² absolute est obiectum intellectus. Sed hoc quod dicitur secundum se et absolute³ potest intelligi dupliciter: uno modo sic quod excludatur habitudo entis cognoscibilis ad actum aliquem qui per se praeexigatur ad hoc quod moveat⁴ intellectum et sic est obiectum tam intellectus practici quam speculativi; alio modo sic quod per hoc excluditur habitudo entis cognoscibilis ad ipsum cognoscentem sive sub ratione convenientis sive sub ratione disconvenientis, et sic est obiectum intellectus speculativi et non practici. Cum enim, ut | dictum est, intellectus practicus | moveat voluntatem vel ad appetendum finem, vel ad eligendum id quod est ad finem, non potest esse obiectum intellectus practici ens secundum se et absolute sic dictum, sed oportet quod sit ens secundum conformitatem et convenientiam ad cognoscentem, alioquin omne ens cognitum moveret voluntatem. Ad obiectum ergo intellectus speculativi per additionem se habet obiectum intellectus practici et est magis particulatum et contractum. Ens enim secundum se est obiectum intellectus speculativi; ens secundum quod conveniens cognoscenti est obiectum intellectus practici; et obiectum voluntatis se habet per additionem ad obiectum intellectus practici, quia est conveniens sub ratione convenientis apprehensum. Unde non est ens absolute sumptum, quia nec

cod. P
fol. 61 Vb
cod. V
fol. 88 Rb

¹ et voluntatis] ut et voluntas C; et ut voluntatis *corr.* 2^a m. C. — ² om. V. — ³ est — absolute om. P. — ⁴ movet C.

excludit habitudinem ad cognoscentem nec ad cognitionem, sed utramque includit, scilicet quod sit conveniens, et ¹ hoc pertinet ad obiectum intellectus practici; et quod sit apparens sive quod apprehendatur sub ratione convenientiae et conformitatis, et sic addit ad ² obiectum intellectus practici rationem apparentiae sive apprehensionis tali modo. Ens enim simpliciter sive sub ratione entis est obiectum intellectus speculativi; ens conveniens sive sub ratione convenientis est obiectum intellectus practici; ens apparens conveniens sive sub ratione convenientis apparentis, sive apprehensum sub ratione convenientis est obiectum voluntatis; ita quod ratio apprehensionis vel apparentiae aliquo modo includitur in ratione obiecti voluntatis. Nec tamen per ³ hoc est intelligendum quod ipsa apprehensio sive apparentia eius quod dicitur bonum et obiectum voluntatis sit per se et principaliter obiectum voluntatis. Non enim dicitur bonum apparens vel apprehensum esse obiectum voluntatis secundum quod apparens et secundum quod apprehensum, quia scilicet ipsa apprehensio sit ratio formalis ipsius obiecti, sed dicitur quod bonum apprehensum secundum quod apprehensum ⁴ est obiectum voluntatis; quia ordo et distinctio istarum potentiarum requirit quod illud quod est obiectum voluntatis ipsam movere non possit nisi mediante motione quam prius facit in intellectu; et sic ordine quodam ⁵ unum et idem, sicut dictum est, et secundum rem et secundum rationem movet intellectum practicum primo, et mediante illo | movet voluntatem; et pro tanto quidem unum et idem secundum rem et rationem, quia illud idem quod apprehenditur, sub ratione sub qua apprehenditur, appetitur. Sicut enim apprehenditur ut conveniens, | quia scilicet secundum talem vel talem rationem convenientiae, ita etiam et sic appetitur; sed quia, in quantum movet intellectum practicum, non includit habitudinem ad actum cognitivum ⁶; — non enim movet intellectum practicum secundum quod apparens vel secundum quod apprehensum, immo apparentiam vel apprehensionem efficit in intellectu; — in quantum autem movet voluntatem hanc habitudinem includit. Ideo secundum hoc obiectum intellectus practici et voluntatis differunt aliquo modo secundum rationem. Ista ergo obiecta se habent per ordinem: ens secundum se et absolute, ens secundum quod conveniens, ens secundum quod conveniens apprehensum vel apparens. Hoc autem nihil aliud est quam bonum apparens quod est per se obiectum voluntatis.

Ex istis corollarie ⁷ sequitur quod qui ponit quod voluntas possit ferri

¹ ex *add. 2^a m. C.* — ² *om. C.* — ³ propter V; vel per *scrips. marg. V.* — ⁴ quia scilicet — apprehensum *om. P.* — ⁵ dicitur, *add. P.* — ⁶ cognitivum PV. — ⁷ *corellarie.*

cod. P
fol. 62 Ra

cod. C
fol. 29 Rb

in aliquid alio modo quam secundum quod apprehensum est, nec oporteat voluntatem et intellectum practicum conformari, ut scilicet voluntas possit esse perversa, intellectu existente recto, et e converso, talis ponit voluntatem esse in actu suo sine obiecto. Ex praedictis patet quod obiectum intellectus speculativi est nobilius obiecto intellectus practici et ex consequenti quam obiectum voluntatis, sicut etiam ¹ nobilior est scientia speculativa quam practica.

Quantum autem ad obiectum intellectus practici et voluntatis patet quomodo est unum secundum rem, differens aliquo modo ratione. Et quia secundum quod est obiectum voluntatis se habet per additionem contrahentem et limitantem, aliquo modo secundum hoc videtur esse obiectum intellectus practici sub nobiliori ratione quam voluntatis; quia etiam in hoc habet causalitatem actus intellectus super actum voluntatis, non e converso, et actus voluntatis dependet ab actu intellectus, non autem | e converso, quodammodo sicut dicitur de actu intellectus quo cognoscit praemissas respectu actus quo cognoscit conclusionem. Sicut enim cognoscens praemissas est dispositus ut fiat in actu cognoscendi conclusionem, ita etiam volens, cum est in actu cognoscendi convenientis ² sub ratione convenientis, sive cum illud quod apprehendit apparet sibi bonum, est dispositus | ut sit in actu volendi illud.

cod. V
fol. 88 Va

cod. P
fol. 62 Rb

Per praedicta patet quomodo semper actus intellectus est perfectior actu voluntatis qui est respectu eiusdem obiecti respectu cuius etiam est ipse actus intellectus, quia actus voluntatis mensuratur et habet rationem boni et perfecti in habitudine ad actum intellectus; actus enim voluntatis bonus ³ est secundum quod concordat rationi rectae; malus autem secundum quod declinat ab ea, non autem e contrario.

Sed si comparetur actus voluntatis respectu alicuius obiecti ad actum intellectus respectu alterius, puta actus volendi finem aliquem ad actum intellectus practici quo iudicatur eligendum et agendum aliquid quod est ad finem propter ipsum finem, et actus quo iudicatur esse eligendum et faciendum illud quod est inductivum finis desiderati vel amati, secundum hoc videtur aliquibus quod talis actus voluntatis sit nobilior tali actu intellectus; et secundum hoc actus voluntatis dicetur nobilior actu intellectus practici proprie dicti. Et hoc scilicet quod voluntas sit principalior intellectu practico arguitur sic, quoniam illa potentia principalior est alia cuius actus secundum quod huiusmodi est principalior, et cuius obiectum primum est principalius. Sed actus voluntatis est principalior quam actus intellectus

¹ et PC. — ² ens *add.* PC. — ³ bonum C.

practici, quoniam actus intellectus practici ordine naturae posterior est actu voluntatis, cum rationem ¹ sumat ex eo.

Item, obiectum voluntatis est principalius obiecto intellectus practici, quia obiectum voluntatis primum est finis ultimus; obiectum autem intellectus practici est eius dilectio vel desiderium; bonum enim dilectum est primum obiectum intellectus practici. Ergo voluntas est principalior intellectu secundum quod practicus est. Similiter etiam videtur posse distingui ² quod voluntas est eminentior aliquo intellectu speculativo, puta dilectio entis melioris, puta Dei vel hominis, cognitione entis vilioris, puta terrae vel vermis; quia illa potentia est nobilior cuius obiectum est nobilius; quia etiam ex consequenti secundum nobilitatem obiecti est nobilitas actus. Sed in proposito obiectum voluntatis est nobilius obiecto intellectus. Ergo et cetera.

Et circa hoc videtur dicendum quod non est propria comparatio inter voluntatem et intellectum et inter actus ipsorum nisi secundum quod comparantur ad idem obiectum. Hoc modo enim ³ potest declarari quomodo | una potentia et actus eius est simpliciter perfectior altero. Sed non sic proprie potest dici cum sic ad diversa comparantur. Circa hoc tamen videtur posse dici quod cum voluntatis actus sit quaedam inclinatio et tendentia | in aliquid alterum magis bonum, et ideo eius obiectum dicitur finis et bonum; et ideo nullus actus voluntatis potest habere rationem boni finalis proprie. Omnis autem actus intellectus est quaedam perfectio qua intelligens quodammodo quietatur in re apprehensa secundum quod intelligens, licet per actum intellectus practici insurgat voluntas in actum quo ipse intelligens ulterius inclinatur; et ideo etiam omnis actus intellectus secundum quod huiusmodi quodammodo rationem boni et finis habet. Secundum hoc videtur quod quicumque actus intellectus est nobilior quocumque actu voluntatis simpliciter et absolute, secundum quid autem et per comparisonem ad alterum potest dici voluntas et actus eius eminentior, sicut si auditus dicatur esse secundum quid nobilior visu in quantum res aliqua cuius est sonus est nobilior aliqua re cuius est color. Quando ergo res cuius est dilectio est nobilior re cuius est cognitio, cum etiam talis rei dilectio ⁴ includit eius cognitionem, nobilior est ipsa dilectione, | licet non oporteat quod quaelibet cognitio includat dilectionem. Ideo quantum ad hoc potest dici talis actus voluntas.

Nec obstat praedictis quod dicitur ab aliquibus quod voluntas libera est, non sic intellectus. Quia voluntas non est potentia libera quia est appe-

¹ lacuna P. — ² dici *supra scrips.* 2^a m. C. — ³ non P. — ⁴ rei dilectio] dilectio rei C.

cod. P.
fol. 62 Va

cod. C.
fol. 29 Va

cod. V.
fol. 88 Vb

titiva potentia, sed quia est appetitus in ratione, ut ratio dicit idem quod mens secundum quam homo est ad imaginem Dei. Est ergo libera quia est potentia radicata in natura abstracta. Formae enim quae sunt in materia ratione potentialitatis et imperfectionis materiae determinantur et contrahuntur ut modo determinato et materiali secundum aliquid determinatum agant. E contra etiam entia abstracta ratione suae immaterialitatis et abstractionis et ex hoc actualitatis maximae non determinantur in sua operatione ad aliquod ¹ ens particulare, sed totum ens eis subest et quantum ad apprehensivam potentiam et quantum ad appetitivam. Habet ergo libertatem simpliciter | unaquaque potentia naturae sic abstractae. Hoc est ergo causa libertatis voluntatis in sua operatione, quia est appetitivum in ratione. Sed eadem de causa intellectus habet libertatem, ex eo scilicet quod est apprehensivum in ratione.

cod. P
fol. 62 Vb

Ergo non bene dicitur quod intellectus agit serviliter, licet ab aliquo obiecto necessario immutetur. Nam actus intellectus in Deo a suo obiecto quod est divina essentia necessario et ² immutabiliter immutatur; et tamen cum absit quod intellectus divinus serviliter agat vel intelligat, immo liberrime, licet de necessitate, in quantum est summe abstractus et indeterminatus et actualissimus et omne ens et quamlibet rationem entis perfectissime cognoscens, ergo similiter et ³ in nobis, hoc nullam facit ⁴ intellectus servitutem, scilicet quod necessario immutatur ab aliquo obiecto.

Voluntas etiam non dicitur servilis, immo libera, respectu obiecti a quo de necessitate reducitur ad actum, scilicet respectu summi boni vel ultimi finis, eo quod ipsum est tale in quo omne bonum quodammodo includitur, et non est bonum aliquod ⁵ particulare et contractum. Respectu aliorum autem habet sic libertatem quod non movetur de necessitate in aliquod ⁶. Quaecumque enim ⁷ quod non secundum omnem sui considerationem est bonum, quia est defectivum, et defectus cuiuscumque boni habet rationem non boni vel aliquo modo mali, ideo potest a voluntate repudiari vel acceptari secundum diversas considerationes. Nec etiam talis libertas in eligendo vel repudiando convenit voluntati nisi quia, ut dictum est, radicitur in ratione; in qua etiam ⁸ radicitur intellectus cuius consideratio non est determinata circa talia ad unum, sed unum et idem potest considerari sub diversis rationibus vel boni et convenientis vel mali et nocivi. Et ideo non male dicitur a quibusdam (1) quod homo habet dominium super suos

¹ aliquid C. — ² om. C. — ³ etiam P. — ⁴ faciet PC. — ⁵ aliquid C. — ⁶ aliquid C. — ⁷ bonum *add.* PC. — ⁸ et C.

(1) Thomas Aquinas, *Summa Theologica*, I, q. LXXXII, a. 1, *ad tertium*.

actus quia habet deliberationem de illis. Ex hoc enim quod ratio deliberans se habet ad opposita, potest voluntas in utraque. Liberam enim electionem sive potestatem sic libere eligendi habet voluntas originaliter a natura rationis vel mentis abstractae dicto modo in qua ¹ radicatur; formaliter autem eam ² habet a se ipsa, quia huiusmodi libera | electio est subiective ipsius voluntatis.

cod. V
fol. 89 Ra

Sed actum et usum huiusmodi ³ libertatis habet voluntas ab intellectu etiam habente libertatem in suo actu ut a causa; quia secundum deli | berationem rationis diversas condiciones circa res considerantis potest voluntas actu eligere vel repudiare aliquod apprehensorum. Unde dicit Damascenus, libro secundo, capitulo quadragesimo primo: omnis consilians in se ipso ente electione agibillum consiliatur ut quod praeiudicatum ⁴ ex consilio eligat et eligens agat. Et Theophrastus dicit, tertio de Anima: ratiocinativus homo non | ducitur ab apparente mox sicut bruta animalia, sed exponit saepe si hoc hoc et si hoc rursus hoc; et concluditur ex pluribus unum. Propter quod brutorum animalium appetitus velut motus semper a simplici phantasia opinionem non habet, quia nec syllogismum; rationalium autem hominum appetitus opinionem ⁵. Et Commentator dicit, sexto Ethicorum, super illud: sensus nullius principium actus; irrationalia solum sensu communicantia sentientia ⁶ delectabilia statim appetunt et sequuntur, tristia renuunt et fugiunt; actus autem in ipsis neque ⁷ unus, quia neque ⁸ ratio; actus enim in quibus consiliari et sic eligibile concludi et sic ad ipsum appetitum extendi. Dominium ergo actus habet intellectus et appetitus hoc quidem iudicans et inveniens eligibile ex consiliatone; appetitus autem factivus est ⁹ eius quod intellectus esse melius concludebat.

cod. P
fol. 63 Ra

cod. C
fol. 29 Vb

Habet ergo intellectus libertatem suo modo in iudicando; quia ex se non est determinatus circa talia ad unum, sicut voluntas in eligendo; et dependet aliquo modo, sicut dictum est, libertas voluntatis a libertate huiusmodi rationis. Propter quod non debet dici quod intellectus sit servus et voluntas sola libera; sed unicuique est libertas modo sibi convenienti tribuenda. Libertas enim, prout potest trahi ex dictis Anselmi, de Libero Arbitrio, est ¹⁰ potestas recta operandi in ordine ad finem non coacta nec prohibita, ita scilicet quod operans ipsum finem et rationem eius et ordinem et habitudinem sui et eorum quae sunt ad finem ad ipsum finem agnoscat ¹¹.

Rectae operationis autem sunt quasi unum principium intellectus et voluntas, sed magis immediate voluntas; et ideo etiam ¹² ipsa libertas quasi

¹ quo P. — ² autem eam] eam autem P. — ³ huius P. — ⁴ est *add.* C. — ⁵ opinione P. — ⁶ scientia P. — ⁷ nec PC. — ⁸ nec PC. — ⁹ *om.* P. — ¹⁰ quod P. — ¹¹ cognoscat C. — ¹² et C.

appropriate attribuitur voluntati; quia immediatius quodammodo se habet ad voluntatem operatio respectu cuius homo dicitur habere libertatem, quam ad intellectum.

Item, praedictis non obstat quod voluntas utitur intellectu. Utens | autem videtur nobilior ex quo utitur; quia voluntas numquam utitur intellectu nisi virtute alicuius apprehensionis ipsius intellectus moventis ipsam voluntatem ut¹ moveat alias potentias intellectui subservientes. Nullius enim dominium habet voluntas sola sine intellectu, et nullo etiam utitur sine illo, sed in virtute intellectus, a quo movetur ipsa voluntas; et dominium habet super alia et aliis utitur; immo, ut dictum est, in talibus intellectus et voluntas sunt quasi unum principium. Ipsa voluntas etiam non utitur aliis potentiis praecipue intellectu, sicut superius inferiori, ipsum intellectum quantum ad exercitium actus movendo; immo utitur intellectu sicut inferius superiori. Nam, ut dictum est, appetitus inditus est ut per suam operationem quae est inclinatio quaedam appetentis tendat appetens ad adeptionem suae perfectionis, quae consistit principaliter in operatione intellectus; sicut et gravitas dicitur uti substantia lapidis quae dignior est, in quantum sua inclinatione facit eum tendere deorsum ut ibi in sua perfectione principali conservetur; sicut etiam appetitus sensitivus in animali utitur aliis potentiis nobilioribus in quantum animalia per huiusmodi appetitum inclinantur ad suas alias principales perfectiones. Prout enim dictum est, bonum aliarum potentiarum et praecipue intellectus est² obiectum ipsius voluntatis, cuius obiectum est finis; et ideo movet alias potentias ad suas operationes quae sunt perfectiones³ et bonum non ipsius voluntatis sed aliarum potentiarum. Actus enim voluntatis qui est perfectio ipsius voluntatis et cuius per se obiectum est aliquid aliud non potest esse actus qui sit finis in genere actuum; et ideo non potest esse actus perfectissimus in genere actuum. Cum enim, ut patet ex praedictis, ad hoc sit inditus appetitus rebus non ut in actu ipsius appetitus consistat perfectio appetentis tanquam formalis eius perfectio, sed ut per huiusmodi actum inclinetur appetens et moveatur ad assecutionem suae ultimae et optimae perfectionis, id est actus⁴ quo magis ipse perficitur qui est obiectum sub ratione finis et boni ipsius voluntatis, — actus voluntatis⁵ qui est perfectio ipsius voluntatis⁶ non potest esse actus qui sit finis ipsius appetentis simpliciter, licet sit finis ipsius secundum hanc potentiam quae formaliter non perficitur nisi per talem actum, sed oportet ponere alium actum qui sit obiectum

cod. P
fol. 63 Rb

cod. V
fol. 89 Rb

cod. P
fol. 63 Va
cod. C
fol. 30 Ra

¹ et P. — ² et C. — ³ imperfectiones C. — ⁴ actu V. — ⁵ actus voluntatis om. PC. — ⁶ actus voluntatis add. 2^a m. C.

huiusmodi¹ actus sub ratione finis qui sit bonum et perfectio alterius potentiae.

Quod ergo dicitur ab aliis⁽¹⁾ quod actus voluntatis est perfectior quia est nobilioris obiecti, dicendum quod non est verum; quia obiectum intellectus praecipue speculativi, est ens secundum quod ens, id est secundum omnem eius rationem ad suam entitatem et perfectionem pertinentem; obiectum autem voluntatis et intellectus practici est ens contractum, non quidem per aliquam condicionem quasi additam ad perfectionem eius pertinentem, sed ut ad aliquod² ens determinatum comparatur, quia est ens sub ratione convenientis ipsi amanti vel volenti. Loquimur enim nunc de actu voluntatis quo volens fertur in volitum amore amicitiae vel concupiscentiae. Sic enim bonum videtur importare rationem magis determinatam sub ente; quia non omne ens hoc modo est bonum proprie loquendo. Et secundum hoc patet quod sub nobiliori ratione est aliquid obiectum intellectus praecipue speculativi³ quam voluntatis. Item, licet, ut supradictum est, id quod est obiectum voluntatis et intellectus practici sub eadem ratione sit obiectum utriusque in quantum sub ratione convenientis, quia tamen, ut est obiectum voluntatis, plus includit quam ut est obiectum intellectus practici, et sic magis est contractum; quia etiam, ut dictum est, ipse actus voluntatis ab actu intellectus regulatur et mensuratur, ideo etiam⁴ actus practici intellectus est perfectior actu voluntatis. Si enim loquamur de bono communiter sumpto ut est⁵ convertibile cum ente et⁶ ut aliquo modo movet voluntatem cuiuslibet uniformiter, prout scilicet bonum est idem⁷ quod perfectum⁸, in quantum autem est aliquid in actu in tantum est perfectum; et sic omne ens in quantum ens est bonum, quia omne ens in quantum ens est in actu et quodammodo perfectum (quia omnis actus perfectio quaedam est), sic non videtur sub alia ratione aliquid esse obiectum intellectus et voluntatis sed sub eadem ratione; quia sub ratione suae actualitatis et perfectionis, sed ordine quodam, movet intellectum [et] ad⁹ actum principalem intelligendi et ipsam voluntatem ad actum cuiusdam com[un]i placentiae; et tunc etiam dicendum quod nobiliori modo movet intellectum quam voluntatem, sicut dictum est de intellectu practico et voluntate amante supradicto modo.

cod. P.
fol. 63 V^b

Item, quando illud quod praecedit alterum origine est imperfectius altero, et similiter informe formato quod praecedit, hoc intelligitur in illis quorum

¹ huius PC. — ² aliquid C; aliud *corr.* 20 m C. — ³ specificativi P. — ⁴ et C. — ⁵ om. C. — ⁶ om. C. — ⁷ id C. — ⁸ est *add.* C. — ⁹ om. PC.

(1) Henricus de Gandavo, *Quodl.* I, q. 14 (t. I, fol. 11, R).

unum est materiale et potentiale respectu alterius, sicut patet in flore respectu fructus, et in voce respectu cantus; non autem nisi unum est causa effectiva vel ¹ motiva respectu alterius; causa enim praecedat effectum, et est perfectior secundum quod huiusmodi. Ita est in proposito.

Quod autem actus voluntatis dicitur magis unitivus, non est verum simpliciter; quia ille actus quò quis sic unitur alicui obiecto quod in hoc maxime perficitur, ita etiam ut actus qui virtute illius obiecti elicitur, habet rationem finis, in genere actuum est magis unitivus, cum in unione potentiae ad tale obiectum per actum eius consistit perfectio principalis sic uniti. Sed hoc fit per actum intellectus, non voluntatis. Nam actus videndi magis unit quia magis assimilatur quam actus diligendi quo etiam amicus absens diligitur, cuius praesentia propter videre et propter alios actus aliarum potentialium principaliter appetitur, secundum quod ad hoc videtur Augustinus, primo de Trinitate, capitulo vigesimo secundo, inducere illud quod scribitur ² Prima Iohannis, tertio: nunc filii Dei sumus sed nondum apparuit quid erimus; cum autem apparuerit, similes ei erimus, quoniam ³ videbimus eum sicuti est; ecce quod per actum visionis dicit fieri | maximam assimilationem et unionem realem possibilem nobis ad Deum.

cod. V
fol. 89 Va

Unde, ad intelligendum dicta Dyonisii et Augustini de unione et transformatione sive copulatione duorum per amorem qui est actus voluntatis, propter quod videretur quod actus voluntatis esset magis unitivus, est ⁴ sciendum quod quaedam unio est causa amoris. Unio enim substantialis est causa amoris quo quis amat se ipsum. Unio vero similitudinis est causa amoris quo quis amat alterum; ex hoc enim quod aliqui sunt similes secundum aliquam perfectionem vel formam quam communiter participant et quam propter se diligunt, et sic sunt quodammodo | unum in illa, ex hoc affectus unius tendit in alterum ut in unum sibi et vult ei bonum sicut et sibi. Quaedam autem unio est ipse amor formaliter, sive nexus duorum, et haec est unio ⁵ secundum affectionem sive secundum coaptationem affectus quae contingit ex | apprehensione qua apprehenditur aliquo modo unitas amati ⁶ ad amantem. Cum enim aliquis ⁷ apprehendit aliquid ut aliquid sui, sive pertinens ad bene esse suum, amat illud concupiscens ipsum. Cum autem apprehendit alium ut amicum sicut quodammodo unum sibi secundum similitudinem et participationem eiusdem perfectionis, et sic apprehendit eum quodammodo ut alium se, vult ei bonum sicut et sibi. Est autem alia unio effectus amoris et haec est realis quam amans quaerit

cod. C
fol. 30 Rb

cod. P
fol. 64 Ra

¹ et C. — ² sic videtur C. — ³ quin C. — ⁴ et P. — ⁵ est ipse — unio] *om.* P. — ⁶ vel *add.* P. — ⁷ aliquid V.

principaliter in amato, sive de re amata quae consistit in praesentia amati ad amatum ut eo frui possit. Hanc autem unionem causat amor effective, quia movet ad desiderandum et quaerendum praesentiam amati quasi sibi convenientis et ad se pertinentis, secundum quod dicit Augustinus, duodecimo de Trinitate, capitulo trigesimo: cultus Dei est amor eius quo nunc desideramus eum videre. Sed haec unio realis habet fieri et esse secundum operationes non ipsius voluntatis, sed aliarum virtutum et potentiarum; et hoc fit secundum convenientiam amoris. Prout enim dicit Philosophus, secundo Politicorum: Aristophanes dixit quod amantes desiderarent ex ambobus fieri unum; sed quia ex hoc contingeret ambos aut ¹ alterum corrumpi, quaerunt ex unione secundum affectum unionem realem quae convenit et decet, scilicet ut simul conversentur et colloquantur ²; et sic in aliis actibus delectabilibus coniungantur. Sic ergo unio qua Deus unitur intellectui per apertam visionem et sic fit ei omnimode praesens et in hoc fit Deum assequens et apprehendens, est unio realior et perfectior quam quae est secundum affectionem voluntatis tantum, quae etiam est, amato absente.

Propter quod etiam dicitur et bene quod, cum beatitudo sit finis hominis, non nisi in potentia quousque praesentialiter ³ habeatur. Habetur autem praesentialiter ⁴ per actum intellectus. Ideo, cum per finis adeptionem sit homo beatus, beatitudo principaliter consistit in actu intellectus. Quod enim modo est absens, hoc non est quia non sit unio secundum affectum, sed quia non est unio realis secundum praesentialem ⁵ adeptionem eius in se ipso, et, prout dicit Augustinus, primo Soliloquiorum, capitulo duodecimo, quasi ⁶ adiunctive et propter aliud actus voluntatis sive caritatis requiritur, videlicet ut in illa visione beata teneatur.

Et secundum hoc patet quare actus intellectus quo magis unitur beatus obiecto non dicitur habere vim unitivam vel transformativam sicut actus voluntatis qui tamen minus est uniens. Quia enim | ad amorem pertinet duplex unio, scilicet: una formaliter quae est unio affectuum, quae est amor ipse formaliter; alia effective, scilicet realis: ideo, ut dicit Augustinus, octavo de Trinitate, capitulo quarto: amor est vita quaedam duo copulans, hoc convenit amori formaliter quia est nexus duorum, scilicet amantis et amati, quo ⁷ scilicet unione[m] secundum affectus copulantur: sive copulare appetens ⁸, hoc convenit amori effective, quia efficit unionem realem et propter istam ad quam principaliter ordinatur dicitur amor proprie vis

cod. P
fol. 64 R^b

¹ autem P. — ² colloquantur V. — ³ principaliter VC. — ⁴ principaliter VC. — ⁵ principialem C. — ⁶ quod P. — ⁷ quae PV. — ⁸ appetunt *corr.* 23 m. P.

unitiva et transformativa. Et quia per actum ¹ intellectus non | sic fit unio effective, immo ipsa est effecta a quadam unione secundum affectum, ideo intellectus non dicitur unitivus. Per praedicta patet quod rationes ostendentes quod maior et perfectior sit unio per voluntatem quam per intellectum non concludunt. Quamvis enim actus intellectus sit praevious actui voluntatis et causa eius, et in actu voluntatis consistit aliqua unio, illa tamen non est maior et perfectior unio, ut declaratum est. Et sic, licet talis actus intellectus sit illud ² quod est quasi in se causativum ³ talis unionis quae consistit in actu voluntatis secundum quamdam affectionem, tamen in illo actu voluntatis non consummatur unio magis principalis et magis realis, sed in aliis actibus et praecipue secundum intellectum. Ad hoc enim se amant amantes non ut sistant in ipso actu amoris, sed ut delectabiliter convivant secundum actus perfectos et in participando illos ⁴ congaudeant et cetera.

cod. V
fol. 89 V^b

Item, non est intelligendum quod aliquid possit alicui uniri magis realiter quam per aliquos actus potentiarum animae cum maneant secundum rem et essentiam distincti. Non est ergo intelligendum quod magis realiter uniatur aliquis per actum voluntatis quam per actum intellectus, sic quod ultra ipsam unionem quae est formaliter per ipsum actum voluntatis sit alia quaedam perfectior unio magis | realis quam ex parte intellectus ultra unionem quae est formaliter per ipsum actum intellectus. Et ideo non debet dici unio secundum intellectum minus perfecta quia sit quasi intentionalis, et unio secundum voluntatem magis perfecta quia sit ⁵ quasi realis. Sed hoc ideo dicitur quod alicui non sufficit unio secundum intellectum quasi intentionalis sive secundum suum ⁶ esse cognitum quocumque modo; sed per amorem vel actum voluntatis appetit illi uniri secundum eius praesentiam realem, non quia ⁷ | illo adepto perfectius uniatur illi per actum voluntatis, sed potius per actum ipsius intellectus vel alterius potentiae; puta, cum aliquis amat aliquid amore concupiscentiae vult illi uniri realiter sic quod habita praesentia eius fruatur illo secundum tactum et gustum vel alio modo; si autem amat amore amicitiae vult ⁸ illi uniri realiter sic quod habita praesentia eius convivant delectabiliter secundum actus perfectiores, ut praedictum est. Unde amans non quaerit uniri amato realiter, ut perfectius amet principaliter, sed ut, eo habito, secundum alios actus illo possit plenius frui. Et cum, illo habito, non cesset ⁹ actus voluntatis quia illi qui prius erat actus desiderii respectu non habiti succedit delectatio ¹⁰ in habito, et semper

cod. C
fol. 30 V^a

cod. P
fol. 64 V^a

¹ actus C. — ² id C. — ³ causativus *corr.* 2^a m. C. — ⁴ et *add.* C. — ⁵ sic PC. — ⁶ om. P. — ⁷ non quia] quia non C. — ⁸ vel P. — ⁹ esset C. — ¹⁰ delecto V.

adest actus amoris, quo scilicet amat iam habitum et appetit quod maneat coniunctum ut illo per alios actus plenius fruatur; et cum dicitur quod amans secundum quod huiusmodi vult praesentiam amati non propter eius pleniorum cognitionem vel amorem ex hoc habendam, sed quia propter ipsam rem amatam appetens vult fieri id ipsum cum illa et transformari in illam realiter quantum possibile est. — talia non ostendunt quod fiat alia unio quam per actus praedictos amandi et cognoscendi, cum, ut dictum est, amantem et amatum necessarium sit manere distincta realiter; et ideo impossibile est quod aliquis ¹ velit amato uniri secundum praesentiam realem nisi ² quia ex illa unione perfectius sit in actu secundum amorem et cognitionem et, ut dictum est, actus intellectus etiam semper principalitatem habet. Unde omnia talia, scilicet quod voluntas est vis unitiva et quod eius actus est motus animae ad res, ostendunt quod actus voluntatis est minus perfectus et minus unitivus formaliter ipsis rebus; nam propter completam perfectionem consequendam vel conservandam in re desiderata vel amata, ille cuius est perfectio per voluntatem inclinatur in rem qua perficitur secundum actum cognitivum quo ei perfectissime — coniungitur.

cod. V
fol. 90 Ra

Ex praedictis patet solutio quaestionis. Dicendum enim quod actus quo angelus inferior cognoscit superiorem est perfectior propter praedicta; et videtur quod qui concedunt hoc in proposito, scilicet quod talis cognitio sit perfectior quam dilectio et quod etiam cognitio Dei quae ex naturalibus haberi potest. — est perfectior quam dilectio etiam quae ex naturalibus potest haberi, habent etiam hoc concedere de actibus istis ut sunt gratuiti in via et gloriosi in patria. Nec debet reputari mirabile si ad declarationem perfectionis actuum intellectus et voluntatis gratuitorum et gloriosorum utatur quis condicione et comparatione istorum ut ex naturalibus possunt haberi, considerando praecipue ea quae amicitiae acquisitae vel ex naturalibus habitae conveniunt: quia res aliqua non potest melius manifestari quam per illud quod est ei simillimum. Nunc autem tanta est similitudo actuum amicitiae acquisitae vel ex naturalibus habitae qua diligitur Deus naturaliter et ex deliberatione super omnia, et proximus sicut ipse diligens, ad actus quibus diligitur Deus et proximus gratuite a voluntate caritate informata, quod non potest cognosci certa distinctio inter illos. Propter quod nemo scit utrum amore vel odio dignus sit; sicut etiam nemo potest certitudinaliter scire se habere caritatem.

cod. P
fol. 61 Vb

Quod autem haec vera sint, scilicet quod actus intellectus est perfectior actu voluntatis, ita quod etiam in illo per se et essentialiter vel

¹ alij in C. — in om. P. — ipsius cod. in m. C.

formaliter consistit summum hominis bonum, scilicet beatitudo, videtur quia, secundum Anselmum, de Gratia et libero arbitrio ¹, voluntas ut est instrumentum volendi duas habet aptitudines sive affectiones, quarum una est ad volendum commoditatem, alia ad volendum rectitudinem. Secundum affectionem quidem quae est ad volendum commoditatem semper vult homo beatitudinem | et esse beatus; per illam vero quae est ad rectitudinem vult rectitudinem et rectus, id est iustus esse. Differunt autem in hoc quod illa quae est ad volendum commodum non est hoc quod ipsa vult, — voluntas enim beatitudinis non est ipsa beatitudo, quia non omnis homo habet beatitudinem qui habet eius voluntatem — sed illa quae est ad volendum rectitudinem rectitudo est; voluntas enim iustitiae est ipsa iustitia, nullus quippe vult rectitudinem nisi rectitudinem habens. Ex istis videtur posse suaderi quod beatitudo non consistat in actu voluntatis et quod actus beatitudinis non sit elicitus a voluntate; quia actus elicitus a voluntate sunt quibus diligimus et volumus aliquid. Eliciuntur autem duo genera actuum a voluntate secundum dictas duas affectiones; et actus quidem | elicitus a voluntate secundum affectionem rectitudinis perficiunt ipsum volentem in esse rectitudinis et in esse virtuosum virtute quae perfectiva est appetitus; non perficiunt autem ipsum in esse commoditatis et in habere commoditatem, vel illud in quo commoditas ipsius ² volentis consistit. Similiter etiam ³ actus elicitus a voluntate secundum affectionem commoditatis non perficiunt ipsum volentem in esse rectitudinis vel in esse virtuosum, proprie loquendo de virtute morali, vel quasi morali sive appetitiva; nec etiam in esse commoditatis. Sed illud quod est obiectum talis actus est id in quo consistit commodum essentialiter et formaliter et, quo habito, habetur commodum. Quare, cum beatitudo in aliquo actu consistit et ille appetitur a voluntate sub ratione commodi, non iusti, necesse est quod beatitudo in alio actu principaliter consistat quam voluntatis. Si enim beatitudo quae maxime appetitur sub ratione commodi pertineret ad actum voluntatis, tunc in ipso actu voluntatis consisteret id quod per commodum intelligitur; et sic velle commodum esset id ipsum quod commodum, sicut ⁴ patet in ⁵ his quae ad perfectionem hominis secundum appetitum pertinent; ut velle iustum est id ipsum quod iustum sive iustitia, quia est actus iustitiae essentialiter; et actus exteriores sunt actus iustitiae per participationem iustitiae ab actu interiori elicitus a voluntate; | alii autem sunt imperati. Cum ergo diligere Deum vel quodcumque aliud non sit per se loquendo bonum commoditatis sed bonum rectitudinis; videre autem vel intelligere Deum

cod. C
fol. 30 V^b

cod. P
fol. 65 R^a

cod. V
fol. 90 R^b

¹ capitulo undecimo *add. in marg.* V. — ² illius C. — ³ et C. — ⁴ sic C. — ⁵ om. C.

vel quodcumque aliud est per se loquendo bonum commoditatis, non bonum rectitudinis, videtur quod videre Deum sit actus perfectior, quia beatificus, quam diligere Deum. Et similiter videtur dicendum in proposito, scilicet quod cognoscere angelum sit perfectius quam diligere ipsum.

Ad argumentum in oppositum est dicendum quod verum est quod illud est nobilior cui competit ratio finis quae convenit rei ex ordine ad appetitum quam cui non competit; et ideo, ut dictum est, in genere actuum ille est nobilior cui competit ratio finis, id est qui a voluntate appetitur principaliter ut bonum et finis quam qui non sic appetitur. Ita etiam in genere entium illud est nobilior quod propter se appetitur quam quod non appetitur vel non sit propter se. Cum autem dicitur quod ille actus est nobilior cuius est obiectum nobilior, sive sub ratione nobiliori, verum est. Cum assumitur quod obiectum actus voluntatis est obiectum sub ratione nobiliori, quia sub ratione boni et finis ¹, quam obiectum intellectus, dicendum quod quando obiectum actus voluntatis est aliquis alius ² actus, scilicet actus ipsius intellectus, cum talis actus intellectus habeat rationem boni et finis, perfectior est quam ipse actus voluntatis. Nec oportet quod obiectum talis actus sit obiectum sic sub ratione finis et boni desiderati vel amati, sed sub ratione entis perfectissimi ³ perfectissimum actum causantis; et secundum hoc nobiliori modo est tale ens obiectum actus ipsius intellectus, non tamen sub ratione boni et finis quam huiusmodi actus intellectus sit obiectum ipsius voluntatis sub ratione boni et finis; quia perfectius est facere quod aliquid sit finis ipse et bonum ipsius appetentis quam facere quod illud quod est finis appetatur vel diligatur, sicut etiam perfectior est ipse finis quam illum appetere vel amare. Cum ergo in genere actuum actus intellectus sit qui magis habet rationem boni et finis, quia etiam est ille qui maxime appetitur, cum finis sit qui appetitur, non obstante quod iste actus movet ⁴ voluntatem sub ratione finis et boni, sed obiectum
] causans hunc actum non movet intellectum sic sub ratione finis et boni, est ⁵ tamen huiusmodi obiectum movens intellectum non in ratione finis perfectius et eminentius illo voluntatem in ratione finis movente. Similiter etiam cum intellectus per suum actum simpliciter ⁶ speculativum fertur in Deum vel in angelum superiorem et voluntas etiam in id idem fertur per actum intellectus quasi practicum, licet intellectus non feratur in tale obiectum sub ratione boni et finis, sed solum sub ratione entis perfecti; voluntas autem fertur in illud sub ratione boni et finis; nihilominus actus

cod. P
fol. 65 R^b

cod. C
fol. 31 R^a

¹ non *add. in mag. alt. m. P.* — ² alicuius C. — ³ et *add. C.* — ⁴ moveat C. — ⁵ et V. — ⁶ et *add. C.*

intellectus est perfectior quia habens rationem finis et boni, intra scilicet formaliter perficientis, quam actus voluntatis qui est respectu alicuius quod habet rationem finis et boni, et non est ipse actus voluntatis ipse finis et bonum principale appetentis, sed est propter aliquid ¹ aliud bonum, ut supra declaratum est. Et sic illud quod non est ² sub ratione boni et finis est obiectum intellectus sed sub ratione entis perfecti, nobiliori modo et secundum nobiliorem rationem est obiectum, quia, ut dictum est, facit ipsum esse finem | et bonum ipsius intelligentis quam illud quod sub ratione boni et finis est obiectum voluntatis, quia per hoc non efficit ipsum actum voluntatis bonum et finem ipsius appetentis, immo ³ est finis et terminus in quem inclinatur et tendit appetens per ipsum actum appetendi.

cod. P
fol. 65 Va

Si autem consideretur actus intellectus quo Deus vel angelus cognoscitur quasi practice et sub ratione qua per se et directe est obiectum, non solum intellectus, sed etiam voluntatis diligentis. sic est dicendum quod, licet neuter istorum actuum sit proprie loquendo finis et bonum principale intelligentis et diligentis, nihilominus tamen est dicendum quod ipse actus intellectus est perfectior quia est regula et mensura respectu alterius, ut ⁴ supra dictum est.

Cum ergo ulterius | ab aliquibus (1) arguitur quod immo etiam obiectum voluntatis est nobilius quam obiectum intellectus, quia nobilior est ratio boni quam entis simpliciter; quia in ratione boni includitur ratio entis simpliciter; quod autem addit nobilem condicionem super alterum est compositius ⁵ aliquo modo et perfectius illo, sicut patet in genere et specie, ideo et cetera; — hoc non valet, quia non additur enti condicio nobilitatis ultra id quod secundum se importat ⁶ per rationem bonitatis sicut per rationem differentiae respectu generis. Constat enim quod, cum aliquid consideratur sub ratione entis simpliciter et deinde sub ratione convenientis ad aliquid, hoc non addit aliquam perfectionem, puta cum consideratur balneum ut tale ens natum mundificare secundum se; item, cum consideratur ut conveniens alicui determinate indigenti mundificatione, ex hoc nihil plus intelligitur circa ipsum balneum; sed apprehenditur in quadam habitudine in qua prius non apprehendebatur. Propter hoc enim talia, scilicet verum, bonum, unum et cetera non possunt poni species sub ente.

cod. V
fol. 90 Va

Praeterea, dicere quod in ente secundum quod bonum et finis et simi-

¹ aliquid P. — ² om. PC. — ³ ipse actus intelligendi *add. in marg. 2^a m. P.* — ⁴ et VC. — ⁵ compositus PC. — ⁶ importatur PC.

(1) Henricus de Gandavo, *Quodl.* I, q. 14 (t. I, fol. 11 R).

liter secundum quod obiectum voluntatis includatur aliqua ratio perfectionis quae non includitur in obiecto intellectus est omnino impossibile, cum nulla ratio cuiuscumque entitatis vel perfectionis a ratione obiecti intellectus excludatur, cum etiam illud quod est obiectum voluntatis sub ea ratione¹ sub qua appetitur necessario prius apprehendatur, ut supra est declaratum.

QUAESTIO XI.

Utrum voluntas habeat dominium super actum intellectus tam speculativi quam practici.

cod. P
fol. 65 Vb

Postea ad secundum praedictorum arguebatur quod voluntas habeat dominium super actum intellectus tam speculativi quam practici. Quantum ad intellectum speculativum sic arguebatur: nam fides est habitus speculativus; sed super actum fidei habet voluntas dominium, nam, secundum Augustinum super Iohannem, cetera potest homo facere volens, credere non nisi volens, quare et cetera. Quantum ad intellectum practicum hoc arguebatur sic: quod habet dominium super aliquid habet dominium super illud quod ad ipsum sequitur. Sed voluntas habet dominium super operationes nostras; sed ex operationibus nostris acquiruntur habitus in appetitu secundum quos² fit variatio in iudicio rationis, quare et cetera (1).

cod. C
fol. 31 Rb

Contra. Illud quod ordinatur ab alio et se habet ad aliud tanquam ad principans et melius non habet dominium super actus illius, sed potius e converso. Sed voluntas se habet ad intellectum sicut inferius et minus nobile ad superius et melius. Ergo et cetera. Maior patet. Minor probatur per Se | necam in epistola: id cuique optimum esse debet cui nascitur; quo censetur: in homine quod est optimum est ratio; hac antecedit animalia, deos sequitur. Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum est.

Respondeo dicendum quod secundum illum modum extraneum loquendi³ de intellectu et voluntate, quo dicitur ab aliquibus (2) quod voluntas

¹ ea ratione ratione nra C. — quod P. — loquendo P.

(1) Opinio Henrici de Gandavo *adh. marg.* V.

(2) Henricus de Gandavo, *Quod.* IX, c. 5 (t. II, fol. 361 R, 361 R et sq.).

per se non movetur nec determinatur ab intellectu, sive ab obiecto secundum quod apprehenditur ab intellectu, sed movetur a se ipsa, sic quod aliquando contra iudicium practicae rationis et aliquando absque aliquo iudicio intellectus practici ex sola apprehensione simplici alicuius quod potest fieri vel non fieri, eligi vel non eligi, absque hoc quod iudicetur faciendum vel non faciendum ¹ voluntas libere eligit facere vel non facere; et ex his ulterius contingit quod, cum voluntas sic determinat se ad aliquid eligendum vel faciendum vel contra iudicium rationis vel sine aliquo iudicio rationis de faciendo vel non faciendo, ex dispositione voluntatis qua sua affectione se determinat sic ad alterum, sit conforme iudicium in ratione; et dicitur quod ², quamvis non oporteat quod malitiam voluntatis praecedat error rationis, oportet tamen quod statim ipsam malitiam voluntatis sequatur error in ratione conformis ipsi voluntati. Et similiter videtur dicendum cum absque iudicio de faciendo voluntas determinat se ad | eligendum vel faciendum, consequitur conformis actus in intellectu iudicans sic debere habere; — secundum ista quidem videretur dicendum quod intellectus nullo modo per se et proprie determinat voluntatem, sed in agibilibus voluntas determinat intellectum. Immo sic nulla | necessitas vel utilitas esset intellectus practici; ex quo contra illius iudicium vel etiam sine illo per intellectum speculativum voluntas potest velle et eligere ³; et etiam, illo existente, nihil facit ad hoc quod voluntas eligat, cum possit contrarium illius et iudicatum per ipsum non eligere. Et specialiter hoc nituntur declarare in Deo, scilicet quod circa ea quae Deus agit extra se non determinatur per intellectum practicum quod hoc sit agendum, sed solum quod hoc sic potest agi; per voluntatem autem Deus libere eligit illud agere. Unde dicitur quod in Deo non habet locum proprie intellectus practicus, quia non iudicat aliquid esse faciendum vel non faciendum ⁴. Et nullum opus faciendum intellectus determinat sed solum voluntas; quoniam si intellectus divinus ab aeterno determinasset mundum aliquando esse faciendum, de necessitate fuisset factus iuxta hanc suam determinationem, quia aut voluntas ipsa de necessitate consecuta fuisset huiusmodi determinationem intellectus, et sic absoluta necessitate omnia fierent a Deo, sicut posuerunt Philosophi; aut voluntas non de necessitate consecuta est determinationem intellectus; potuit ergo quantum est de se fuisse non executum in opus quod intellectus determinasset agendum; quod impossibile est ponere. In Deo ergo absque omni determinatione intellectus voluntas Dei determinat aliquid agendum,

cod. P
fol. 66 Ra

cod. V
fol. 90 Vb

¹ vel non faciendum *om.* P. — ² quid P. — ³ diligere VC. — ⁴ vel non faciendum *om.* V.

quia intellectus circa illa nihil sententiens dimittit in libertate voluntatis quid eligat vel ad quid semetipsam determinet circa operanda.

cod. P
fol. 66 R^b

Sed ista omnino irrationabiliter dicuntur. Cum enim obiectum ¹ voluntatis per se sit naturaliter prius obiectum intellectus, quia est bonum apprehensum secundum quod apprehensum sive ens conveniens apprehensum, ideo sicut per ens quod sub ratione convenientis apprehenditur determinatur intellectus practicus ad actum apprehendendi, ita etiam voluntas ad actum volendi vel eligendi. Et sicut voluntas nihil potest velle nisi sit apprehensum, ita nihil potest ² velle fugiendum ³ nisi sit apprehensum ut fugiendum, et nihil potest velle prosequendum nisi sit apprehensum ut agendum, id est nisi iudicatum sit esse agendum. In ratione enim obiecti voluntatis non solum includitur quod sit aliquid apprehensum, sed quod sit apprehensum ut conveniens ad prosecutionem ⁴ vel ut disconveniens et fugiendum, alioquin respectu cuiuslibet apprehensi posset voluntas fieri in actu fugae vel prosecutionis ⁵. Oportet ergo semper ponere conformitatem inter actus intellectus et voluntatis ut illud quod eligit vel refugit voluntas intellectus iudicet fugiendum vel prosequendum ⁶. Et sic oportet ponere quod, cum potentia ad actum determinetur per obiectum, voluntas directe in omni actu suo determinatur ab intellectu, id est ab obiecto apprehenso prius ab intellectu, ut dictum est, et quod absque derogatione libertatis voluntatis non potest velle nisi secundum quod ⁷ apprehendit et iudicat intellectus. Nec hoc ponit necessitatem coactionis vel absolutam quae videntur derogare libertati, sed solum necessitatem ex suppositione et cuiusdam immutabilitatis ⁸, aliquando simpliciter, scilicet respectu omnino ultimi finis, aliquando solum ex suppositione stante, scilicet tali apprehensione rationis respectu aliorum quorumcumque, ut haec alibi sunt determinata. Hoc etiam dicendum est suo modo conveniente circa Deum, scilicet quod non potuit ⁹ velle mundum facere nec elegit ¹⁰ nisi secundum rationem intelligendi prius apprehenderet mundum esse fiendum. Impossibile est enim quod velit aliquid facere nisi iudicet esse faciendum, quia non potest velle facere si iudicat non faciendum.

cod. C
fol. 31 V^a

Item, si nec iudicat faciendum, nec non faciendum apprehendendo ipsum mundum, cum talis intellectus quasi speculativus nihil iudicans de fugiendo vel prosequendo non sit principium operationis, voluntas Dei fieret in actu sine obiecto. Nec tamen sequitur quod Deus fecerit mundum necessitate absoluta, sed ex suppositione, quia ¹¹ intelligendum est quod, licet

¹ obiecto *corr.* 2^a m. C. — ² om. V. — ³ fugiendo P. — ⁴ prosecutionem CV. — ⁵ prosecutionis C. — ⁶ prosequendum C. — ⁷ om. P. — ⁸ imitabilitatis P, 1^a m. C. — ⁹ ponit P, 1^a m. C. — ¹⁰ eligit PV. — ¹¹ circa quod *corr.* 2^a m. C.

respectu essentialium rerum intellectus divinus sit necessarius simpliciter et absolute, non potens illa nec intelligere nec aliter quam intelligit intelligere, sicut etiam intellectus noster respectu rerum essentialium, tamen respectu factionis rerum non est sic, quia ab aeterno erat quasi indifferens ad considerandum mundum sub ratione fieri vel sub ratione non fieri et talem¹ faciendi vel non faciendi. Sed tamen ab aeterno se ipso et propter suam bonitatem communicandam concepit ipsum sub ratione fieri et sub ratione sic et secundum talia entia fieri. | Et verum est quod, ista conceptione stante, necesse fuit ipsum fieri, quia necesse fuit voluntatem sic velle sicut concepit intellectus. Unde dicit Damascenus, libro secundo, capitulo trigésimo secundo: secundum praecognitionem eius praediudicavit et determinavit omnia Deus secundum bonitatem et iustitiam eius. Ergo cum per se et directe intellectus determinet² voluntatem, non potest esse quod voluntas per se et directe determinet intellectum. Hoc enim esset quidam circulus, nec esset ordo inter istas potentias et earum actus.

cod. V
fol. 91 Ra

cod. P
fol. 66 Va

Ad evidentiam ergo quaestionis est intelligendum quod, cum potentia dicat ordinem ad actum ut ad suam perfectionem inhaerentem, actus autem et etiam potentia ad obiectum ut ad causam formalem et moventem a qua habet rationem et speciem, unaquaeque potentia determinatur ad actum suum per se et directe solum ab obiecto, quod scilicet determinat actum cui dat formam et speciem. Et sic universaliter actus intellectus per se determinatur ab obiecto intelligibili et actus appetitus ab obiecto appetibili secundum rationem causae moventis et agentis; ut secundum condicionem et dignitatem obiecti sit etiam condicio et dignitas actus. Perfectior enim est actus quo cognoscuntur et diliguntur perfectiora quam quo minus perfecta. Et hoc non est nisi ratione condicionis³ obiecti, cum subiectum, scilicet ipsa potentia utrobique sit eadem, quamvis etiam secundum condicionem et dignitatem subiecti sive potentiae sit etiam condicio et dignitas actus in generali, non in speciali. Perfectior enim est actus quo cognoscitur lapis per intellectum quam quo cognoscitur per sensum; et actus quo appetitur aliquid per voluntatem secundum ordinem convenientem ei in ordine ad rationem quam quo appetitur illud idem per appetitum inferiorem, praecipue in ordine ad id quod convenit appetenti secundum apprehensionem sensitivam. Et hoc modo bene determinatur etiam actus a potentia secundum rationem causae subiectivae et patientis. Et secundum hoc per se et directe non habet actus⁴ alicuius potentiae determinationem nisi a

¹ mundum *add.* 2^a m. C. — ² determinat C. — ³ et *add.* PC. — ⁴ om. C.

cod. P
fol. 66 V^b

proprio objecto vel subiecto. Sic autem determinari actum alicuius potentiae est facere potentiam esse in tali actu. Illud ergo quo movente vel agente per se intellectus habet esse in actu intelligendi dicitur intellectum determinare secundum hunc actum sive hunc ¹ actum intellectus determinatum causare et determinare. Unde, hoc modo voluntas non habet dominium respectu intellectus quantum ad aliquam determinationem sui actus.

cod. C
fol. 31 V^b

Sed quia, ut solet dici, voluntas cuius obiectum est finis et bonum etiam aliarum potentiarum ideo habet eas movere quantum ad exercitium ad suos actus; et quia sic habet quodammodo coniungere activum et passivum a quibus per se fit actus determinatio, secundum hoc voluntas per accidens et indirecte habet dominium super intellectum quantum ad determinationem actus tam practici quam speculativi, ita tamen quod, cum voluntas non sit principium alicuius actus nisi facta in actu secundum aliquam apprehensionem intellectus, immo intellectus et voluntas semper sunt quasi unum principium in omnibus actibus qui dicuntur causari a voluntate ², voluntas nullam determinationem facit in quacumque potentia nisi hoc aliquo modo prius a ratione apprehenditur faciendum. Talia tamen dicuntur fieri a voluntate absque expressione intellectus, tum quia ipsa voluntas aliquo modo immediatius ³ agit, tum quia in posteriori satis intelligitur prius. Secundum hoc ergo est intelligendum quod voluntas aliquo modo determinat intellectum. Ex apprehensione enim nobilitatis obiecti circa speculabilia aliqua, voluntas, sive ipse homo per voluntatem ex huiusmodi apprehensione factus in actu volendi illa, specialiter quasi applicat intellectum et illa obiecta ad invicem movendo quantum ad exercitium actus ad considerandum circa talia specialiter, quo facto ipse intellectus a specialibus obiectis ⁴ ad speciales actus per se determinatur et ab eis actuatur, non ab ipsa voluntate. Unde, si voluntas applicet intellectum ad considerationem alicuius, sive secundum simplicem apprehensionem, sive secundum complexam, applicat ad hoc scilicet quod talem vel talem apprehensionem habeat intellectus de illo, vel assentiendo affirmative vel dissentiendo negative, non oportet tamen hoc fieri in intellectu, scilicet quod talem rem sic vel sic apprehendat, sive quod de tali re formet talem apprehensionem veridicam. Si enim voluntas applicet intellectum ad cognoscendum quod quid est de angelo, bene determinatur intellectus quantum ad exercitium huiusmodi ⁵ actus a voluntate et excluditur actus considerandi circa alia per voluntatem qua ⁶ vult intellectum nunc determinate considerare circa quod quid est

cod. V
fol. 91 R^b

cod. P
fol. 67 R^a

¹ habet (?) PC. — ² nam *add. 2a m. C.* — ³ immediatius V. — ⁴ obiecti P. — ⁵ huius PC. — ⁶ quia *corr. 2a m. C.*

angeli; sed quia quidditas angeli¹ est ita remota a sensibus a quibus sortitur intellectus notitiam quod non potest repraesentari in aliquo phantasmate nec etiam pro statu viae potest immediate videri et sic² non potest intellectus sua apprehensione circa hoc formare definitionem³ indicantem quod quid est; ideo nullo modo determinatur intellectus ad hunc actum. Similiter etiam si moveat voluntas intellectum ad considerandum circa hoc quod est astra esse paria vel imparia, bene determinatur intellectus quantum ad exercitium huiusmodi⁴ actus, id est ad hoc quod circa hoc determinate consideret, sed quia obiectum non sic est evidens intellectui quod ex eius apprehensione possit formare rationem concludentem quod sint astra paria vel imparia, non determinatur intellectus ad alterum, quantumcumque voluntas appetat⁵ vel imperet quod ad alterum cum aliqua certitudine determinetur et displiceat ei quod hoc non sit factum.

Sicut autem dictum est circa intellectum speculativum, ita etiam se habet circa practicum quantum ad hoc. Nam sicut verum simpliciter est obiectum intellectus speculativi, ita verum in ordine ad voluntatem et ad opus est obiectum practici. Cum ergo voluntas movetur a fine aliquo et determinat intellectum quantum ad exercitium actus considerandi expedientia ad consecutionem talis finis, non est in dominio vel potestate voluntatis quid intellectus iudicet vel non iudicet expediens et cui assentiat esse consentiendum vel non consentiendum, sive eligendum vel non eligendum. Hoc enim dependet ex re obiecta et apprehensa in habitudine ad finem dictum⁶ et in convenienti applicatione intellectus, remotis impedimentis, ad considerandum quae circa talia sunt consideranda. Ergo sic habet determinare intellectum ad exercitium actus; et sic habere dicitur dominium super intellectum, uno modo, sicut dictum est, faciendo quod activum quod natum est determinare per se passivum coniungatur ipsi passivo et ipsum ad actum determinet⁷ quantum ex natura sua natum est ipsum determinare et movere, non faciendo quod sic vel aliter ipsum obiectum habeat intellectum determinare; alio modo in agibilibus et quantum ad intellectum practicum fit illa determinatio intellectus quantum ad suum actum per dominium voluntatis indirecte tamen, ex hoc quod per voluntatem fit aliquid ratione cuius ipsum obiectum sic vel aliter intellectum moveat et determinet. Et⁸ hoc sic declaratur, quia cum assensus intellectus causetur per se et directe ex condicione apprehensi, ex consuetudine autem actuum frequentatorum per imperium voluntatis potest etiam fieri quaedam

cod. P
fol. 67 R^b

¹ sed — angeli] om. P. — ² si C. — ³ om. C; rationem marg. 2^a m. C. — ⁴ huius PC. — ⁵ appetet V. — ⁶ finem dictum] dictum finem P. — ⁷ om. C. — ⁸ ex PC.

dispositio in cognoscente per quam contrahet quamdam conformitatem et connaturalitatem ad quasdam res sic quod ex huiusmodi dispositione continget quod quodcumque talis res apprehendetur, sub ratione convenientis apprehendetur; et sic quantum ad intellectum practicum, voluntas etiam indirecte est causa talis iudicii et dominium habet super intellectum quantum ad huiusmodi determinationem. Et hoc videtur dicere Philosophus, tertio *Éthicorum*, ubi dicit quod, cum non velit aliquis nisi apparens bonum, id est illud quod secundum iudicium rationis apparet esse bonum, si aliquis non esset dominus suae phantasiae, id est suae talis aestimationis, non esset in eo secundum hoc esse bonum vel malum; et ideo dicit quod unusquisque est sibi causa talis phantasiae vel apparitionis, in quantum est sibi causa talem vel talem esse secundum habitum ex consuetudine acquisitum. Ut enim dicit ibi ¹ qualis ² unusquisque est finis talis videtur ei. Aliud enim habet iudicium aliquis circa aliqua antequam sit in passione concupiscentiae vel antequam habeat habitum intemperantiae acquisitum, et cum est in passione vel postquam habet huiusmodi habitum acquisitum.

cod. V
fol. 91 Va

Per praedicta patet responsio ad argumentum ad oppositum, quantum ad id quod arguitur quod voluntas habet dominium super intellectum practicum quantum ad determinationem actus circa agibilia humana. Quia patet quod hoc non facit voluntas per se et directe, sed per accidens et indirecte, faciendo ad acquisitionem talis dispositionis ratione cuius talia efficiantur ut convenientia et ut sic apprehendantur cum occurrunt intellectui, et sic huiusmodi determinationem per se et directe facit obiectum, voluntas autem per accidens et indirecte.

cod. C
fol. 32 Ra

Ad dictum argumentum autem quantum ad id arguitur quod etiam ³ respectu intellectus speculativi habet dominium, dicendum quod, sicut dictum est circa intellectum practicum, quod ex dispositione causata ex consuetudine operum voluntatis vel appetitus | causatur dicta apprehensio vel huiusmodi assensus vel iudicium intellectus practici, ita etiam ex aliqua dispositione existente in intellectu vel ex natura vel per acquisitionem ex consuetudine audiendi aliqua frequentius, et etiam per infusionem alicuius habitus a Deo, potest intellectus sic esse dispositus quod firmiter assentiet aliquibus, non propter rei vel rationis sumptae ex parte rei secundum se aliquam evidentiam, sed propter quamdam connaturalitatem intellectus sive intelligibilitatis ad illa ex huiusmodi dispositione. Quod patet, quia etiam falsis, sub ratione tamen veri, omnino certitudinaliter aliquando

cod. P
fol. 67 Va

¹ om. PC. — ² ibi *add.* C. — ³ et P.

adhaerent aliqui non potentes ad hoc reddere aliquam rationem specialem. Cum etiam adhaerent aliquibus certissimis in veritate, tamen non adhaerent eis propter ipsarum in sua entitate evidentiam, sed propter huiusmodi aliqualem dispositionem. Unde dicit Commentator super illud, secundo Metaphysicae: quidam quaerunt testimonium multorum hominum¹; et isti, cum concedunt prima intellecta, non concedunt ea nisi in quantum sunt famosa, ita quod si acciderit quod contraria eorum sint famosa, negabunt ea. Et in prologo super tertio Physicorum dicit quod consuetudo est maxima causa impediens a pluribus rebus manifestis per se, quemadmodum quando homo fuerit assuetus ad aliquas actiones et operationes², licet noceant illi, erunt ei faciles et credet quod sint utiles. Similiter cum homo fuerit assuetus audire sermones falsos a pueritia, erit illa consuetudo causa ad negandum veritatem manifestam. Et ista mala consuetudo potest auferri per habere consuetudinem audiendi contraria vera, sicut malitiae acquisitae per malam consuetudinem destruuntur per habere consuetudinem habituum bonorum oppositorum illis. Et ita ideo fides vulgi³ est fortior quam fides philosophorum, quoniam vulgus non assuevit audire aliud; philosophi autem audiunt multa. Unde, non solum verum est in moralibus quod dicit Philosophus, secundo Ethicorum: non parum differt sic vel sic a iuventute assuefieri, sed multum. Sed hoc etiam verificatur in aliis, ut patet, quia ex consuetudine huiusmodi⁴ et non alia ratione vel minus evidenti quidam ut plurimum quibusdam opinionibus adhaerent. Propter quod magna diligentia adhibenda est ut homo assuescat cogitare et audire meliora. Huiusmodi⁵ autem⁶ | diligentiae domini sumus; ut dicit Philosophus, tertio Ethicorum: eius quod est diligentes esse domini sumus, et si forte aliquis talis⁷ est ~ ut non diligens sit eius quod est⁸, tales esse etiam domini sumus causa, viventes remisse. Negligentia vero multa mala facit in talibus; et quia praedictarum dispositionum causa secundum intellectum, qua scilicet ex frequenter audire vel cogitare aliqua effimur tales quod non de facili, nisi talia recipimus, — quarum secundum appetitum, ut dictum est, sumus causa et domini propter libertatem voluntatis per quam in nobis est circa talia intellectum applicare | vel ab eis ipsum divertere, — ideo etiam talia nobis imputantur. Cum ergo credibilibus complexis non assentiat intellectus propter evidentiam rei vel rationis quia, secundum Gregorium, fides non habet meritum cui humana ratio praebet experimentum; nec

cod. P
fol. 67 Vb

cod. V
fol. 91 Vb

¹ multorum hominum] hominum multorum C. — ² actiones et operationes] operationes et actiones PC. — ³ vulga V. — ⁴ huius PV. — ⁵ huius PC. — ⁶ bis P. — ⁷ aliquis talis] talis aliquis PC. — ⁸ om. C. — ⁹ ens PC.

cod. C
fol. 32 R^b

cod. P
fol. 68 R^a

etiam ex dispositione acquisita per consuetudinem operum voluntatis vel appetitus, in quantum est de his quae non pertinent ad practicum intellectum; nec voluntas potest etiam determinare intellectum speculativum nisi modo supradicto qui non sufficit ad assensum causandum qui debet esse in fideli; quia ex hoc quod aliquis per imperium voluntatis faceret intellectum stare in consideratione credibilium et in adinventione rationum per quas posset assensus induci, vel ad audiendum viros authenticos circa notitiam talium, non posset causari nisi quaedam probabilis aestimatio¹ ex apparentia rationum vel ex auctoritate dicentis, et non firma² adhaesio absque formidine de opposito. et ideo non videtur causari huiusmodi firmitas adhaesionis directae, nisi ex aliqua dispositione ipsius credentis vel infusa vel causata dicto modo per assuefactionem audiendi talia; quae tamen non sufficit ad causandum firmam adhaesionem solum circa vera; quia si aliquis puer inter fideles nutriatur et modo fidelium instruat, qui nec baptizetur nec ei gratia causans habitum fidei infundatur, talis tamen ex consuetudine audiendi credibilia acquirat dispositionem per quam quodammodo ita firmiter adhaerebit creditis etiam absque formidine, sicut alius baptizatus; — prout non solum haeretici qui³ quantum ad aliquos articulos fidem informem habent, sed etiam infideles se rectam fidem habere aestimantes firmiter et absque formidine adhaerent suis fictionibus, et pro eis etiam morti se exponunt. Sed tamen hoc non sufficeret⁴ ad causandum firmam adhaesionem solum circa vera, sed infusa dispositio ad hoc totum sufficere potest. Nam quod solum veris facit adhaerere patet; quia⁵ per infusionem a veritate prima quae⁶ Deus est, est habita. Quod autem firmam⁷ adhaesionem facit patet, quia etiam hoc facit dispositio per consuetudinem acquisita. Quod autem potest facere dispositio per consuetudinem acquisita, potest efficacius et perfectius facere dispositio a Deo infusa. Et secundum hoc dicendum quod habitus fidei a Deo infusus existens in intellectu facit quod intellectus sic⁸ firmiter assentiat creditis, etiamsi nullam rationem habeat specialem quare eis sit adhaerendum. Quamvis enim, secundum Augustinum, aliquae sunt rationes persuadentes etiam infideli quare sit potius credendum auctoritati Sacrae Scripturae et Ecclesiae quam alicui alio⁹, quae etiam dispositive possunt cooperari ad fidei habitum suscipiendum a Deo infundente, tamen rationes sufficienter ostendentes nondum¹⁰ credenti¹¹ quod assentiendum est huic quod in hac

¹ existimatio C. — ² esset *add.* 2^a m. C. — ³ om. C. — ⁴ sufficere P. — ⁵ patet quia] per quod P. — ⁶ dicitur *add.* P. — ⁷ autem firmam] firmam autem P. — ⁸ om. C. — ⁹ alii. — ¹⁰ unde *corr.* 2^a m. C. — ¹¹ credendi P.

Scriptura non est nisi verum, induci non possunt; alioquin fides esset habitus qui per humanam investigationem posset haberi; et theologia esset vere humana scientia, quia posset humano ingenio haberi evidens notitia eorum quae in Sacra Scriptura continentur. Huiusmodi dispositio ergo dicitur habitus sive lumen fidei qui, cum sit quidam supernaturalis influxus a Deo, in virtute eius sic elevatur et habilitatur intellectus quod firmiter assentiat omnibus contentis in Sacra Scriptura, et quae ex ea elici possunt tanquam veris absque formidine de opposito. Cum dicitur quod, secundum Augustinum super Iohannem, cetera potest homo volens, credere non nisi volens ¹ et cetera, hoc non dicit quia per inclinationem et imperium voluntatis per se et directe determinetur intellectus ad dictum assensum, sed pro tanto quod ², cum credibilia sunt ³ sic supra rationem quod multum probabiliores rationes secundum apparentiam sumptam ex sensibus quae defectiva sunt, sunt ⁴ contra illa quam pro illis, ideo quod quis credit hoc est altero dictorum modorum, scilicet per dispositionem acquisitam quae causat fidem non proprie dictam, vel per infusionem quae est fides vere et proprie. Hoc autem subiacet aliquo modo voluntati | in quantum ⁵, si etiam cogatur ire ad ecclesiam et recipere sacramentum fidei, scilicet virtute cuius huiusmodi habitus infunditur, si quis obicem non ponat, et etiam audire praedicationem per quam probabilitates ad ea quae sunt fidei inducuntur ⁶, vel etiam per se ipsum occurrat sibi cogitatio de his quae fidei sunt et de aliquibus probabilitatibus circa illa per quae homo disponderetur si non poneret per malam voluntatem obicem resistentiae, et homo per voluntatem potest contra hoc obicem ponere, quia potest homo per dominium voluntatis non assentire effectui ⁷ baptismi, potest etiam intellectum convertere ad efficacius cogitandum circa rationes contra veritatem fidei, et divertere ab aliis; et sic cum possit cogi quantum ad multa, tamen quantum ad assentiendum his quae fidei sunt nec rationi sunt evidentia, sed apparent repugnantia, requiritur voluntas ut removeatur prohibens, scilicet conversio intellectus ad ea quae sunt contra fidem, et fiat conversio ad contrarium ipsum, sic in servitutem redigendo in obsequium Christi, ut dicit Apostolus, et sic disponendo quod, obice remoto, Deus habitum fidei infundat; et hoc forte intendunt dicentes quod intellectus assentit alicui, non quia suffi- | cienter moveatur ab obiecto proprio, sed per quamdam electionem voluntatis declinantis in unam partem magis quam in aliam; et cum hoc sit cum formidine, est opinio; cum autem sine formidine, est fides; et sic credere

cod. V
fol. 92 R^a

cod. P
fol. 68 R^b

cod. C
fol. 32 V^a

¹ credere non nisi volens *om.* VC. — ² *om.* C. — ³ sint PC. — ⁴ *om.* V. — ⁵ scilicet *add.* P. — ⁶ *om.* C. — ⁷ affectui PC.

est actus intellectus prout a voluntate est motus. Non enim per hoc intelligitur quod intellectus assentit aliquibus secundum beneplacitum voluntatis, sed sicut dictum est.

QVAESTIO XII.

Utrum bonitas et malitia actuum moralium rationalis creaturae sit magis attribuenda intellectui quam voluntati.

Deinde circa dictas potentias, scilicet intellectum et voluntatem prout ambae ad eodem actus comparantur, quaerebatur unum: scilicet utrum bonitas et malitia actuum moralium rationalis creaturae sit magis attribuenda intellectui quam voluntati. Et arguitur quod voluntati; quia illi potentiae magis attribuenda est bonitas et malitia actuum quibus quis meretur laudari vel vituperari, per quam homo habet dominium super illos; quia ex hoc est aliquis actus laudabilis vel vituperabilis quod imputatur agenti. Sed per voluntatem dicitur homo habere dominium super actus suos.

cod. P.
fol. 68 Va

Contra: quando una potentia sic se habet ad aliam quod bonitas sua dependet ex potentia alia cui subicitur, bonitas et malitia ex illis procedens magis est attribuenda potentiae principali ad quam alia ordinatur et cui alia subicitur quam alteri. Sed ita se habet voluntas ad rationem. Dicit enim Hilarius, decimo de Trinitate: immoderata est omnis susceptarum voluptatum pertinacia ubi voluntas non subicitur rationi, quare et cetera.

Respondeo dicendum quod voluntas est principium elicivum vel etiam imperativum moralium actuum humanorum. Sed actus moralis bonus vel malus formaliter et essentialiter, per se et primo, solum est actus voluntatis, a voluntate scilicet elicitus et in voluntate existens subiective. Actus enim exterior a tali actu imperatus moralis etiam est; et ¹ bonus et malus non ² tamen nisi quia est effectus causatus ab ipso actu interiori praedicto. Actus etiam rationis vel intellectus moventis voluntatem ad talem actum non est moralis, nec bonus vel malus moraliter, nisi quia est causa effectiva et motiva qua voluntas fit in praedicto actu qui formaliter et essen-

¹ om. C. — ² om. P.

tialiter est moralis et bonus vel malus. | Unde dicit Anselmus. in libro de Veritate, capitulo duodecimo : iustitia est rectitudo quae servantem se laudabilem facit ; hoc autem non est nisi aut in scientia aut in voluntate. Sed si recte quis intelligit aut operatur recte, non autem recte velit, de iustitia non laudatur. Ergo non est ista iustitia rectitudo scientiae aut rectitudo actionis, sed rectitudo voluntatis. Sed quia, ut ibidem dicit ¹, iustitia sive huiusmodi rectitudo non potest esse in ea natura quae rectitudinem ipsam non agnoscit, quia nec eam velle potest qui nescit eam, ideo rectitudo scientiae ad rectitudinem voluntatis ut causa requiritur. Quia etiam voluntas non impedita efficit operationem exteriorem, ideo etiam ad rectitudinem voluntatis consequitur rectitudo operationis ² ut effectus. Sed ipse actus voluntatis est per se et essentialiter rectitudo quae iustitia dicitur. Unde dicitur ibidem : nulla alia rectitudo quam rectitudo voluntatis iustitia per se dicitur. Dicitur enim rectitudo ac | tionis iustitia : sed non nisi cum ³ iusta voluntate fit actu ; rectitudo autem voluntatis, etiam si impossibile sit fieri quod volumus, tamen nequaquam amittit nomen iustitiae.

cod. V
fol. 92 R^b

cod. P
fol. 68 V^b

Cum ergo quaeritur cui sit ⁴ magis attribuenda bonitas vel malitia actus humani sive moralis, debet intelligi quaestio de actu interiori voluntatis vel de actu exteriori. Et quidem quantum ad actum interiorem qui est actus voluntatis ab ipsa ⁵ elicited sive in ipsa ⁶ existens subjective, est dicendum quod hoc nihil aliud est quaerere quam quaerere unde sit bonitas actus voluntatis, vel ex ratione a qua movetur secundum rationem obiecti — nam bonum apprehensum ab intellectu est obiectum voluntatis, — vel ex ipsa voluntate a qua elicitur.

Et circa hoc est intelligendum quod in actu morali, de quo est quaestio, duo sunt consideranda, scilicet et quod bonus est et quod laudabilis est ⁷ sive quod eo laudatur homo. Si ergo loquamur de bonitate talis actus secundum se, sic magis, inmo totaliter est ex ratione. Si autem loquamur ⁸ de bonitate eius ut eo laudamur ⁹, sic est non solum ex ratione, sed etiam ex voluntate est. Primum sic patet : quia bonitas et perfectio rei est ex eo quod dat ei formam et speciem ; nunc autem sicut motus habet speciem ex obiecto ita etiam actio habet speciem ex obiecto. Et ideo bonitas et perfectio actus moralis interioris dependet ex obiecto convenienti, et similiter etiam malitia ex obiecto disconvenienti. Sicut enim potentiae distinguuntur per actus tanquam per formales perfectiones inhaerentes, ita actus per obiecta tanquam per formales perfectiones

cod. C
fol. 32 V^b

¹ dicitur PC, vel dicitur *add. in marg. alia m. V.* — ² operis PC. — ³ causa V. — ⁴ vel *add. C.* — ⁵ ipso PC. — ⁶ ipso PC. — ⁷ *om. C.* — ⁸ loquamur V. — ⁹ ut *add. C.*

non inhaerentes, sed moventes et efficientes, prout in causa efficiente et movente est virtualiter forma qua perficitur motum et a qua habet ipsa perfectio moti formam et speciem. Unde, ex hoc quod actus voluntatis habet rationem formae¹ et speciei² ab objecto, patet quod obiectum est per se causa movens, et non solum sine qua non respectu actus voluntatis. Et sicut obiectum perfectionem et actualitatem non habet ab actu, sed potius e converso, sed modo praedicto, ita etiam actus perfectionem et actualitatem non habet a subiecto, sed potius e converso³ subiectum ab actu, quia ipse actus est qualitas et forma perficiens voluntatem ipsi inhaerendo. Ab objecto autem⁴ habet suam perfectionem actus. Unde actus voluntatis habet perfectionem et bonitatem⁵ suam non ab ipsa voluntate sed ab objecto, — ut includit tamen⁶ circumstantias debitas secundum quas ad genus morale pertinet, scilicet⁷ quod in objecto boni actus voluntatis includitur quod illud fiat quando debet et propter quid debet et cetera. Aliter enim voluntas vel voluntatis actus non est bonus, quia scilicet non est boni ut obiecti: velle enim aliquid fieri quando non debet vel propter quod non debet fieri non est velle bonum. Unde dicitur Oseae, nono: facti sunt abominabiles sicut ea quae dilexerunt. Universaliter enim perfectio et bonitas actus alicuius potentiae⁸ est ex bonitate et perfectione obiecti. Unde sicut bonitas et perfectio actus intelligendi est ex perfectione obiecti et non subiecti, ita bonitas et perfectio actus voluntatis est ex suo obiecto et non ex voluntate. Etenim speciem habet actus ex suo obiecto, quia secundum distinctionem obiectorum etiam actus distinguuntur. Nunc autem obiectum voluntatis est bonum secundum quod a ratione apprehensum. Ergo videtur quod bonitas formalis et specifica actus voluntatis sit a ratione in quantum est ab obiecto secundum formam apprehensionis rationis. Prout enim alias (1) dictum est, ratio ponit modum, formam et mensuram in actionibus moralibus et appetitivis; nam appetitus finis debiti praesupponit rectam apprehensionem de fine quae est per rationem. In his autem quae sunt ad finem, rectitudo rationis consistit in conformitate ad appetitum finis debiti; et respectu illorum perhicitur intellectus per prudentiam.

Sed cum actus voluntatis interior huiusmodi bonitatem non possit habere, ut dictum est, nisi ex obiecto, non autem ex obiecto nisi secundum

¹ formam — ² speciem — ³ sed modo — converso] *bis* P. — ⁴ perfectionem et bonitatem] bonitatem et perfectionem PC. — ⁵ *om.* C. — ⁶ secundum C.

(1) *Quodl.* V. q. 12 (pp. 46, 53).

quod ab intellectu apprehenditur, et sic tam ¹ actus voluntatis quam actus intellectus ex illo eodem obiecto bonitatem et perfectionem habent, oportet quod illud obiectum bonitatem et perfectionem hanc in se et ex se habeat et ² includat. Quamvis ergo huiusmodi obiectum, quod est aliquis actus exterior natus causari et effici a voluntate per suum actum interiorem, habeat suam entitatem et bonitatem realem in existentia, ab ipsa voluntate tamen per hanc suam bonitatem quam natus est habere in existentia ³ in se ipso ⁴ secundum quod cadit in apprehensione intellectus causatur bonitas in actu voluntatis et etiam intellectus. Nec tamen suam | bonitatem

cod. P
fol. 69 R^b

formalem in existentia reali sic habet talis actus ab ipsa voluntate quae est illius effectiva, sicut ipse actus voluntatis habet suam bonitatem formalem ab illo eodem actu secundum quod cadit in apprehensione intellectus; quia ipse actus exterior movet potentias animae quantum ad determinationem actus; et ideo actualitatem et perfectionem habent actus potentialium ex bonitate exterioris actus. Sed ipsae potentiae animae per suos actus sunt causa motiva respectu actus exterioris, non quantum ad determinationem ⁵, sed quantum ad exercitium actus, movendo scilicet membra et organa et materiam exteriorem et coniungendo activa passivis et cetera. Hanc enim bonitatem et perfectionem suam formalem habet actus exterior ex debita materia circa quam est, et ex circumstantiis convenientibus.

Et secundum hoc est intelligendum quod dictum est, scilicet quod obiectum actus voluntatis est causa bonitatis actus ipsius voluntatis; et quia non nisi secundum quod ab intellectu apprehenditur, dicitur etiam quod bonitas actus voluntatis a ratione causatur. Quod autem ita sit videtur quod voluntatis ⁶ bonitas videtur dependere ex lege aeterna tanquam ex regula et mensura quae derivatur et applicatur ad hominem per rationem, cui impressit Deus lumen intellectus agentis, mediante quo, in virtute lucis increatae ⁷ potest apprehendere regulas recte vivendi secundum quas | actus humani regulantur et in tantum boni sunt in quantum

cod. C
fol. 33 R^a

¹ cum P, cum tam 2^a m. C. — ² in se — et] om. P. — ³ extrema P. — ⁴ in se ipso] om. P. — ⁵ actus *add.* P. — ⁶ voluntas P. — ⁷ iterate PC.

cod. V
fol. 92 V^b

cod. P
fol. 69 V^a

nobis est, in tantum potest nobis bona ostendere et nostram voluntatem regulare in quantum est lumen vultus tui, id est, a vultu tuo derivatum. Et *quarto*¹ decimo, De Trinitate, | capitulo trigesimo² quarto: regulae quibus iniustus agnoscit quid sit iustum et cernit habendum quod non habet scriptae sunt in libro lucis illius qui veritas dicitur. unde omnis lex iusta de | scribitur et in cor hominis qui operatur iustitiam transfertur. Regula autem nihil aliud est quam mensura. Ergo oportet quod bonitas voluntatis dependeat³ a ratione, mediante qua regulae aeternae nobis imprimuntur tanquam a mensura sua.

Item, sicut scientia realiter refertur ad scibile ut mensuratum ad mensuram, ita etiam videtur quod actus et habitus voluntatis referuntur realiter ad appetibile sicut mensuratum ad mensuram. Sicut ergo bonitas et perfectio actus intellectus est ex bonitate et perfectione obiecti, sive scibilis, ita etiam in proposito, bonitas voluntatis est ab appetibili, quod est bonum apprehensum tanquam a regula et mensura sua.

Item, cum omnis voluntas discordans a ratione sive⁴ recta sive⁵ erronea⁶ semper sit mala, videtur quod forma et regula actus voluntatis sit ex obiecto, non secundum se et secundum naturam suam in se, sed secundum modum et formam qua a ratione apprehenditur; quia obiectum voluntatis est illud quod a ratione apprehenditur sub ratione convenientis vel inconvenientis. Unde si aliquid quod secundum se est bonum, puta dare eleemosynam, apprehendatur ut malum, si feratur voluntas in illud, accipit rationem mali, non autem nisi quia fertur in illud quod, licet sit secundum se bonum, habet tamen rationem mali⁷ per accidens, scilicet⁸ ex apprehensione rationis.

Quia ergo regula humanorum actuum est⁹ ratio humana dirigens in virtute regulae supremae, quae est lex aeterna, tunc autem est aliquid bonum cum actio regulatur secundum regulam secundum quam debet esse, malum autem cum ab ea recedit, ideo quando actus humanus fit secundum ordinem rationis et legis aeternae, tunc est actus rectus et bonus; quando autem ab hac rectitudine obliquatur, tunc dicitur esse peccatum et malus. Patet igitur quod a ratione est bonitas vel malitia actus moralis, non autem a voluntate. Bonitas enim et perfectio formae vel actus effective nullo modo potest esse a subiecto quod est quasi materia actus.

Sed tamen secundum diversitatem subiecti et secundum diversitatem dispositionum subiecti bene diversificantur¹⁰ actus. Secundum diversitatem

¹ quatuor. — ² tertio PC. — ³ dependet C. — ⁴ sive om. P; del 2a m. C. — ⁵ om. C. — ⁶ del 2a m. C. — ⁷ non autem — mali] bis P. — ⁸ sed P. — ⁹ om. P. — ¹⁰ diversificatur C.

enim essentialem et specificam subiectorum sive potentiarum subiecti ¹ diversificantur actus etiam ² essentialiter et secundum speciem; quia etiam oportet obiecta formalia diversificari et etiam modos operandi talium potentiarum; aliud est enim obiectum visus et aliud intellectus, et alio modo operatur iste et ille. Sed secundum diversitatem dispositionum subiecti eiusdem speciei actus diversificantur ³, non per se et formaliter et essentialiter, sed quasi accidentaliter, secundum quod secundum diversitatem huius subiecti perfectior est actus idem secundum speciem in uno quam in alio. Actus enim virtuosus qui elicitur a potentia perfecta per habitum ⁴ est perfectior ⁵ quam ⁶ elicitus ⁷ a potentia sine habitu; et qui elicitur a potentia perfecta per habitum perfectiorem est perfectior actu qui elicitur a potentia perfecta per habitum minus perfectum. Sic igitur apparet quid sit dicendum ad primum articulum.

cod. P
fol. 89 V^b

Circa secundum autem est intelligendum quod, cum ex hoc dicatur aliquis actus laudabilis et culpabilis quod imputatur agenti — nihil enim est aliud laudari vel culpari aliquem quam imputari sibi malitiam vel bonitatem sui actus — tunc autem imputatur agenti suus actus quando est in potestate ipsius ita quod habet dominium super illum ut ex se illum agat, hoc autem dicitur de actibus voluntariis secundum quod voluntarii sunt; quare videtur quod ex voluntate habeat actus moralis quod sit laudabilis vel vituperabilis, sive quod imputetur agenti. Hoc autem nihil importat aliud nisi quod agens agat illud sponte et libere, non ⁸ coacte nec necessitate absoluta quae modo dicuntur a coactione distat, prout bruta agunt de necessitate, licet per cognitionem et appetitum animale, quia, prout dicit Damascenus, magis aguntur quam agant. Sed quomodo homo libere agat per voluntatem actum exteriorem ut sic laudetur, satis patet, quia ibi non agit aliquid unum et idem secundum idem in se ipso.

cod. C
fol. 33 R^b
cod. V
fol. 93 R^a

Sed quomodo hoc poterit dici de actu interiori non sic est manifestum. Et ideo circa hoc est intelligendum quod liberum arbitrium includit et rationem libere iudicantem et voluntatem libere eligentem. Et ideo in generali est dicendum quod aliquis actus imputetur alicui, hoc non habet solum quia est a voluntate, excluso intellectu vel e converso; quia ista duo sunt quasi unum principium omnium actuum humanorum quibus meretur quis laudari.

Quia tamen ut haec simul sunt principium alicuius actus, ipsa voluntas

¹ *om.* C. — ² *et* C. — ³ diversificatur C. — ⁴ habitum P. — ⁵ actu qui *add.* 2^a m. C. — ⁶ *om.* C. — ⁷ elicitur *corr.* 2^a m. C. — ⁸ nec P.

cod. P
fol. 70 Ra

immediatius ad haec videtur se habere, ideo voluntati ratio principiandi magis appropriatur. Est ergo actus exterior laudabilis et agenti imputatur quia super illum habet agens dominium et potestatem. Sed, cum ille procedat a libero arbitrio et sic ab actu intellectus et voluntatis, non haberet homo potestatem super illum actum exteriorem nisi etiam haberet potestatem super istos actus interiores, sicut patet in bruto quod non dicitur habere dominium super actum exteriorem, quia non habet dominium¹ super actus interiores apprehensionis et appetitus. Ergo oportet ponere quod etiam super huiusmodi actus interiores habeat homo dominium, non autem nisi per voluntatem et intellectum qui sunt subiecta istorum actuum. Ergo videtur quod intellectus et voluntas aliquo modo sunt causa suorum actuum, potestatem et dominium habentes super illos, sive ipse homo per huiusmodi potentias; et hoc quidem convenit homini per rationem quae, quia est natura abstracta et ratione suae abstractionis illimitata, potest super actus suarum potentialium reflecti et cognoscere non solum obiectum intellectus et velle obiectum voluntatis, sed intellectus habet cognoscere suum actum et voluntas velle suum actum.

cod. P
fol. 70 Rb

Item, intellectus apprehendens aliquid sub ratione alicuius convenientiae propter quod etiam voluntas fertur in illud, habet cognoscere non solum illud quod est sic conveniens et inclinari in illud per voluntatem, sicut contingit in brutis, sed etiam rationem huiusmodi convenientiae, sive quod talis est convenientia et habitudo eius ad illud quod merito est volendum et agendum ut sic, secundum quod dicit Augustinus, tertio De Libero Arbitrio, licet non sit in potestate hominis quibus visis mens sua tangatur, postquam tamen tacta est aliquo modo per apprehensionem aliquam rationis et per aliquam affectionem voluntatis, remanet in potestate eius illa perfecte eligere vel respuere, in quantum scilicet post huiusmodi simplicem apprehensionem deliberare convenienter potest homo per quamdam generalem conceptionem quae unicuique statim nata est occurrere, quod homo diligenter² debet considerare quae sunt eligenda vel appetenda, et cetera; et per hoc etiam fieri in actu voluntatis ut velit circa sic apprehensum considerare considerata; et sic applicando organa deservientia considerationi, intellectus movet illa ad exercitium actus considerandi condiciones apprehensi et habitudinem suam ad illud; et quare volendum vel eligendum; et deinde illud vult simpliciter vel eligit et sic est sibi causa talis vel talis³ iudicii intellectus et electionis voluntatis. Et ideo merito laudatur sic eligendo, quia a se habet quod sic eligat sic movendo

¹ super — dominium] *om.* C. — ² diligens PC. — ³ finalis PC.

et agendo se ipsum quantum ad exercitium actus, ut alibi est declaratum (1). Et haec est intentio Anselmi in libro De Veritate, capitulo duodecimo, ubi dicit: rectitudo quae tenenti se laudem acquirit | non est nisi in sola rationali natura quae sola ¹ rectitudinem percipit. Si quis enim nesciens vult quod debet, non habet rectitudinem illam quam quaerimus. Non omnis etiam qui vult quod debet et scit se debere velle quod vult est laudandus, quia potest contingere quod nolit se debere; nam latro cogitur ablatam reddere pecuniam, palam autem est quia non vult se debere, quoniam ideo ² cogitur velle reddere, quia debuit, sed hic ³ nullatenus laudandus est hac rectitudine, quia ex quo quasi coactus hoc facit, non reddit sponte, scilicet hoc faciens quia debuit, sed timore maioris mali. Nec omnis qui vult quod debet velle et vult se hoc debere velle et sic etiam ⁴ sponte agit, quia tamen propter finem non convenientem agere potest, puta qui pavit esurientem propter inanem gloriam, ex tali rectitudine ⁵ est laudandus.

cod. V
fol. 93 R^b

cod. C
fol. 33 V^a

Et ideo subditur ibi: omnis quippe voluntas sicut vult aliquid, ita vult propter aliquid; et sicut considerandum est quid velit, ita considerandum est cur velit, quippe non magis recta debet esse volendo quod debet, quam volendo propter quod debet. Quapropter omnis voluntas habet quid et cur omnino; namque nihil volumus nisi sit cur velimus. Hoc in nobis cognoscimus. Et per hoc innuit Anselmus quod hoc non contingit in brutis, scilicet appetere aliquid et cur id appetunt; quia rationem finis non apprehendunt nec ordinem ipsum in illum; propter quod etiam non sunt sibi causa volendi vel appetendi suum finem, sicut contingit in rationalibus. Deinde subdit: duo sunt ergo necessaria voluntati ad iustitiam, velle scilicet quod debet, ac ⁶ ideo quia debet.

Quia ergo actus virtuosus volendus est propter se, non propter aliud, scilicet propter aliquod ⁷ speciale commodum consequendum vel incommodum fugiendum, ideo, ut ibi concludit Anselmus, voluntas illa iusta est quae ⁸ sui rectitudinem servat propter ipsam rectitudinem. Haec etiam est intentio Philosophi, secundo Ethicorum, ubi dicit quod res temperatae et iustae dicuntur quando tales sunt quales utique iustus et temperatus operabitur; quasi diceret: actus morales habent suam entitatem et perfectionem secundum se ex materia circa quam et circumstantias et huius-

cod. P
fol. 70 V^a

¹ solam PC. — ² quoniam *add.* P. — ³ hoc P. — ⁴ sicut P. — ⁵ non *suprascrips.* alia m. C. — ⁶ debet ac] debeat C. — ⁷ aliquid C. — ⁸ illa — quae *om.* C.

(1) *Quodl.* V, q. 12 (p. 47).

modi. Iustus autem et temperatus est, non qui hoc operatur, sed et qui sic operatur ¹ ut iusti et temperati; quasi diceret ab hoc quod operans talia in operando laudabilis sit sicut virtuosus ex parte eius aliud requiritur ². Unde parum ante dicit: quae secundum virtutes fiunt neque si hoc qualiter habeant iuste vel temperate operata sunt, sed si operans qualiter habens operetur primum quidem si sciens, deinde si eligens; et eligens propter hoc tertium, addit ultra Anselmus, scilicet ³ si firme et immobiliter habeat et operetur. Sic ergo est dicendum ad praedictam quaestionem.

Nec videtur bene dictum quod circa hoc dicunt aliqui (1), scilicet quod actio voluntatis habet quasi triplicem bonitatem, scilicet bonitatem ex genere, quam habet scilicet ⁴ ex materia debita, circa quam item habet bonitatem virtuosam quam habet ex circumstantia finis convenientis sine quo posset esse actus vitiosus; item bonitatem moris quam habet a ⁵ circumstantia agentis, hoc est a voluntate a qua actio volitionis moralis speciem moris et bonitatis moralis sortitur, non ab obiecto nec a fine, sed potius ab agente.

Omnino enim irrationabile est dicere quod circumstantia actus moralis sit aliquid ex parte agentis, licet hoc de fine dicatur; quia, ut supra dictum est, obiectum actus voluntatis potest accipi secundum se absque inclusione finis et sic dicitur habere bonitatem non completam et simpliciter; sed in genere potest etiam accipi | cum inclusione circumstantiae finis illius, scilicet sine quo non habet quod sit bonus simpliciter et virtuosus: et sic hoc totum cadit in ratione obiecti. Unde actus volitionis non dicitur bonus et virtuosus ex circumstantia finis qui sit circumstantia ipsius actus volitionis, sed magis ipsius obiecti; immo etiam, ut dictum est, in obiecto includitur. Sed voluntas nullo modo potest esse circumstantia actus nec interioris nec exterioris | oris, sed solum habet rationem causae subiectivae respectu actus interioris, vel effectivae respectu actus exterioris respectu cuius se habet voluntas in ratione causae moventis et efficientis. Sed a tali causa non habet actus speciem et bonitatem.

Item, respectu ultimi actus interioris consequentis ex quadam quasi deliberatione, habet ipsa voluntas dominium et rationem causae moventis. Sed etiam respectu illius non causat formam et bonitatem; quia hoc conse-

cod. V
fol. 93 Va

cod. P
fol. 70 Vb

¹ sed | operatur] om. C: sed etiam qui sic operatur, *add. in marg.* 2^a m. C. — ² recurritur PC. — ³ si (?) licet *corr.* 2^a m. C. — ⁴ bonitatem ex — scilicet] om. C: bonitatem generis vel ex genere 2^a m. C. — ⁵ om. P.

(1) Henricus de Gandavo, *Quodl.* XIII, q. 10 (t. II, fol. 532 R).

quitur actus ex illo quod habet rationem agentis et moventis quantum ad determinationem actus, et ideo ex voluntate nullam speciem vel bonitatem formalem moralem potest habere actus a voluntate procedens, alioquin omnis actus a voluntate procedens ¹ esset bonus vel malus moraliter.

Propter quod, sicut tactum est, illud dicitur esse de genere moris quod est tale secundum naturam ² suam quod ad illud natus est homo bene vel male affici et bene vel male se habere, secundum quod sic vel aliter afficitur ad illud. Est autem bonum in genere moris quod est secundum se tale quod includit illud quod est conveniens homini et ad quod natus est homo affici et se habere convenienter, secundum quod homo est agens secundum rationem et liberam voluntatem; malum autem quod est disconveniens; nec hoc est sibi ex voluntate tribuendum. Ex hoc ergo quod velle furari est actus voluntarius, aut ex eo quod elicitur libere a voluntate non est actus malus moraliter, sed ex eo quod furari secundum se est | malum. Cum in illud a ratione apprehensum fertur voluntas ex hoc actus voluntatis quo vult furari malus est formaliter, quia scilicet ipse actus furandi qui est eius obiectum malus est. Unde dicitur Osee, nono: facti sunt abominabiles sicut ea quae dilexerunt. Non dicitur ibi quod facta sint abominabilia quia ea dilexerunt. Similiter quia hoc quod est dare eleemosynam indigenti est bonum secundum se, ideo, cum voluntas fertur in hoc bonum a ratione apprehensum, derivatur haec bonitas in ipsam voluntatem; et dicitur actus voluntatis bonus, quia tendit in tale bonum. Sed ex hoc quod voluntas libere, non coacte fertur in illud quod sic secundum se malum est vel bonum, culpabilis vel vituperabilis vel laudabilis est. Unde, Augustinus, tertio De Libero Arbitrio, capitulo primo: motus quo voluntas huc atque illuc convertitur, nisi esset voluntarius atque in nostra positus potestate, neque | esset laudandus homo cum ad superna ³ neque culpandus cum ad inferiora detorquet, quasi quendam ⁴ cardinem voluntatis.

cod. C.
fol. 33 V^b

cod. P.
fol. 71 R^a

Per praedicta patet responsio ad obiecta. Procedunt secundum vias suprapositas; nam concedendum est primum, quantum ad hoc quod actus moralis bonitatem non habet ex voluntate sola, nec etiam imputabilitatem, sed ex voluntate simul cum ratione habet imputabilitatem; sed ex sola ratione sive ex obiecto a ratione apprehenso habet speciem et bonitatem.

¹ alioquin — procedens] *om.* P. — ² materiam C. — ³ superiora *corr.* 2^a m. C. — ⁴ quendam.

QUAESTIO XIII.

Utrum pluribus instantibus mensurantibus plura mutata esse in motu angeli successivo respondeat unum instans temporis nostri.

cod. V
fol. 93 V^b

Deinde circa pertinentia ad naturam angelicam specialiter quaerebatur unum pertinens ad mensuram suae operationis, scilicet utrum pluribus instantibus mensurantibus plura mutata esse in motu ¹ angeli successivo respondeat unum instans temporis nostri. Et arguebatur quod sic, quia indivisibile additum indivisibili non facit maius, sed omnia instantia in quibus movetur angelus sive quae mesurant sua mutata esse sunt indivisibilia; ergo simul sumpta non faciunt maius quam quodlibet illorum; ergo possunt esse in uno indivisibili ² alio, in quo scilicet quodlibet eorum potest esse | scilicet in instanti temporis nostri: quare et cetera.

Contra. Si hoc esset, sequeretur quod in eodem instanti temporis nostri quod est indivisibile esset angelus in duobus locis, quia in duobus instantibus temporis mensurantis motum angeli esset in diversis locis et illis instantibus responderet ³ unum instans temporis nostri: hoc autem non est possibile fieri; ergo et cetera.

cod. P
fol. 71 R^b

Respondeo dicendum quod de motu angelorum in loco et de mensura huius motus est loquendum secundum modum quo angeli habent esse in loco. Unde si non ponerentur angeli esse in loco nisi per operationem exteriorem, corporalia scilicet movendo vel transmutando, facilius esset videre quomodo ⁴ moverentur secundum locum et quomodo talis motus eorum mensuraretur vel non mensuraretur tempore. Sed quia ponuntur difinitive esse in loco et ⁵ circumscripta huiusmodi operatione exteriori, ponitur a quibusdam (1) modus quo habent moveri secundum locum per operationem interiorem, prout scilicet suis actibus intelligendi et volendi applicant ⁶ se loco. Et secundum quod successive sic se applicat ⁷ diversis partibus loci, angelus dicitur movere se successive secundum locum, et tunc |

¹ mota P. — ² in *add.* C. — ³ respondet P. — ⁴ viderentur *add.* P. — ⁵ etiam C. — ⁶ applicat PC. — ⁷ applicant V.

(1) Henricus de Gandavo, *Quodl.* IV, q. 18 (t. I. fol. 133).

dicitur quod ¹, cum applicatio sua ad singulas partes loci sit in instanti indivisibili licet sit successio in tali motu propter ordinem et successionem talium applicationum, est tamen sine mora, quia non est in aliquo signo in actu et ut quiescens, sed solum in potentia et transiens, et ideo est motus talis angeli in suo tempore successionem habente et composito ex instantibus indivisibilibus quibus omnibus respondet unum instans in tempore nostro. Sicut etiam ² si, prout dicit Philosophus et Commentator, corpus aliquod grave moveretur in vacuo, motus esset in ³ instanti et sic esset successio et ordo secundum quod prius esset corpus tale in una parte spatii quam in alia, esset tamen sine mora et ideo ⁴ in instanti. Et dicitur quod non est inconueniens quod talia plura instantia sic successionem habentia habeant unum instans in tempore nostro correspondens non obstante successione et multitudine horum instantium et simplicitate et indivisibilitate instantis temporis nostri, quia instans aeternitatis est simplicius, cui tamen coexistit totum tempus quantumcumque sit in suis partibus successivum. Quod autem possit esse successio sine mora declarant per hoc quod non plus est de mora in tempore et in instanti simul quod succedit tempori quam in tempore solum. Et ex istis sic arguitur: angelus existens in una parte spatii applicat se ad aliam partem, aut ergo hoc facit in eodem instanti temporis nostri aut | in alio; si in eodem habetur propositum; si in alio et alio, cum inter duo instantia temporis nostri cadat ⁵ tempus medium, ergo in illo tempore medio nusquam erit angelus, quod est inconueniens. Quia ergo quaestio procedit ex suppositione huiusmodi qua sic ponitur angelus moveri secundum locum, si talis motus non sit possibilis nec per consequens tali motui respondet aliquid in tempore nostro, sed quia etiam supposito aliquo falso potest esse dubium de his quae ⁶ illud possent vel non possent concomitari ⁷, ideo adhuc forte supposito quod talis sit modus licet non sit talis in rei veritate, potest esse dubium quod quaeritur.

cod. C
fol. 34 Ra

Et ideo circa hoc intelligendum primo quod talis modus ponendi angelum in loco et moveri de loco ad locum conueniens non videtur; nam si praeter hoc quod angelus est in loco per operationem exteriorem oportet eum sive substantiam eius esse in loco diffinitive, etiamsi in ipso nihil operetur per quamdam applicationem | suae virtutis ad locum, cum circumscripta dicta operatione exteriori quam forte angelus natus est facere per intellectum suum et voluntatem sive per quamcumque potentiam vel virtutem et per talem applicationem ad locum sive per actum intelligendi et

cod. P
fol. 71 Va

¹ quia C. — ² et C. — ³ om. C. — ⁴ et ideo| etiam C. — ⁵ cadit C. — ⁶ quod C. — ⁷ communicari P.

cod. V
fol. 94 R^a

volendi sive per quamcumque aliam virtutem et actum applicatum ad locum vel ad illud quod est in loco, nihil efficiat in loco ipso vel in eo quod est in loco ¹, ex huiusmodi applicatione virtutis, id est operationis intellectus et voluntatis, nullo modo dicetur angelus esse in loco, sed potius locus in ipso secundum quod intellectum est in intelligente per actum intellectus et volitum in volente per actum volitionis, cum isti sint actus | intus manentes. Quod enim per aliquem actum voluntatis vel intellectus cuius obiectum est locus vel locatum possit dici transferre substantiam suam ad locum illum vel per se vel etiam per accidens non videtur nisi huiusmodi actus sit principium alicuius effectus existentis in loco; nam, prout dictum est, sine hoc effectu angelus nullo modo est in loco; sed potius aliquo modo locus est in angelo, sicut arca ² quam facturus est artifex antequam existat extra est in mente eius nec per hoc potest dici artifex vel ars sua operativa esse ³ in loco arc[h]ae vel in quo est arc[h]a sive materia eius nisi cum actu operatur circa eam; si autem aliquid efficit per huiusmodi operationem non differret ille modus ab illo modo qui non sufficit articulo condemnato (1).

cod. P
fol. 71 V^b

Sed tamen supposito modo existendi in loco et movendi secundum locum, sicut isti ponunt, licet non videatur ⁴ rationalis, adhuc restat ut investigetur veritas quaesiti et ideo, supposito tali modo movendi secundum locum, scilicet per huiusmodi actiones intelligendi et volendi partibus loci applicatas, investigetur veritas circa quaesitum et videtur quod non differt quaerere utrum omnibus actibus illis intellectus correspondeat unum instans in tempore nostro et quaerere utrum omnibus illis mutatis esse correspondeat unum instans. Nam, si sic movetur per huiusmodi applicationem, non videtur alia mora et successio in illis mutatis esse secundum locum vel spatium et in illis actibus applicativis ⁵ sive per quos fit huiusmodi applicatio; non enim videtur posse dici quod in ipsis actibus in | tellectus et voluntatis per quos ⁶ applicatur virtus angeli ad determinatas partes spatii sit mora ⁷ et non in applicationibus quae fiunt per huiusmodi actus. Dicendo quod, quia angelus respicit unamquamque intellectionem per se et ut aliquid in actu nec ut sic est in eis ordo, ideo in qualibet est mora; quia vero per huiusmodi actus non applicat suam virtutem ad unam partem per se, sed

¹ ipso — loco] *bis* P. — ² aqua P. — ³ est P. — ⁴ videtur C. — ⁵ applicantibus C. — ⁶ fit huiusmodi *add.* P. — ⁷ memoria P.

(1) Denifle et Chatelain, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, t. I, p. 554. Opiniones ducentae undeviginti Sigeri de Brabantia, Boetii de Dacia aliorumque, a Stephano episcopo Parisiensi de consilio doctorum Sacrae Scripturae condemnatae. N. 204.

ut applicet ulterius ad aliam partem et ideo est in illis ordo et non respicit quamlibet partem ut aliquid in actu et ideo non est in eis mora, — hoc ¹ non valet; quia si est mora in actu intelligendi et non in applicatione et mutato esse tunc aliquando est illa intellectio in actu et secundum eam non est in aliquo loco; nec tamen est in aliquo loco ² nisi per huiusmodi applicationem, ut dicunt, et sic tunc in nullo loco esset.

Item, cum inter duos terminos motus angeli sint multa mutata esse, aut illa sunt continua aut discreta; si continua tunc, quia illa infinita sunt, moveretur motu continuo cuius contrarium dicunt; si non continua, ergo sunt finita; et cum tempore discreto mensurentur inter istos dictos terminos, sunt etiam plures intellectiones, quia una sola intellectione non se applicaret tam multis partibus spatii ³ et mutatis esse sic discretis et ut discretae sunt. Si autem sit mora in duratione actuum intelligendi, non autem in duratione mutatorum esse, ergo, sicut isti etiam ponunt de motu gravis in vacuo et de illuminatione medii, angelus in eodem instanti temporis nostri erit in una parte spatii quacumque priori et etiam in ultima, immo in termino a quo et termino ad quem; nam si sit in alio et alio ⁴ instanti temporis nostri in termino a quo et termino ad quem et inter illa duo instantia est tempus medium, ergo in illo ⁵ tempore habuerit ⁶ esse in partibus spatii contentis inter dictos terminos et in istis partibus spatii habuit esse secundum mutata esse; ergo mutata esse inter istos terminos illo tempore mensurantur; ergo non instanti, cuius contrarium isti dicunt. Habemus ergo duo: scilicet quod mutata esse angeli tempore discreto mensurentur et quod nihilominus ista mutata esse sunt in uno instanti temporis nostri et ita, quamvis sint in tempore discreto, tamen sunt sine mora propter quod possunt esse in uno instanti temporis nostri. Si ergo in ipsis actibus intelligendi sit mora et sic illi actus habent tempus nostrum respondens eis, non autem ipsa mutata esse, cum simul fuerint in illis actibus ut sibi ⁷ inhaerentibus et in dictis partibus spatii ut in loco, ergo simul respondebit angelo secundum aliquid unum et idem instans et tempus ita quod | totus motus angeli continens multa mutata esse sine mora coexistit instanti temporis nostri et omnes actus intelligendi morosi, quos tamen oportet simul esse, cum dictis mutatis esse coexistunt tempori, quod videtur inconveniens.

Item, non videtur valere modus ponendi angelum moveri vel mutari

¹ idem *add.* P. — ² *om.* C. — ³ *om.* C. — ⁴ quo PC. — ⁵ *om.* P. — ⁶ habuit PC. — ⁷ simul P.

de uno loco ad alium locum sine mora. sicut dicitur quod si esset vacuum grave moveretur sive mutaretur in instanti a sursum usque deorsum; non enim potest esse simul in diversis terminis; ergo in alio instanti est angelus sive etiam grave in termino a quo et in alio termino, scilicet ad quem; sed inter quaecumque instantia cadit tempus medium; quare in illo tempore medio aut nusquam erit aut si moveatur tempore mensurabitur motus eius. Et quod ita sit ex parte motus angeli secundum modum ponendi istorum praecipue videtur ex iam dictis; nam quando est in actu intelligendi est in aliquo ubi. scilicet in A; cum autem debet esse in B et deinde in C per applicationem suae virtutis dicto modo et hoc facit per actum intelligendi et volendi respectu talis loci. aut ergo sine mora per huiusmodi applicationes suae virtutis mediantibus huiusmodi actibus intellectus et voluntatis est successive in B et in C, aut cum eadem mora qua¹ est in ipsis actibus intellectus. Non potest dici quod omnino sine mora, quia dum est in illis spatiis quasi in loco, sunt etiam in ipso simul cum hoc dicti actus ut in subiecto, quia, ut ponitur, non est in loco nisi per huiusmodi applicationes quae non sunt nisi dum sunt huiusmodi actus nec etiam sunt huiusmodi actus qui sunt in eo nisi dum est in dictis spatiis; nisi ponatur quod per aliquam moram sint in actu aliquo tali per quem² non sint in aliquo loco, quod videtur inconueniens. Sicut ergo arguitur de mutatis esse angeli in loco secundum dictas applicationes secundum quas sic est in loco quod aut sunt in eodem instanti temporis nostri aut in alio, ita videtur posse argui de ipsis actibus per quos fit huiusmodi applicatio³ sic: aut enim actus intelligendi quibus angelus se applicat diversis partibus spatii sunt in eodem instanti temporis aut in diversis; si in eodem, non est in eis mora et habetur propositum; si in diversis, ergo inter illa est tempus medium; ergo in illo tempore vel non fuit in aliquo actu intelligendi et per consequens nec in aliqua parte spatii per applicationes factas mediantibus illis actibus, quod est inconueniens, aut fuit per totum illud tempus morose in illis actibus inter quos tamen fuit interruptio. sed non morosa et tunc fuit in illis actibus ut successivis et morosis et consequenter entibus; sed illis actibus durantibus non fuit extra locum, sed fuit in partibus praedicti spatii; ergo etiam tali esse angeli in talibus partibus spatii sive talibus mutatis esse⁴ angeli respondet etiam⁵ pars temporis nostri et non instans, sicut ipsi dicunt; et ideo, ut dictum est, iudicandum est⁶ de dictis mutatis esse⁷ sicut et de actibus praedictis.

cod. P
fol. 72 R^b

cod. C
fol. 34 V^a

¹ om. C; quae P. — ² quam PC. — ³ fit — applicatio] huiusmodi applicatio fit C. —
⁴ om. C. — ⁵ et C. — ⁶ esse P. — ⁷ angeli respondet etiam pars temporis nostri et non
instans sicut ipsi dicunt et ideo ut dictum est iudicandum esse de dictis mutatis esse] *add. P.*

Supposito ergo tali modo ponendi, quem tamen non video esse convenientem, videtur quod non solum pluribus vel omnibus dictis mutatis esse correspondet aliqua pars temporis nostri et non instans, sed etiam cuilibet tali mutato esse et quod haec etiam oportet ponere in actibus praedictis; nam quaecumque sic se habent quod tempore nostro existente incipiunt esse et desinunt esse, quantumcumque illud esse quo incipiunt et desinunt habere esse ¹ sit simplex et simul secundum se non habens successionem, oportet tamen ponere quod illud esse habet correspondens tempus ² et non instans, alioquin in eodem instanti temporis nostri aliquid simul esset et non esset quod est impossibile; sed ita est in actibus intellectus angeli et per consequens in mutatis esse. Quod patet sic: nam actus potentiarum animae sicut et actus potentiarum ³ angeli in hoc conveniunt quod, quia sunt perfectiones simpliciter et entis in actu, secundum quod huiusmodi, sunt toti simul non habentes per se in esse suo successionem, sicut habent illa quorum esse consistit in motu et transmutatione prout quilibet motus est actus entis in potentia secundum quod huiusmodi, — quamvis istis actibus animae | sint quaedam mutationes annexae per accidens propter condicionem et transmutationem obiectorum et organorum quae non sic sunt in actibus potentiarum angeli; visio enim et ⁴ intellectio hominis est | tota simul sicut et intellectio angeli, sed visio incipit et desinit tempore existente; ergo etsi suum esse per se tempore non mensure[n]tur in quantum suum esse non est in continuo fieri, licet dependeat ex continua praesentia obiecti, tamen oportet quod suum esse quod fuit inter eius inceptionem et eius desitionem coexistit parti temporis et non instanti. Ita etiam oportet dicere de actionibus intelligendi angeli et de mutatis esse eius in loco quae habent esse secundum dictas applicationes, scilicet quod non existunt solum in ⁵ instanti; ex quo ergo quaelibet intellectio angeli est quoddam ens per se et in se indistinctum et distinctum ab alio; et similiter quodlibet mutatum esse, quia ponitur quod tales intellectiones non sunt continuae. Similiter etiam nec mutata esse; quia ponitur quod tam illae quam ista mensurantur mensura non continua sed discreta, oportet ponere quod quaelibet intellectio per se incipiat et per se desinat et similiter quodlibet mutatum esse, et sic oportet ponere quod huiusmodi inceptio et desitio et esse inter medium coexistunt tempori nostro continuo, cum haec ponantur esse et fieri tempore nostro existente. Quaecumque ⁶ enim sunt tempore nostro existente ⁷ vel mensurantur ipso tempore, per se quidem ⁸ motus et quae actu moventur, per

cod. P
fol. 72 Va

cod. V
fol. 94 Va

¹ habere esse] esse habere PC. — ² correspondens tempus] tempus correspondens P.
— ³ om. C. — ⁴ om. C. — ⁵ om. C. — ⁶ quaeque C. — ⁷ quaecumque — existente] om. P.
— ⁸ ut add. C.

accidens autem ¹ quies et quae quiescunt apta nata moveri, vel coexistunt tempori nostro et habent aliquid in tempore nostro correspondens. Nihil aliud enim est coexistere tempori ² quam habere simul esse dum tempus nostrum est. Non autem potest illa inceptio et desinitio coexistere tempori nostro sic quod haec in eodem instanti habeant fieri; sed, ut prius dictum est, oportet quod ei quod incipit et desinit esse nostro tempore existente correspondeat tempus sic quod in alio instanti temporis nostri habeat primo esse et in alio habeat primo non esse, alioquin in eodem instanti temporis nostri esset et non esset; quod est impossibile cum instans temporis sit omnino indivisibile, licet sit aliquid eius quod per se est divisibile. Quod patet: licet enim esse angeli mensuretur mensura indivisibili quod dicitur aevum ex quo tamen esse angeli est simul cum tempore sive tempore existente, si postquam angelus incepit esse desinat esse, necessario correspondet suo esse quod habuit inter istos terminos pars temporis nostri: unde si angelus unus creetur hodie et alius post tres dies, isti non possunt di | ei esse creati in eodem instanti temporis nostri, ut per se patet; similiter si angelus hodie creatus post tres dies desinat esse, non potest dici quod esse ³ angeli quod habuit ⁴ inter istos terminos non coexistat parti temporis nostri, sed solum instanti. Haec enim ⁵ omnia manifesta videntur et ideo dicendum quod oportet omnes intellectiones angeli quae sunt quaedam entia discreta in se indivisa ⁶ et ab invicem distincta sic se habere ad tempus nostrum quamdiu durabit quod cuilibet secundum se incipienti et secundum se desinenti respondeat aliqua pars temporis nostri non ut mensura eius, sed ut quid ei coexistens. Similiter etiam ⁷ dicendum de mutatis esse; et ideo talis imaginatio circa motum angeli non valet. Illa etiam posita esse vera, non potest esse verum quod consequenter dicitur quod omnibus illis mutatis esse corresponderet unum instans temporis nostri. Qualis autem modus ponendi angelum esse in loco et moveri secundum locum praeter istum et praeter illum alium qui non sufficit secundum articulum episcopi (1) sit conveniens non est praesentis speculationis; nec ego etiam scio illum.

Ad rationem factam in positione praedicta dicendum quod, positione dicta imaginata, duobus mutatis esse angeli non respondet instans temporis nostri, sed aliqua pars temporis. Quia tamen talia mutata esse ponuntur consequenter entia, inter illa non intercudit duratio media; sed verum est

cod. P
fol. 72 Vb

cod. C
fol. 34 Vb

¹ ut *add.* C. — ² tempore C. — ³ *om.* P. — ⁴ habuerit P. — ⁵ vero C. — ⁶ *divisa* P. — *om.* P.

quod in toto tempore illo fuit sub illis duobus mutatis esse. Ulterius dicendum quod secundum illam suppositionem non solum est successio in illo motu propter ordinem mutatorum esse, sed est ibi mora durationis cuiuslibet mutati esse existentis inter dictos terminos ratione inceptions et desitionis sui esse. Sed non oportet secundum illam suppositionem esse moram inter duo mutata esse quae ponuntur consequenter entia; unde, est mora in illo toto motu non propter moram ¹ inter mutata esse, sed propter moram cuiuslibet mutati esse. Et oportet secundum dictam positionem quod, licet cuilibet tali mutato esse quod dicitur morosum | secundum se non respondeat mensura divisibilis, quia tale esse est totum simul sicut et esse ipsius angeli et ideo secundum se non est tale esse morosum nec successivum tamen comparatum | ad tempus nostrum cui coexistit, oportet ipsum intelligere sub mora et ² coexistere non ³ indivisibili temporis nostri, sed divisibili parti temporis. Exemplum autem de motu gravis in medio vacuo cui respondet unum instans in tempore nostro, illo impossibili implicanti impossibilia posito, non valet; quia, licet in diversis partibus haberet esse successive secundum ordinem naturae, tamen ⁴ duratione non, sicut patet etiam ⁵ de illuminatione medii, quia successione durationis non est una pars prius illuminata quam alia; unde totum spatium vacuum esset pro non medio vel spatio, quia sive spatium sit magnum sive parvum non refert; unde non aliter faceret se lapis in terminum multum distantem posito vacuo et in terminum minime distantem etiam posito vacuo ⁶. Sed si poneretur lapis in vacuo ita quod prius se faceret indeterminatam et distinctam partem spatii in qua etiam propriam inceptionem et desitionem haberet et sic componeretur ⁷ motus eius ex discretis, comparatione facta ad tempus nostrum, tunc esset simile.

cod. P
fol. 73 Ra

cod. V
fol. 94 Vb

Cum vero dicitur quod partibus temporis successivi respondet unum instans indivisibile scilicet aeternitatis, ergo etiam pluribus partibus motus angeli unum instans temporis nostri, non valet, quia illud instans aeternitatis est sic simplex quod est stans non fluens non incipiens nec desinens et ideo non est in illa mensura accipere prius et posterius sive partem et partem; propter quod quicquid illi coexistit secundum ⁸ id quod indivisibile est coexistit, licet id quod coexistit divisibile sit et habeat propriam mensuram divisibilem, ut motus, vel sit in se mensura divisibilis ut tempus; sed instans temporis est fluens non stans et est aliquid ⁹ entis divisibilis partes habentis; et ideo tali enti cuius est aliquid, scilicet tempori, potest aliquid ¹⁰

¹ motam P. — ² non *add.* C. — ³ *om.* C. — ⁴ non *add.* C. — ⁵ et PC. — ⁶ vacua P. — ⁷ componetur PC. — ⁸ sed C. — ⁹ quid C. — ¹⁰ aliquid P.

cod. P
fol. 73 R^b

cod. C
fol. 35 R^a

coexistere, et secundum illud ¹ indivisibile ut ipsum esse Dei et etiam esse angeli cum non desinit ² esse, et etiam secundum illud quod divisibile est sive secundum partes eius per se et secundum rationem mensurati ut motus per accidens in ratione coexistentis ut dictae intellectiones et | mutata esse angeli vel etiam ipsum esse angeli si postquam incepit esse desineret esse, forma etiam argumenti non valet; successivum habens partes ut tempus potest esse in instanti indivisibilis ³ aeternitatis quod ⁴ est simplicissimum; ergo similiter aliquid aliud successivum potest | esse in alio indivisibili, nam secundum hoc sequeretur quod motus qui est divisibilis et coexistit in instanti indivisibili aeternitatis posset esse in indivisibili temporis, quod est falsum.

Cum etiam dicitur quod successio potest esse sine mora, ut patet de tempore et instanti, non valet, quia hoc non est proprie successio; idem enim non succedit sibi ipsi; nunc autem instans est aliquid temporis et ideo in tempore includitur nec ei succedit, sicut etiam nec punctus est posterius linea quia est aliquid lineae; sed ipsum tempus cuius est aliquid instans successionem habet in partibus suis et ideo etiam moram; quia etiam instans est sic indivisibile quod non potest secundum se incipere esse et desinere esse, et ideo nec morosum esse potest nec potest coexistere alicui moroso secundum suam moram; et ideo etiam sicut secundum se moram non habet nec etiam respectu alterius, ita etiam cum alio maiorem moram facere non potest. Sed ut dictum est, non sic est in proposito, quia quodlibet mutatum esse est aliquid secundum se et unum, non est aliquid alterius ut eius terminus vel initium, item quodlibet secundum se est quid morosum comparando ipsum ad aliud ⁵ dicto modo.

Cum arguitur ad quaestionem quod plura indivisibilia non faciunt moram et cetera, dicendum quod, licet quodlibet intelligere angeli sic sit indivisibile secundum se quod est totum simul et non habet esse secundum successionem suarum partium, tamen, cum ponitur habere esse post non esse et non esse post esse ut sic comparatur ad mensuram non suam propriam, sed alienam ut ad tempus nostrum, oportet quod intelligatur habere moram cui necessario correspondet pars temporis nostri et non instans; similiter dicendum de mutatis esse quod licet ⁶ hoc supposito quod quodlibet sit sic ⁷ indivisibile quod angelus applicando se alicui parti spatii ⁸ non se " applicat illi successive ¹⁰ et in fieri sic quod prius uni quam alteri sed toti simul, tamen quia illud est ¹¹ ut quid distinctum cui, ut dictum est, convenit

¹ id quod est C — ² destituit P. — ³ indivisibili P. — ⁴ quia P. — ⁵ illud C. — ⁶ quodlibet P; quibuslibet corr. C. — ⁷ sit sic] sic sit PC. — ⁸ applicando — spatii] om. C. — ⁹ om. C. — ¹⁰ illi successive] successive illi PC. — ¹¹ om. P.

incipere et desinere esse proprium, sicut et corpori in loco quies | centi
 etiamsi sine motu ibi crearetur virtute divina et iterum sine motu aufe- cod. P
fol. 73 Va
 retur, ideo ut sic oportet illud intelligi sub mora et ei partem temporis
 correspondere.

QUAESTIO XIV.

Utrum anima humana tota producitur in esse in fine generationis.

Deinde circa pertinentia ad naturam humanam specialiter quaerebantur
 quaedam | pertinentia ad hominem generaliter, quaedam pertinentia ad
 quosdam homines specialiter. Circa pertinentia ad homines generaliter cod. V
fol. 95 Ra
 quaerebantur quaedam pertinentia ad naturam animae sive formae, quaedam
 pertinentia ad naturam corporis sive materiae. Circa pertinentia ad naturam
 animae quaerebantur duo : unum pertinens ad essentiam animae quantum
 ad exitum eius in esse, scilicet utrum forma substantialis humana tota pro-
 ducitur in esse in fine generationis, aliud erat pertinens ad naturalem
 potentiam animae quae est intellectus agens, scilicet utrum intellectus agens
 pertineat ad superiorem portionem rationis vel ad inferiorem.

Ad primum sic procedebatur et ostendebatur quod forma substantialis
 humana tota in fine generationis producat; nam quicquid advenit existenti
 in actu post formam substantialem est accidens; ergo si ante finem gene-
 rationis adveniret aliquid pertinens ad formam substantialem illud ¹ quod
 adveniret in fine generationis esset accidens sive accidentalis forma; hoc
 autem est inconveniens, quia generatio est transmutatio ad substantiam et
 terminari debet ad formam substantialem; ergo et cetera.

Contra. Secundum Philosophum embrio prius vivit vita plantae quam
 vita animalis; sed non vivit vita plantae ² nisi habeat formam substantialem
 a qua procedit talis vita; ergo ante finem generationis producitur aliquid
 pertinens ad formam substantialem; ergo et cetera.

Respondeo dicendum quod, cum generatio sit transmutatio entis in
 potentia simpliciter ad esse actu simpliciter, sicut motus quicumque est
 transmutatio entis in actu simpliciter et in potentia secundum quid ad esse

¹ id PC. — ² quam -- plantae³ om. P.

actu secundum quid. transmutatio autem non cessat quousque terminus sit adeptus et illo adepto cessat. sicut forma accidentalis ad quam est motus habetur secundum esse perfectum et completum in fine transmutationis quae est alteratio vel huiusmodi et non ante, ita etiam forma substantialis ad quam est transmutatio quae est generatio habetur secundum esse perfectum et completum in fine generationis et non ante, differenter ¹ tamen quantum ad generationem simpliciter et secundum formam substantialem et quantum ad generationem secundum quid et secundum formam accidentalem; nam cum forma accidentalis recipiat magis et minus ², ideo ante complementum generationis secundum aliquid eius habetur forma quae per huiusmodi generationem acquiritur etiam imperfecte et secundum esse potentiale; non sic autem forma substantialis; sed nihil eius secundum ³ se habetur ante finem generationis alioquin generatio esset vere motus; unde si in homine non esset nisi una forma substantialis planum esset quomodo respondendum esset ad quaestionem: dicendum enim esset quod simul et totaliter introduceretur ⁴ in fine generationis.

cod. P
fol. 73 V^b

cod. C
fol. 35 R^b

Sed quia circa hoc sunt diversae opiniones, cum quidam (1) ponunt plures formas substantiales simul in eodem, quod non videtur posse esse, quia sicut materia in genere substantiae est ens in potentia simpliciter, ita etiam quaelibet forma substantialis est actus simpliciter et ideo dat esse simpliciter; propter quod videtur quod unum ens simpliciter non possit habere nisi unam formam quae sit de genere substantiae. Sed quia accidentales formae non dant ⁵ esse simpliciter et quia ens simpliciter potest esse in potentia secundum quid, ideo cum forma una substantiali non videtur posse esse alia forma substantialis, sed cum ea potest esse alia forma accidentalis et ideo, supposito quod in homine non sit nisi una forma substantialis quae est ipsa anima, dicendum quod simpliciter et totaliter in fine generationis introducitur.

Sed quia inter terminum primum et ultimum terminum generationis possunt esse plures generationes mediae quae non habent rationem termini manentis sed viae et medii transeuntis, ideo potest dici quod ante introductionem animae introducuntur quaedam aliae formae; sed illae non manent anima adveniente; immo si tales plures generationes sunt intermediae propter introductionem posterioris fit prioris corruptio eo quod plures

¹ indifferenter P. — ² vel magis et minus *add.* VC. — ³ per C. — ⁴ introducuntur P. — ⁵ dicunt VPC, dant *in marg.* V.

(1) Henricus de Gandavo, *Quodl.* XII, q. 10 (t. II, fol. 459).

formae substantiales in eodem esse non possunt. Quia tamen, prout dicitur nono Metaphysicae, respectu alicuius proprie dicitur in potentia aliquid cum est sic dispositum | quod una transmutatione et ab uno agente potest reduci ad actum, secundum illud videretur quod tunc solum est materia hominis proprie in potentia ad formam humanam cum una transmutatione secundum substantiam per agens ¹ naturale materiam transmutans et per agens supernaturale quod quantum ad hoc, ut alias dictum est (1), non est proprie agens omnino diversum, sed quasi vice | agentis naturalis animam introducere non potens, sed ad eam materiam ² summe disponentis eius defectum quasi supplendo et ipsam animam creando, infunditur ipsa anima; et tunc primo proprie loquendo homo generatur et secundum hoc anima sive forma humana tota in fine generationis hominis introducitur et statim est generatum vivens vita aliqua, et est generatio substantialis terminata et completa.

cod. V
fol. 95 R^b

cod. P
fol. 74 R^a

Sed quia quaedam operationes animae quae sunt vivere [quaedam] indigent diversis dispositionibus organorum secundum diversas qualitates et quantitates et alia huiusmodi, ideo non statim cum est tota anima secundum substantiam introducta potest omnes suas operationes vitales exercere, prout patet in pueris qui cum statim nati sunt nullum habent usum rationis propter defectum convenientis dispositionis organorum quae debent animae in hac sua operatione deservire.

Per hoc patet responsio ad rationem in oppositum; quia, secundum iam dicta, statim cum embryo vivit vita ³ plantae quantum ad esse primum per substantiam animae et quantum ad esse secundum quantum ad operationem eius quae est nutriri et augeri, vivit etiam vita animalis quantum ad esse primum per substantiam animae licet non quantum ad esse secundum, scilicet quantum ad operationes plures sensitivas, tunc etiam vivit vita hominis quantum ad actum primum substantiae animae humanae licet non quantum ad secundum, scilicet quantum ad opera intellectus et voluntatis. Posset etiam dici quod non statim cum vivit vita plantae est terminata generatio substantialis nec tamen forma humana habet esse ante terminum generationis quia, adveniente anima priores formae ⁴ corrumpuntur.

¹ per agens] om. C. — ² naturam PC. — ³ vitam C. — ⁴ om. C.

(1) *Quodl.* II, q. 7 (t. II, p. 127).

QUAESTIO XV

Utrum intellectus agens pertineat ad rationem superiorem.

Postea ad secundum arguebatur quod intellectus agens non pertineat ad rationem superiorem, quia secundum ¹ Damascenum, nulla natura propria operatione destituitur. Operatio autem intellectus agentis videtur esse illuminare phantasmata et abstractionem facere. Sed hanc operationem non habet in actu rationis superioris, quia secundum Augustinum, duodecimo de Trinitate : per superiorem portionem rationis inhaeremus ² intelligibili atque incommutabili veritati et eius est iudicare de istis corporalibus secundum | rationes incorporales atque aeternas ; quae nisi supra mentem humanam essent, incommutabiles profecto non essent. Secundum ista videtur quod operatio intellectus agentis non habeat locum in portione superiori rationis, quia ipsa illustratur rationibus aeternis et incorporalibus quae non habent illuminari lumine intellectus agentis ; quare et cetera.

cod. P
fol. 74 R^b

Contra. Secundum Augustinum, ibidem : imago Trinitatis praecipue relucet in ratione superiori. Sed intellectus agens pertinet ad imaginem ; nam secundum Augustinum, duodecimo super Genesim : semper agens est ³ praestantius patiente ; ergo cum intellectus possibilis qui habet locum parentis pertineat ad imaginem, intellectus qui habet locum agentis ad ipsam potius pertinebit. Ergo videtur quod pertineat ad rationem superiorem.

cod. C
fol. 35 V^a

Respondeo dicendum quod, si ratio superior et inferior essent diversae potentiae realiter ab invicem differentes, posset quaestio sic intelligi : utrum intellectus agens realiter sit aliquid animae secundum portionem rationis superioris vel inferioris.

cod. V
fol. 95 V^a

Si autem non sunt diversae potentiae realiter differentes, tunc quaestio non quaerit nisi utrum ad actum intelligendi ea quae deputantur rationi superiori, requiritur operatio intellectus agentis vel ad actum intelligendi alia ⁴. Et quia, prout Augustinus dicit loquens de istis, duodecimo de Trinitate, capitulo quarto, cum de natura mentis humanae disserimus, de una quadam | re disserimus ⁵, nec eam in id quo inhaeremus ⁶ intelligibili et

¹ quia secundum] *om.* C. — ² subhaeremus PC, sub *del.* C, in *add.* V. — ³ *om.* C. — ⁴ *om.* P. — ⁵ de — disserimus] *om.* P. — ⁶ in *add.* PV.

incommutabili veritati quod est sublimioris rationis cuius est iudicare de corporalibus secundum rationes incorporeas et sempiternas et etiam id ¹ quod in actione corporalium temporaliumque tractandorum versatur, nisi per officia generamus. communiter supponitur quod non sint res diversae. Et ideo non potest quaestio habere primum intellectum.

Circa secundum vero intellectum quaestionis ², est considerandum quod, secundum statum vitae praesentis, non est nisi unus modus intelligendi omnia sive materialia et transmutabilia, sive immaterialia et aeterna, scilicet per abstractionem speciei intelligibilis virtute intellectus agentis, mediante phantasmate sive obiecto in virtute phantastica. Propter quod qui non habent phantasticum bene dispositum, nihil | omnino secundum cursum naturae possunt intelligere circa corporalia sive incorporalia. Et ideo, pro statu tali, in omni operatione intellectuali necessaria est operatio intellectus agentis, propter duo: scilicet. propter subiectum susceptivum, ut scilicet virtute eius, quia est lumen quoddam ³, ipse intellectus possibilis sit illustratus et dispositus ad speciei intelligibilis, cum abstracta est, susceptionem; et etiam propter obiectum activum ut ipse intellectus virtute luminis sui ipsum sua natura, quae est lux quaedam contingens, consequatur quamdam abstractionem a condicionibus particularibus, et sic possit intellectum possibilem immutare, prout fuit alias declaratum (1). Non quidem quod huiusmodi duplicem operationem faciat intellectus agens vere transmutando de potentia praecedente actum aliquem ad actum illum ipsum intellectum possibilem, vel se ipsum respectu obiecti deducendo; sed sic quod, irradiando super phantasmata, sicut lux solis super colores ⁴, illud quod in phantasmate ut sic sub particularibus condicionibus tantum repraesentatur ⁵, virtute intellectus agentis praeter huiusmodi condiciones individuantes, ut est aliquid secundum se ipsi intellectui possibili repraesentetur; sicut etiam colores qui ⁶ secundum se sine luce visum non immutant, virtute lucis praesentis ipsum immutant ⁷, licet non sit omnino simile. Et istam actionem agit intellectus agens semper et naturaliter, quantum est de se, licet non semper virtute eius fiat talis abstractio a phantasmatibus et immutatio intellectus possibilis per ipsam ⁸, eo quod huic actioni suae substernuntur phantasmata quasi pro materia quae non semper sunt convenienter disposita et ordinata. Unde. semper secundum se est lux; sed

cod. P
fol. 74 Va

¹ illud P. — ² quo nis P, *1^a m.* C. — ³ quod PC. — ⁴ coloris PV. — ⁵ reputatur P. — ⁶ quae PC — ⁷ virtute — immutant] *om.* P. — ⁸ ipsum C.

(1) *Quodl.* V, q. 10, p. 37-38.

illam ¹ non semper participant phantasmata, quia nec semper subsunt ei, ut materia conveniens; sicut etiam lux sensibilis, quantum est de se, semper facit suam abstractionem, id est, est in actu, quantum est de se, abstrahendi respectu colorum, sed non semper abstrahit colores, nisi prout ei convenienter dispositi subiciuntur. De hac autem actione intellectus agentis loquitur Philosophus, tertio de Anima, cum dicit quod intellectus agens est habitus quidam ² ut | lumen et se habet ad phantasmata sicut lux sensibilis ad colores.

cod. P
fol. 74 Vb

Aliam autem actionem respectu intellectus possibilis, cui semper est coniunctus et coevus, semper facit ipsum sic semper illuminando. De quo Commentator, tertio de Anima, dicit quod sicut aer recipit coloris speciem et lucis, sic intellectus possibilis recipit similitudinem rei representatae per phantasmata lumine intellectus agentis. Unde, quia intellectus possibilis qui est huiusmodi actionis et illustrationis quasi materia semper est praesens et subiectus lumini intellectus agentis, dicitur haec actio perpetua.

Nec tamen intelligitur quod huiusmodi intellectus agens hoc modo agat in intellectum possibilem secundum rationem causae efficientis ipsum, aliquo modo transmutando et de potentia ad actum reducendo ut sic activum et passivum sint coniuncta subiecto, sed quasi formaliter ipsum suo lumine perficiendo. Sic enim huiusmodi illustrationem facit ipse intellectus | agens, ut dictum est, non effective, sed solum formaliter. Qui autem animam creavit per modum causae efficientis, hanc illustrationem fecit istas potentias simul in eadem substantia producendo. Sicut etiam cum producitur aliquod corpus luminum in quo sunt istae duae dispositiones, scilicet diaphaneitas vel perspicuitas et ipsa lux, dicitur quod lux facit huiusmodi corpus, ut est perspicuum, luminum, non transmutando ipsum de potentia praecedente actum ad talem actum reducendo — sed totum simul factum est secundum rationem causae efficientis ab agente extrinseco — sed ipsum formaliter perficiendo hoc fit a luce.

cod. V
fol. 95 Vb

Istis ergo suppositis, est dicendum quod intellectus agens pertinet ad rationem quantum ad utrumque eius praedictam portionem vel officium, — supposito, sicut communiter supponitur, quod sit aliquid animae, — sic scilicet quod intellectus agens et possibilis sunt duae potentiae in una substantia animae et non sit aliquid ens separatum; supposito etiam, ut communiter dicitur, quod secundum statum praesentem ex naturalibus non possumus attingere ad hoc quod immaterialia immediate per suam nudam substantiam videamus; prout etiam animam nostram sic actu non possumus

¹ illum PC. — ² quidem PC

intelligere per se ipsam, | sed sicut alia; et sic per eius operationem cuius operationis est aliquid repraesentatum per phantasiam obiectum. cod. P
fol. 75 R^a

Cum arguitur per Augustinum in contrarium ¹ intelligendum quod aliqui (1) dicunt quod intellectus agens est aliquid animae, sed lux eius non sufficit per se ad illustrandum, sic quod de rebus certa et immutabilis veritas apprehendatur; sed ad hoc requiritur illustratio lucis omnino immutabilis, scilicet lucis increatae qua etiam lumen intellectus agentis roboratur et confortatur ². Et secundum istos, tunc diceretur quod, non obstante quod certa veritas circa ³ aeterna apprehendatur virtute luminis increati generalis et extrinseci, ad hoc tamen etiam simul requiritur illustratio luminis intellectus agentis creati proprii et determinati. Alii (2) dicunt communius et probabilius quod ad cognoscendum ea quae facultati naturali subsunt sufficit lumen intellectus agentis cum influenza generali, quae necessaria est et ad conservationem rerum in esse et ad exercendum operationes earum.

Cum ergo dicit Augustinus, duodecimo de Trinitate, capitulo primo ⁴, quod mens iudicat de corporalibus secundum rationes incorporales et sempiternas quae, nisi supra mentem nostram essent, immutabiles non essent, et consimilia dicit in pluribus aliis locis, est intelligendum quod, in quantum huiusmodi rationes incommutabiles tamquam prima principia et regula omnium aliorum accipiuntur immediate virtute luminis agentis, et non ex praecedenti nostra cognitione mentali et intellectuali, (sicut cetera, quae menti nostrae subsunt, in quantum virtute istarum deducimus ⁵ nos ad cognitionem eorum et de ipsis iudicamus per ista, tamquam per prima), de istis autem regulis non iudicamus; quia sunt omnino prima in genere cognitionis intellectualis, pro tanto dicuntur supra mentem ei quasi divinitus impressae, non quasi a mente acquisitae, quia scilicet non ratiocinando acquiritur cognitio talium, sed statim se offerunt. Item, talia principia et ipsum lumen agentis in virtute cuius statim apprehenduntur possunt dici esse supra mentem nostram, alioquin non essent huiusmodi rationes etiam incommutabiles in quantum derivantur ⁶ a | luce increata, ut illius quaedam participatio et imago, virtute cuius, scilicet lucis increatae, quanto excellentius participant tanto habent huiusmodi incommutabilitatem et digni- cod. P
fol. 75 R^b

¹ per Augustinum in contrarium] in contrarium per Augustinum PC. — ² formatur C. — ³ et C. — ⁴ capitulo primo] om. PC. — ⁵ deducimur corr. 2^a m. C, et add. C. — ⁶ derivatur C.

(1) Henricus de Gandavo, *Summa theologica*, art. I, q. 2.

(2) Thomas Aquinas, *Summa theologica*, P. I, q. 79, a. IV; *Contra Gentiles*, II, 77.

cod. V
fol. 96 R^a

tatem magis. Unde, lux increata essentialiter et realiter est supra mentem et aliquid extra mentem; et quia in virtute illius, lux intellectus agentis et ipsa prima principia virtualiter et immediate in lumine intellectus agentis quodammodo comprehensa efficiuntur, habent vim reducendi nos ad actum cuiuslibet cognitionis nec etiam ipsa lux intellectus agentis nec veritas huiusmodi principiorum in virtute dicti luminis agentis immediate comprehensorum esset incommutabilis nisi essent quaedam participationes illius luminis increati omnino in se immutabilis. Et haec videtur intentio | Augustini cum dicit, decimo quarto, de Trinitate, capitulo trigesimo quarto, regulae quibus quid sit iustum etiam iniustus agnoscit scriptae sunt in libro lucis illius quae veritas dicitur. Unde omnis lex iusta describitur ¹ et in cor hominis non migrando, sed tamquam imprimendo transfertur sicut imago annuli in ceram transit et anulum non derelinquit. Quomodo autem intellectus agens pertinet ad imaginem quod supraponitur in alio argumento est alibi declaratum (1).

QUAESTIO XVI.

Utrum si corpus humanum resurgeret sine quantitate esset idem numero quod prius.

cod. C
fol. 36 R^a

Deinde circa naturam corporis humani quaerebatur unum, scilicet si corpus aliquod humanum resurgeret sine quantitate, utrum esset idem corpus numero quod prius fuit. Et arguebatur quod non, quia ¹ Philosophus in primo Physicorum divisionem et distinctionem aliquorum ad invicem secundum numerum attribuit quantitati; ergo quod non habet quantitatem non | est divisum et distinctum ab alio secundum numerum; quare nec ipsum etiam est aliquid unum numero, quia quod non est divisum ab alio secundum numerum non est etiam in se indivisum secundum numerum; quare et cetera.

Contra. Homo componitur ex materia et forma; ergo ubi est eadem materia et eadem forma numero est idem homo numero; sed non obstante

¹ detribuitur C. — ² quod P 1^a m. C.

(1) Scilicet quinto quodlibet quaestione octava *add. alia m. V.* Cfr. supra, p. 29 et ss.

quod homo resurgeret sine quantitate haberet tamen eandem naturam et eandem formam numero quam prius | habuit; quare et cetera.

cod. P
fol. 75 Va

Respondeo dicendum quod quaestio videtur supponere falsum et impossibile, quo tamen supposito adhuc videtur esse dubium quod quaeritur et ideo primo declarandum est quomodo ¹ hoc impossibile est quod supponitur sic Nam illud quod includitur in ratione et definitione alicuius non potest ab eo separari; sed in ratione hominis includitur quantitas; nam, cum homo ² dicat ens quoddam non metaphysicum quod abstrahit et a materia sensibili et quanta, nec mathematicum ³ quod abstrahit a materia sensibili, non a quanta, sed est ens naturale quod non abstrahit a materia quanta nec sensibili, sed solum ab hac materia determinata per hanc determinatam quantitatem et per has determinatas qualitates, — sicut ergo nihil potest esse substantia quae est de consideratione metaphysici quod abstrahit ab ente secundum quod ens sive ab actu et potentia quae concernuntur a metaphysico, et sicut non potest etiam esse figura[e] triangularis vel rotunda[e] quae considerantur a mathematico quod abstrahit a quanto, ita etiam nihil potest esse homo qui consideratur a naturali quod abstrahit ⁴ a quantitate et qualitate. Si enim de ratione entium naturalium non esset nisi materia et forma substantialis, non essent naturalia sed pure metaphysica, nec aliter diffiniret naturalis quam metaphysicus; ita est enim ⁵ quod universaliter quaelibet forma naturalis determinat sibi materiam secundum determinatas dispositiones accidentales nec nata est perficere materiam secundum se omnino nudam cum exclusione talium dispositionum et, licet eam non perficiat mediantibus istis sed immediate ⁶, sine istis tamen suam naturam consequentibus materiam ⁷ perficere non potest. Non enim quaelibet forma cuiuslibet materiae esse potest sive materiae sub quibuscumque dispositionibus existentis potest esse perfectio nec anima, secundum quod dicit Philosophus, primo de Anima, nata est perficere quodlibet corpus; ipsa enim non potest esse forma nisi corporis ⁸ organici; corpus autem non est organicum nisi habeat quantitatem et qualitates sensibiles secundum quas in suis partibus diversificatur. Unde dicit Philosophus, septimo Metaphysicae, quod forma hominis semper habet esse in carnibus et ⁹ ossibus et partibus similibus istis; et Com | mentator: impossibile est enim hominem intelligere sine carnibus et ossibus.

cod. P
fol. 75 Vb

Unde, homo dicitur quoddam compositum non simpliciter ex anima et materia, sed ex anima et materia tali, scilicet ex anima et carne et ossibus;

¹ quo V. — ² non *add.* P, *1^a m.* C. — ³ metaphysicum PC, *1^a m.* V. — ⁴ abstrahat PV. — ⁵ ita — enim] est enim ita PC. — ⁶ istis — immediate] *om.* C. — ⁷ naturam PC. — ⁸ quanti *add.* PC. — ⁹ cum *add.* V.

sed, quamvis propter hoc quod de ratione hominis aliquo modo videntur esse dispositiones materiae homo accipitur ut quoddam totum aggregatum ex aliquibus ad genus substantiae pertinentibus et aliquibus ad genus accidentis, sicut etiam quantum secundum quod huiusmodi dicit aggregatum ex substantia subiecta et ex ipsa quantitate et ideo ut sic non potest unum ab alio excludi quia iam non esset illud totum¹, sed ex hoc tamen non videtur omnino negandum quin Deus id quod est ibi ad solam substantiam pertinens posset separare ab eo quod est ibi pertinens² ad sola accidentia, sicut patet in quanto quod illud quod pertinet ad quantitatem potest | separare, ut patet in sacramento altaris. Et secundum hoc bene verum est quod homo sic consideratus non esset quid naturale nisi pro quanto secundum se haberet habitudinem naturalem ad proprias dispositiones suae materiae, licet iam actu careret eis, sicut etiam anima rationalis separata non est sic pure ens metaphysicum, sicut intelligentiae vel angeli, propter naturalem habitudinem et inclinationem ad corpus naturale quod includit dispositiones materiales et naturales; et quia divinae potentiae nolo praeiudicare, licet non videam quomodo possibilis sit talis separatio, tamen non dico eam impossibilem Deo.

cod. V
fol. 96 R^b

Et ideo etiam³ hoc supposito respondendum est ad id quod circa hoc quaeritur et est dicendum quod aliquo modo esset idem homo qui prius et aliquo modo non. Distinguendum est⁴ enim⁵ de uno sive de unitate quae numerum constituit et secundum hoc patebit intentum. Est enim quoddam unum quod convertitur cum ente et quoddam quod dicitur principium numeri; intelligendum tamen quod quaelibet unitas est principium alicuius numeri, quia omnis multitudo est aliquis numerus; sed cum dicitur quod est quoddam unum quod est principium numeri intelligitur specialiter de numero qui est quantitas discreta sive de genere accidentis quod est quantitas. Generaliter ergo hoc est supponendum quod, cum unum dicat indivisionem in se et divisionem ab aliis, omne illud | quod habet entitatem et naturam in se indivisam et divisam ab aliis est unum et est pars alicuius numeri et unum numero secundum quod est aliquid illius numeri.

cod. P
fol. 76 R^a

cod. C
fol. 36 R^b

Sed tale ens licet sic intelligatur indivisum in se et ab aliis divisum, si | tamen non sic existat vel subsistat in rerum natura, sed dividatur et multiplicetur in diversa quae ulterius non multiplicantur vel dividuntur, hoc non est proprie unum numero, sed specie vel genere.

Sed illud quod sic est indivisum in se et divisum ab aliis quod non est

¹ totam C. — ² posset — pertinens] *cm.* C. — ³ et *1a m.* C. — ⁴ ergo *add.* C. — ⁵ *del.* *2a m.* C.

sic ulterius multiplicabile divisione tali, scilicet per contractionem et determinationem eius ad aliquid minus contractum, illud proprie est unum numero in quocumque genere sit sive ¹ substantiae sive accidentis; et hoc modo est unum numero quaelibet substantia subsistens et omnia accidentia in substantia subsistente existentia. Est enim quilibet angelus subsistens unum numero isto modo, etiamsi sit sua species tota, ita quod illa species in alio non possit reperiri cui angelus talis subsistens connumeretur; nam, hoc non obstante ita indivisus esset in se et ab aliis divisus sicut si cum eo existeret vel existere posset alius sub eadem specie.

Et omne tale ens unum numero ex eodem habet quod est unum numero et quod est individuum; substantiae enim cui convenit per se esse et subsistere per se convenit etiam esse unam numero et individualiter, immo etiam nonnisi individualiter aliquid esse habet et hoc aliquid ².

Quod autem existens non existit nisi individualiter et sic unumquodque existens est quoddam individuum, hoc, inquam, formaliter inest ei per suam formam qua est id quod est et in se indivisum et ab alio ³ divisum. Quid ergo addit suppositum et individuum in genere substantiae simpliciter sive etiam non quantae supra ⁴ naturam et a quo est talis individuatio, quamvis non sit praesentis speculationis, tamen ⁵ videtur quod causa efficiens sit agens producens ipsam in esse existentiae; terminus enim actionis cuiuslibet agentis non est nisi hoc aliquid; formaliter autem non videtur addere individuum vel suppositum tale aliquod ens positivum ⁶, sed negationem aliquo modo prout etiam unum a negatione imponitur; alioquin si esset sic unum formaliter per aliquid positivum additum, cum illud | additum esset res et natura aliqua, esset etiam unum unitate quae convertitur cum ente, et hoc per ⁷ aliquid additum eadem ratione et sic in infinitum, quod est inconveniens. Per nihil ergo additum est tale unum; et hac unitate oportet etiam quodlibet ens de genere quantitatis etiam esse unum. Unde ⁸, linea una numero dicit indivisionem in sua entitate et divisionem ab aliis hoc modo; ergo duo angeli diversarum specierum cum hoc quod differunt specie propter naturas secundum se et specificiter differentes quas important, differunt etiam numero propter hoc quod quilibet illorum importat etiam indivisionem in se et divisionem ab aliis in ⁹ esse sic subsistenti quod non est ulterius divisibilis dicto modo; duo angeli autem ¹⁰ si ponantur sub una specie contineri, sicut constat de | duabus animabus quae multiplicantur

cod. P
fol. 76 Rb

cod. V
fol. 96 Va

¹ om. C. — ² quidem P. aliquid 2a m. C. — ³ etiam add. P. — ⁴ super P. — ⁵ unde enim PC. — ⁶ et absolutam add. V. — ⁷ hoc per] per hoc PC. — ⁸ prout est add. PC. — ⁹ et P. — ¹⁰ om. C.

secundum multipliciter corporum, dicitur quod differrent non specie, quia important formam quae secundum se est una, sed numero, quia illa forma est sic multiplicata in duobus sic subsistentibus quod in sua subsistentia habent indivisionem et divisionem ab aliis.

Et hoc modo etiam duo homines si resurgerent sine accidentibus differrent numero substantiali sive essentiali cuius unitates convertuntur cum ente, et quilibet illorum esset idem homo numero qui prius quantum ad identitatem talis unitatis vel entitatis, quia scilicet esset constitutus ex eadem materia et eadem forma substantiali quae constituerent unum et idem suppositum quod primo ¹ constituerunt.

Unum autem quod est principium numeri proprie ² dicti ut est aliquid de genere quantitatis non convertitur cum ente nec reperitur nisi in his in quibus est quantitas continua, quia nec est nisi in talibus diversitas secundum numerum talem et distinctio aliquorum secundum talem numerum ex divisione quantitatis continuae ³, cuius est per se habere partes eiusdem rationis; et per ipsam formaliter habet substantia partes etiam eiusdem rationis, prout quaelibet pars lapidis est lapis et quaelibet pars materiae est materia et quaelibet pars ossis est os et quaelibet pars corporis est corpus; et sic de aliis quae extenduntur extensione quantitatis.

cod. P
fol. 76 Va

Et, quia non est | in rebus processus in infinitum, unitas et multitudo talis est in ⁴ substantiis per aliquid additum, scilicet per huiusmodi quantitatem, et, cum quaelibet quantitas sit una tali unitate, — non enim differunt numero partes substantiae lapidis nisi quia etiam differunt numero ipsae partes quantitatis, — tales partes ipsius quantitatis, ut scilicet sunt partes quantitatis, non sunt unum vel plura dicto modo per aliquam rem additam, sicut nec sunt quid extensum per aliquid additum; immo, sicut sunt ipsa extensio | essentialiter quam participat substantia in qua est, sic etiam sunt ipsa multitudo accidentaliter quam participat substantia; et est talis multitudo accidentaliter substantiae quae est essentialis quantitati; unde, in aliis a quantitate differentibus numero pertinente ad quantitatem est talis differentia numeralis per aliquid additum entitati essentiali eorum.

cod. C
fol. 36 Va

Sed in quantitate non differunt realiter, sed solum secundum rationem unum quod convertitur cum ente et quod est principium numeri, quia ipsum quod est essentialiter continuitas et partibilitas quaedam secundum se indivisum quid et ⁵ divisum ab aliis et sic est unum sua tali unitate essentiali ut participatur ab alio, scilicet a substantia cui accidit, est unitas accidentaliter

¹ prius C. — ² om. C. — ³ continet C, continetur 2a m. C. — ⁴ om. C. — ⁵ om. C.

illi; unde, quod est unitas essentialis in quantitate secundum se est unitas accidentalis in substantia cui accidit.

Et secundum hoc esset dicendum quod dicti duo homines non differrent numero ab invicem, nec unus illorum esset idem numero homo qui prius, quia, licet haberet illam unitatem substantialem quam prius, non tamen haberet illam unitatem ¹ accidentalem; et de tali unitate numerali qua plura individua differunt numero verum est dicere quod non convenit alicui ² nisi quanto et quod talis uniuscuiusque individuatio in se et distinctio secundum numerum talem ab alio ³ non est nisi per quantitatem.

Et quia non est nisi duplex genus partium entium actu, scilicet secundum essentiam et formam, quia unaquaeque ⁴ forma secundum se et absolute considerata non nisi specificè per se distinguitur ab alia, item secundum quantitatem et extensivonem, quia unumquodque extensum et quantum per se habet partes eiusdem rationis secundum se, ut linea, tempus et huiusmodi quae non distinguuntur formaliter et secundum speciem ab invicem, scilicet partes lineae inter se et partes temporis et sic de aliis, — ideo videtur quod quaecumque carent quantitate oportet esse differentia sic numero quod etiam differant secundum speciem; et solum ⁵ in illis, in quibus potest esse quantitas, potest esse differentia ⁶ secundum numerum absque differentia secundum speciem.

cod. P
fol. 76 Vb

Hoc tamen non obstante, ponuntur plures animae numero differentes; sed hoc dicitur fieri ex eo quod diversorum corporum numero differentium sunt formae cum quibus etiam huiusmodi individuationem sive numeralem distinctionem consequuntur. Hoc modo etiam forte ponerentur duo | homines resurgentes sine quantitate numero differre, quia habuerunt quantitatem vel habere nati sunt; sed hoc ipsum est difficile intelligere quod, separata quantitate in actu ab aliquibus quae nata sunt uniri quantitati ⁷, in illis remaneat distinctio secundum numerum, puta in animabus separatis et in talibus duobus ⁸ hominibus si sic resurgerent. Quantumcumque tamen sit difficile hoc intelligere, tamen de animabus simpliciter hoc est tenendum; sed magis est difficile intelligere quomodo possunt esse plures angeli numero differentes; quod tamen hoc sit possibile non est omnino negandum secundum quod dicit quidam articulus quo contrarium condemnatur (1).

cod. V
fol. 96 Vb

¹ substantialem — unitatem] *om.* P. — ² alteri PC. — ³ illo C. — ⁴ unaquaque PC. — ⁵ subiectum C. — ⁶ sic numero — differentia] *om.* P. — ⁷ ab — quantitati] *om.* C. — ⁸ *om.* C.

(1) Denifle et Chatelain, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, t. I, p. 554. Opiniones ducentae undeviginti, etc., n^o 81 et 96.

Per praedicta patet responsio ad argumenta, quia procedunt secundum dictos modos diversos quo aliquid dicitur vel non dicitur unum numero.

QVAESTIO XVII

Utrum praelatus beneficium ecclesiasticum tenetur conferre meliori sic quod peccet conferendo minus bono.

Deinde circa pertinentia ad quosdam homines specialiter quaerebantur duo: unum erat pertinens ad praelatos Ecclesiae, scilicet utrum praelatus habens conferre aliquod beneficium ecclesiasticum teneatur illud conferre meliori, ita quod peccet si meliori postposito illud conferat minus bono; secundum erat pertinens ad servos dominorum temporalium, posito quod aliquis dominus habeat secundum legem vel consuetudinem humanam tale ius in servis suis quod, cum moritur aliquis servus eius, omnia bona quae habet devolvuntur ad ipsum dominum, unus autem talis servus habet filios vel filias qui non habent aliqua bona per se et aliquis eorum clam recipit aliqua de bonis patris quae devolverentur ad dominum, quaeritur utrum ille qui talia bona sic recepit¹ teneatur ea domino restituere.

cod. P
fol. 77 Ra

Ad primum sic procedebatur et arguebatur quod talis praelatus non peccet, quia qui facit illud quod sufficit secundum iura, quae sunt regulae actuum humanorum, non peccat; sed talis praelatus facit id quod sufficit secundum iura; nam secundum iura sufficit dare bono, licet perfectius sit dare² meliori; ergo et cetera.

Contra. Praelatus Ecclesiae est quasi vicarius Christi in terris: ergo debet conferre beneficia sicut Christus ea conferret et sicut Christus vult ea conferri, et si aliter confert peccat; sed Christus conferret meliori; ergo et cetera.

cod. C
fol. 36 Vb

Respondeo dicendum quod quicumque directe facit contra iustitiam graviter peccat; ita est in proposito. Nam, cum duplex sit iustitia, scilicet distributiva et commutativa, sicut in commutativa qui minus dat quam dare tenetur alteri peccat, ita³ in distributiva qui non dat ei cui dare tenetur peccat. Prout enim dicit Ambrosius in libro de Officiis⁴: iustitia est quae unicuique quod suum est tribuit, alienum non vindicat, utilitatem propriam negligit ut⁵ communem aequitatem custodiat. Secundum iustitiam ergo commutativam tenetur aliquis dare alteri quantum ab eo recipit; secundum iustitiam autem distributivam persona publica et communis tenetur bona communia totius communitatis partibus communitatis distribuere secundum quod unicuique personae debitum est fieri in ordine ad bonum commune; tanto autem⁶ maius est debitum quod personae quae est pars communitatis debetur, quanto ipsa pars maiorem principalitatem habet in toto sive in communitate, quae quidem principalitas attenditur secundum virtutem personae et utilitatem eiusdem ad bonum commune: ideo et in distributiva iustitia non accipitur medium secundum aequa-
litatem rei ad rem simpliciter et absolute, sed secundum proportionem rerum ad personas, ut scilicet, sicut una persona excedit aliam, ita etiam⁷ res quae datur uni personae excedere debet rem quae datur alii. Quia ergo praelatus

cod. P
fol. 77 Rb

¹ recipit C. — ² sit dare | dare sit C. — ³ om. C. — ⁴ officio P. — ⁵ et PC. — ⁶ aut C. — ⁷ et PC.

est quasi persona publica praesidens communitati ad quem pertinet actus distributionis bonorum communium, tenetur ea distribuere secundum condicionem personarum et Ecclesiae utilitatem sive in ordine ad Ecclesiae utilitatem, ita quod personae magis excellenti et utili ad bonum commune magis et maiora bona tenetur distribuere et conferre, quia et ¹ ei magis sunt debita quia melior. Item, quia hoc exigit Ecclesia cui ille utilior; nam, ut dictum est, cum illa bona sint totius communitatis, | sunt et ² cuiuslibet partis secundum eius proportionem ad communitatem, et ideo meliori meliora sunt debita. Cum etiam praelatus principaliter tenetur bona communia distribuere secundum quod magis proficiunt ³ ad bonum communitatis cui praesidet et cuius sunt bona quae distribuit, si ea distribuat aliter, graviter contra iustitiam peccat.

cod. V
fol. 97 Ra

Cum ergo quaeritur utrum praelatus teneatur dare meliori et peccet graviter contrarium faciendo ⁴, dicendum quod dans beneficium ecclesiasticum alicui non dat illud respiciendo personam cui dat ut est homo simpliciter vel etiam ut est bonus homo simpliciter ⁵ et absolute, sed ut est bonus homo in ordine ad officium Ecclesiae propter quod est beneficium institutum, sive ut est idoneus ad huiusmodi officium ⁶ bene exercendum: quia in tali provisione intendit providere principaliter non personae de beneficio, immo magis Ecclesiae de ministro cui de bonis Ecclesiae in quantum idoneus minister merito providetur; et ideo est dicendum quod tenetur providere ei qui melior est non simpliciter et secundum se, sed qui melior est ad officium vel beneficium ad quod debet institui, quod quidem ordinatur, ut dictum est, ad bonum commune: haec est enim condicio quam per se et principaliter debet praelatus attendere in beneficiorum collatione. Si ⁷ tamen huic ⁸ aliae honestae circumstantiae ⁹ concurrunt, tanto melius; sed si haec principalis non sit, tunc patet eum esse acceptorem personarum, quia praefert unum alteri, non ob causam quae faciat eum esse praefendum in comparatione ad officium ad quod instituitur vel ad beneficium quod confertur, sed ob causam aliam impertinentem. Patet ergo quod talis non est fidelis servus et dispensator bonorum Domini principalis; ideo oportet supponere quod peccet non conferendo meliori si ¹⁰ aequali facilitate possit haberi, quin immo si sit fidelis procurator ¹¹ et dispensator debet multo studio laborare ad hoc quod beneficia melioribus conferantur.

cod. P
fol. 77 Va

Eodem modo, qui habent praelatos eligere, tenentur etiam eligere meliores; immo etiam ad hoc magis tenentur pro quanto status eorum, ratione perfectionis maximae quam importat, requirit etiam personas inter alias perfectiores, non quidem solum de status congruentia, sed essentia ¹², sic scilicet quod qui dignus est praelatione et ad digne et perfecte faciendum ea quae praelationis officium requirit idoneus, oportet ipsum esse perfectiorem quam illum qui dignus est religione et ad digne et perfecte faciendum ea quae status religiosus requirit; de congruentia enim requiritur in omni homine perfectio qualiscumque et quantacumque quantum ad ea in quibus essentialiter perfectio consistit, status autem speciales secundum se suas perfectiones requirunt.

Ad argumentum in ¹³ contrarium est dicendum quod conferenti non sufficit simpliciter quod bono conferat quando potest convenienter conferre meliori, quia non facit quod debet, nec sufficit Deo cuius minister est et ideo ab ipso est graviter puniendus; sed

¹ om. P. — ² etiam corr. 2a m. C. — ³ perficiunt P. — ⁴ faciendum C. — ⁵ vel etiam — simpliciter om. P. — ⁶ huiusmodi officium] officium huiusmodi PC. — ⁷ autem add. PC. — ⁸ haec. — ⁹ om. PC. — ¹⁰ sed P. — ¹¹ fidelis procurator] procurator fidelis C. — ¹² esse C. — ¹³ qm. C.

cod. C
fol. 37 Ra

cod. P
fol. 77 Vb

cod. V
fol. 97 Rb

sufficit ei quantum ad | hoc quod talis collatio tenet nec repellitur ille cui fit ab illo beneficio Nec conferens ab Ecclesia sive ecclesiastico iudice punitur, quia nec hoc posset fieri bono modo, immo esset occasio impediendi omnes provisiones si statutum esset quod con | ferentis collatio non teneret nisi meliori facta, quia difficile esset frequenter indicare quis alio melior et in quo et quomodo posset vel non posset haberi, et ¹ ideo talis electio uniuscuiusque conscientiae relinquitur; et ex statuto divino et iuris naturalis ad sic ² faciendum quilibet obligatur nec ab huiusmodi obligatione simpliciter potest aliquis per statutum Ecclesiae absolvi, sed sic absolvitur quod etiam si constaret, sicut frequenter constare potest, satis probabiliter quod potuisset meliori contulisse, tamen de hoc ab Ecclesia publice non punitur propter pacem communem Ecclesiae conservandam, | sed relinquitur Deo puniendus, prout dicit Augustinus, primo de Libero Arbitrio, quod propter pacem communem leges humanae quaedam mala non puniunt quae tamen lege divina puniuntur.

QUAESTIO XVIII.

Utrum filius servi morientis cuius bona debent devolvi ad dominum, si retineat de bonis patris, non habens alia bona, teneatur illa restituere domino.

Postea ad secundum praedictorum, scilicet posito dicto casu, arguebatur quod talis non tenetur restituere quod sic accepit, quia ille qui accepit et habet illud quod sibi de iure competit non tenetur illud restituere. Sed ita est in proposito; nam, secundum Philosophum, octavo Ethicorum, filius iure naturae tria habet a patre, scilicet: esse, nutritionem, et disciplinam. Sed nutritionem sive sustentationem corporis non potest habere per patrem nisi de talibus bonis quia alia non habet; ergo talia sibi de iure debentur; ergo et cetera.

Contra. Secundum Philosophum, quinto Ethicorum, iudex est sicut iustum animatum; illud ergo quod iudex iudicat esse faciendum est iustum et illud tenetur quis facere: sed si factum praedictum deduceretur ad iudicium, iudex iudicaret ³ illud esse restituendum; ergo ille de iure tenetur restituere, etiamsi a iudice non cogatur; quare, et cetera.

Respondeo dicendum quod in tantum lex aliqua scripta vel consuetudo vim legis habens est recta in quantum a lege aeterna derivatur et ei conformatur. Quia enim lex aeterna est ratio gubernationis in supremo gubernatore, necesse est quod omnes rationes gubernationis quae sunt in inferioribus gubernantibus a lege aeterna deriventur; huiusmodi autem rationes | inferiorum ⁴ gubernantium sunt quaecumque leges praeter legem aeternam; unde, omnes leges in quantum participant de lege aeterna in tantum rectae sunt; et ideo leges rectae sunt quae innituntur rectae rationi quae recta est secundum quod rationi aeternae conformatur. Unde dicit Augustinus, primo de Libero Arbitrio, quod in temporali lege nihil est iustum ac legitimum quod non ex aeterna sibi homines derivaverunt; et item dicit Augustinus, decimo quarto de Trinitate, capitulo decimo tertio: regulae ubi quid sit iustum et iniustus agnoscit scriptae sunt in libro lucis illius quae veritas dicitur, unde omnis lex iusta describitur et in cor hominis transfertur; et secundum hoc, illud quod est contra rectum dictamen naturalis rationis iustum esse non potest; cum

cod. P
fol. 78 Ra

¹ om. C. — ² ad sic] assic P. — ³ iudex iudicaret] iudicaret iudex C. — ⁴ inferiori C.

ergo naturalis ratio dictat quod pater sustentationem ¹ praebeat pueris, praecipue cum aliunde non habeant et indigeant, consuetudo vel lex quae hoc destrueret, rationem legis rectae non haberet. Si ergo aliqua consuetudo hoc habet quod dominus, mortuo patre, aliquorum puerorum non ² habentium bona unde vivere possunt, omnia bona talis patris possit sic auferre ³ quod filiis non relinquatur unde vivant nec ipse etiam eos tenetur de bonis patris defuncti quae recipit sustentare, non videtur talis consuetudo rationabilis nec tenenda; et ideo si filius talis patris probabiliter aestimet quod, si dominus talia bona auferret ei, non remanebit unde vivat nec ipse dominus eum sustentabit, — cum bona paterna iure naturae et divino sint bona communia filiorum quae pater secundum iustitiam distributivam debet filiis dispensare, vel si moriatur per alium, vel per ipsos filios inter se per concordiam fieri debet hoc, vel etiam ex ipsa morte patris filii ei ⁴ iure succedunt in illis, — videtur quod si portionem convenientem sibi reservet [quod] non peccet et quod restituere non teneatur; si autem sit ⁵ dominus talis condicionis quod possit probabiliter aestimari quod si bona talis patris ad ipsum pervenerint [quod] filios illius convenienter sustentabit, sic ablata restituenda essent.

Cum dicitur quod lex iubet, dicendum quod, secundum quod supra | dictum est, prout dicit Augustinus, primo de Libero Arbitrio: leges humanae | multa permittunt fieri et dimittunt impunita quae secundum legem divinam aeternam punienda sunt, quia mala sunt et iniusta secundum se; et hoc quidem de legibus humanis etiam ⁶ iustis est intelligendum; nec propter talia aliqua mala debent huiusmodi leges annullari propter pacem communem quae conservatur per illas etiam ⁷ secundum quod sic per eas talia permittuntur; | sed aliqua sunt in aliquibus legibus humanis sic omnino contra rationem et sine quibus bonum commune bene servatur, quod nec leges debent dici nec etiam observari; et ideo in casu proposito bonus iudex iudicare deberet quod dominus filium talis servi educaret vel quod sibi id quod de bonis suis retinuit remaneret.

Explicit sextum quodlibet Magistri Godefridi de Fontibus⁸. Incipit septimum eiusdem⁹.

¹ sustensionem C. — ² om. C. — ³ inferre C. — ⁴ ex corr. 2^a m. C. — ⁵ sic PC. — ⁶ cum add. C. — ⁷ et C. — ⁸ de fontibus om. V. — ⁹ Quolibet Magistri Godefridi de Fontibus V; Explicit — eiusdem] Explici. VI quolibet M. G. C; VI quolibet del 2^a m. C.

cod. P
fol. 78 R^b
cod. C
fol. 37 R^b

cod. V
fol. 97 V^a

QUODLIBETUM SEPTIMUM

QUAESTIO I.

Utrum distinctio attributorum divinorum accipiat per comparisonem ad intrinseca vel respectu ad extrinseca sive ad ea quae reperiuntur in creaturas.

Quaerebantur quaedam circa Deum, quaedam circa creaturas. Circa Deum quaerebantur quaedam pertinentia ad unitatem essentiae, quaedam pertinentia¹ ad distinctionem personarum. Circa pertinentia ad unitatem essentiae quaerebatur unum, scilicet utrum distinctio attributorum divinorum accipiat per comparisonem vel respectum ad intrinseca sive ad ea quae conveniunt Deo in seipso, vel per comparisonem sive respectum ad extrinseca² sive ad ea quae reperiuntur in creaturis. Et arguitur quod per comparisonem ad intrinseca: quia ubi reperitur maior distinctio potest reperiri minor; sed in Deo quantum ad ea quae conveniunt ei in se ipso reperitur maior distinctio, videlicet personarum quae realiter et secundum supposita distinguuntur, quam sit distinctio attributorum quae solum differunt ratione. Ergo illa minor distinctio etiam sumi potest dicto modo.

cod P
fol. 78 Va

Contra. Quandocumque inveniuntur aliqua plura distincta secundum rationem quibus respondent plura distincta secundum rem; distinctio talium secundum rationem differentium sumitur ex comparatione ad illa quae realiter distinguuntur. Sed attributa divina differunt solum secundum rationem et illis correspondent distincta secundum rem in creaturis et non alibi, ut patet; ergo et cetera.

Respondeo circa hanc quaestionem: primo, considerandum est quid

¹ ad unitatem — pertinentia] *om. 1^a m. P.* — ² sive ad ea quae — extrinseca] *om. P.*

nomine attributi intelligatur; deinde, quod plura talia in Deo reperiuntur; tertio, unde et quomodo talium plurium distinctio contingit.

Circa primum intelligendum quod attributum in Deo potest intelligi duobus modis: uno modo sic quod intelligatur aliqua divina perfectio eminentius, ex eo quod perfectionem simpliciter et absolute absque defectu et limitatione importat in creatura, ipsi Deo in quo omnis perfectio creaturarum eminentius invenitur¹ tributa; alio modo sic quod attributum generaliter dicatur in quacumque re aliquid quo res perficitur non in esse simpliciter quod dicitur esse substantiale et primum, sed in bene esse quod dicitur esse accidentale. Secundum talia enim quae dant rei² bene esse intelliguntur esse quaedam attributa illis quae dant esse simpliciter et absolute; et secundum hoc attributum in Deo dicitur id quod in ipso intelligitur ut quaedam dispositio quae simpliciter et absolute absque aliqua limitatione perfectionem nobilem importans ipsum quasi in esse secundo et in bene esse perficit, et hoc modo in Deo dicuntur communiter esse attributa; unde, attributa divina significant quasi quasdam qualitates divinae substantiae ipsam³ quasi accidentaliter et in bene esse perficientes, secundum quod dicit Augustinus, libro decimo quinto, de Trinitate, capitulo sexto, ut⁴ si dominus aeternus, vivus, sapiens, potens, speciosus, iustus, spiritus, sic horum omnium⁵ novissimum quod posui tantummodo videtur significare substantiam, cetera vero huius substantiae qualitates. Patet igitur quid nomine attributi intelligere debemus.

Nunc igitur post hoc ostendendum est quod talia plura sunt in Deo. Huiusmodi autem qualitates sive perfectiones sic Deum quasi accidentaliter perficientes | plures sunt; nam, cum omnem⁶ perfectionem creaturae sit in Deo ponere, licet per alium modum eminentiorem, quaecumque⁷ in creaturis absolute et simpliciter absque defectu et limitatione perfectionem important in Deo eminentiusveniuntur et in eo rationem perfectionis quae attributum dicitur habent. | Talia autem sunt plura. Hoc autem contingit Deo ratione suae perfectionis infinitae et illimitatae, scilicet quod omnium entium perfectiones in se continet eminenti modo, prout dicit Dionysius, quinto capitulo, de Divinis Nominibus: Deus non quodammodo est existens, sed simpliciter et incircumscripse, totum⁸ in se ipso esse coaccepit et simpliciter quicquid⁹ utique est in ante¹⁰ existente et est et intelligitur et salvatur.

His ergo visis, considerandum est unde sit huiusmodi pluralitas. Scien-

¹ om. V. — ² om. C. — ³ ipsum P. — ⁴ om. PC. — ⁵ nominum V, et *ia m.* VP. — ⁶ communem C. — ⁷ quemcumque PC. — ⁸ totus C. — ⁹ convenit quid C. — ¹⁰ in antej manum P.

cod. P
fol. 78 Vb

cod. V
fol. 97 Vb

dum est igitur quod, cum Deus sit in essentia sua simplicissimus et maxime unus, talia autem attributa ¹ dicuntur ² perfectiones absolutas quae non sunt nisi ipsa essentia divina, constat quod in Deo secundum se non habent aliquam distinctionem realem, sed omnino sunt quid unum et indistinctum.

cod. C
fol. 37 Va

Unde dicit Dionysius, ubi supra, quod omnia in divino esse continentur immensurate et convolute et unite. Etenim, in monade omnis numerus uniformiter quidem ante subsistit et omnis numerus unite ³ quidem in monade; et in tota omnium ⁴ natura omnium ⁵ naturae secundum singulas rationes convolutae sunt per unam et inconfusam unitatem. Nec est in Deo aliqua pluralitas vel distinctio realis secundum essentiam et essentialia, sed solum secundum personas vel supposita et personales proprietates. Oportet ergo quod distinctio et pluralitas huiusmodi ⁶ attributorum, quae non potest esse secundum realem differentiam quam habeant ex re ipsa secundum se, sit distinctio et pluralitas solum secundum rationem, contingens ex opere rationis vel intellectus apprehendentis divinam essentiam unam et simplicem secundum rem et multas perfectiones quasi in potentia quantum ad actualitatem distinctionis continentem sub diversis rationibus actualiter et formaliter distinguentis, puta sub ratione sapientiae, bonitatis et cetera, ut sic opere intellectus quasi reducatur in actu sive ad actualem distinctionem et multitudinem | illa quasi potentialis multitudo.

cod. P
fol. 79 Ra

Sed circa talem distinctionem et diversitatem attributorum contingentem operatione ⁷ intellectus Deum apprehendentis, quaeri potest an contingat ex apprehensione qua apprehenditur Deus secundum se et absolute, scilicet absque aliqua comparatione vel respectu ad extra sive ad creaturas, aut non, nisi ex aliqua comparatione et respectu ad ipsas perfectiones creaturarum. Et est respondendum: secundum quod aliquid dicitur attributum primo modo, sic non contingit huiusmodi distinctio et multitudo nisi ex operatione intellectus, praecipue creati, apprehendentis Deum ex his quae in creaturis reperiuntur. Talis enim intellectus non potens apprehendere essentiam divinam in se ipsa ut unite omnem perfectionem continentem, sed ex perfectionibus creaturarum devenit in cognitionem perfectionis divinae ut ex effectibus habentibus similitudinem aliquam suae causae et qui in sua causa virtualiter continentur ita quod ex diversis perfectionibus, quae simpliciter et absolute absque defectu et limitatione perfectionem important, in creaturis repertis, quae realiter differunt et de quibus format intellectus diversos conceptus, devenit in cognitionem perfectionis divinae quam, quia

¹ autem attributa] attributa autem C. — ² dant PC. — ³ unire P. et 1a m. C. — ⁴ omni PC. — ⁵ omni PC. — ⁶ pluralitas huiusmodi] huiusmodi pluralitas P. — ⁷ operationem PC.

apprehendit ex sic diversis, licet secundum se sit una et simplex et secundum unam rem simplicem omnes huiusmodi perfectiones contineat, tamen illam sub aliqua una ratione apprehendit in quantum continet unam talem perfectionem et sub alia ut comprehendit aliam. Hoc modo autem doctores videntur loqui communiter de distinctione attributorum. modicam aut nullam mentionem¹ faciendo de distinctione attributorum secundum quod Deus ab intellectu suo apprehenditur ut habet esse in se ipso.

Sed cum intellectus divinus possit uno simplici intellectu vel conceptu apprehendere actualiter et distincte quaecumque intellectus creatus non beatus potest apprehendere de eodem, non videtur rationabile quin etiam, circumscripto intellectu creato et omni diversitate creaturarum quoad existentiam | actualementem, intellectus divinus circa simplicitatem divinae essentiae distinctionem et plura | litatem huiusmodi perfectionum apprehendat, non quidem sic quod propter diversitatem realem creaturarum quasi prius apprehensam hanc diversitatem rationum in se apprehendat et² suo intellectu efficiat, sed sic quod perfectionem suae essentiae apprehendendo sic ipsam apprehendit quod intelligit eam sub perfectionibus ratione differentibus; quae perfectiones etiam secundum quamdam similitudinem, realiter tamen differentes, natae sunt esse in creaturis. Et secundum hunc modum aliquibus (1) videtur quod, in quantum attributum dicitur aliquid secundo modo supradicto et in quantum Deus apprehenditur perfecta cognitione secundum quod est in se ipso, pluralitas habet esse³ et distinctio attributorum operatione intellectus comparantis⁴ ea quae de Deo in se ipso apprehendere potest inter se, absque comparatione⁵ vel respectu ad creaturas; nam, cum essentia divina non comparetur ad creaturas nisi secundum rationem causalitatis alicuius, tunc Deus non diceretur bonus vel sapiens nisi quia causat bonitatem vel sapientiam in creaturis; sed secundum hoc posset dici lapis quia causat lapidem, quod tamen est negandum.

Item, distinctio et pluralitas personarum in Deo non est ex eo quod per intellectum ad creaturas natura divina comparetur, sed distinctio et pluralitas secundum rationem attributorum videtur esse fundamentum pluralitatis et distinctionis personarum secundum rem sive emanationis personarum⁶. Filius enim non procederet naturaliter nascendo tanquam | verbum conceptum modo operationis intellectualis et Spiritus Sanctus liberaliter

cod. V
fol. 98 Ra
cod. P
fol. 79 Rb

cod. C
fol. 37 Vb

¹ intentionem PC. — ² in *add.* C. — ³ pluralitas habet esse] habet esse pluralitas PC.
— ⁴ operantis CV. — ⁵ operatione C. — ⁶ secundum rem — personarum] *bis* P.

(1) Henricus de Gandavo, *Quodl.* V, q. 1 (t. I, fol. 150 et ss.).

spirando ¹ tanquam amor productus modo voluntariae operationis nisi esset aliqua pluralitas et distinctio intellectus et eius operationis a voluntate et eius operatione, quae pertinent ² communiter ad divina attributa et ad quae omnia attributa videntur reducenda, ut veritas, sapientia, bonitas, iustitia et cetera.

cod. P
fol. 79 Va

Item, illud quod prius et principalius est in Deo quam in creatura non videtur esse in Deo ex aliquo respectu ad aliquid extra sive ad creaturam; sed ea quae per attributa ³ intelliguntur prius et principalius conveniunt Deo, scilicet bonitas, sapientia et cetera, quia sunt in Deo per essentiam, in creatura autem per quamdam imperfectam participationem; quare et cetera.

Item, sicut ratione differunt in Deo sapientia, bonitas, ita essentia sive divinitas et sapientia in Deo differunt ratione, licet sint idem re. Sed inconveniens est dicere quod essentia et sapientia quae differunt ratione non habent esse in Deo nisi ex comparatione ad essentiam et sapientiam creaturae quae differunt realiter, et quod deitas non dicatur essentia et sapientia nisi ex comparatione ad correspondentia ⁴ in creaturis; nam, si deitas non diceretur sapientia nisi in comparatione ad sapientiam creatam ⁵, ita etiam deitas non diceretur essentia ⁶ nisi in comparatione ad essentiam creatam ⁷, quod apparet esse inconveniens.

Item, cum distinctio idearum in Deo sumatur ex comparatione intellectus apprehendentis divinam essentiam in comparatione ad essentias creaturarum, si etiam sic sumeretur distinctio attributorum non viderentur perfectiones attributales differre a perfectionibus idealibus, quod est inconveniens.

Item, constat quod, circumscripta comparatione ad exteriora, Deus intelligit se, diligit se; et intelligit se non sub ratione boni, sed veri, et amat se non sub ratione veri, sed boni; haec autem important diversitatem et distinctionem secundum rationem quae ad distinctionem attributorum pertinet; ergo et cetera.

cod. V
fol. 98 Rb

Videtur ergo secundum ista dicendum quod, in quantum Deus per suum intellectum quasi negotiando circa essentiam suam conceptam, eam comparat ad suum intellectum sive ad se ipsam ut est intellectus quidam ut obiectum sui intellectus et concipit suam essentiam ut est intelligens et intellecta; et quod intellectus divinus, ratio intelligendi et etiam ipse actus intelligendi sunt aliquo modo plura et differentia et hoc absque com-

¹ inspirando PV. — ² pertineat VC. — ³ tributa PV. — ⁴ correspondentiam *corr. 2a m. C.* — ⁵ creaturam P. — ⁶ esse V. — ⁷ creaturam P *et 1a m. C.*

paratione ad aliquid extra; et consimiliter accidit de his quae respiciunt voluntatem, ut sic dicatur etiam quod in Deo est accipere distinctionem plurium sola ratione differentium spectantium ad attributa respicientia tam intellectum quam voluntatem. in quantum intellectus divinus concipiens divinam essentiam concipit se ipsam et omnia concipienda circa eam ut mutuo se respicientia in perficiendo divinas operationes secundum intellectum et voluntatem; et quod hoc fieri possibile est eo quod in ipsa divina essentia, quae est obiectum intellectus divini, secundum se continentur in virtute et quasi in potentia omnes perfectiones attributales per ipsum actum intellectus quasi actualiter distinguibiles et quasi de potentia in ¹ actum reducibiles et etiam distinctionem ipsius naturae vel essentiae divinae ab ipsis attributis, ut ipsa natura divina in se et secundum se considerata dicatur essentia vel natura, ut vero est motiva intellectus ad actum intelligendi dicatur veritas et ut est motiva voluntatis ad actum amandi dicatur bonitas; et sic de aliis.

cod. P
fol. 79 V^b

Sic autem dicendo responderi potest ad argumentum in oppositum. Cum dicitur quod plura secundum rationem et cetera non sunt plura et distincta nisi ex comparatione ad plura secundum rem, fallit. Quia in creatura differt verum et bonum ex comparatione ad unum solum secundum diversas rationes in ipso, quae sunt bonitas in voluntate divina et sapientia in eius intelligentia quae, unum ² dicunt in re, sed diversa in ratione. Recto enim ordine rationis a reali simplicitate divinae essentiae secundum rationem intelligendi ipsius intellectus divinam essentiam secundum se apprehendentis primo concipiuntur diversae et distinctae rationes attributorum; et ex eadem secundum diversas rationes attributorum procedunt diversae et realiter distinctae emanationes personarum et, mediantibus diversis personarum emanationibus, procedit a divina essentia universitas creaturarum. Falsum ergo supponitur quod diversitas attributorum sumitur ex distinctione rerum, cum sit e converso. Sciendum est ergo quod, quamvis diversitas rationum in creatura non habeat esse nisi per comparationem ad rem extra, non tamen ad diversas res correspondentes illis diversis rationibus, sed solum ad eandem secundum diversas rationes in ipsa; et accipitur huiusmodi diversitas secundum rationem circa rem quae de se est in potentia ad talem diversitatem, partim ab extrinseco, partim ab operatione intellectus.

cod. P
fol. 80 R^a

Sed est alia diversitas secundum rationem circa rem ex mera operatione intellectus; et tunc non requiritur respectus ad aliquid extra, sed accipitur ab intra secundum quod unam et eandem rem in se ipsa, ut scilicet habet

cod. C
fol. 38 R^a

¹ ad C. — ² verum P.

esse in suo conceptu, considerat vel sub ratione diffinitionis explicantis partes rei vel sub ratione diffiniti coadunantis ¹ eas; et sic accipitur differentia rationum attributorum absque omni respectu ad aliud ².

Posset etiam dici quod diversitas huiusmodi rationum reducitur ad aliquam diversitatem realem intra ipsam divinam essentiam quae est diversitas personarum et personalium emanationem. Cum enim omnia attributa divina pertinent ad intellectum vel ad voluntatem, Filius autem procedit per modum naturae et intellectus, Spiritus Sanctus ³ per modum libertatis et voluntatis, quaecumque in attributis pertinent ad intellectum reducuntur et habent respectum ad emanationem Verbi et cetera, ut sic ab intellectu divinam essentiam in se ipsa apprehendente non concipiantur diversae rationes sapientiae et intellectus, amoris | et bonitatis nisi ex respectu ad emanationem personarum. Sed quia, ut communiter supponitur ⁴, talis distinctio secundum rationem plurium circa unam rem non contingit ex ipsa re secundum se, nec ex ea ut cadit sub simplici apprehensione intellectus, sed in quantum cadit sub apprehensione intellectus aliqua plura ad invicem conferentis vel comparantis, videtur quod in essentia divina non potest esse distinctio sapientiae et bonitatis nisi in quantum essentia divina apprehenditur ab intellectu comparante ipsam ad aliqua plura vel nisi aliqua plura comparentur ad ipsam, quod non potest esse nisi comparetur ad extra.

cod. V
fol. 98 Va

Unde, non obstantibus rationibus iam positis, videtur esse tenendum contrarium eius quod concludunt. Quod enim in uno omnino simplici et indistincto secundum rem ponantur aliqua plura et distincta pure secundum rationem absque comparatione ad aliqua, quae aliquo modo differunt ab eo in quo huiusmodi distincta sola ratione ponuntur, est impossibile, alioquin ab uno eodem modo se habente secundum rem et secundum | conceptionem sumeretur unitas et pluralitas. Cum igitur essentia divina ut secundum se consideratur non sit nisi quid indistinctum omnino simplex re et ratione, non potest dici quod absque comparatione eius ad aliquid in quo invenitur diversitas rei vel rationis talis distinctio possit esse, quia, cum apprehenditur id quod omnino unitum et simplex est sub ratione quae sibi competit secundum se et absque habitudine ad aliquid in quo sit aliqua distinctio, sicut apprehensum non est nisi unum secundum rem, ita nec potest apprehendi nisi secundum unam et simplicem rationem; et sic in essentia divina, cum apprehenditur secundum se, non apprehenditur nisi una res simplicissima et sub una et simplicissima ratione; et sic non potest accipi ibi movens et motum sive ratio moventis et moti et intelligentis ⁵ et intellecti

cod. P
fol. 80 Rb

¹ adunantis C. — ² aliquid C. — ³ Sancti PC. — ⁴ et dicunt isti *supra scrips. alia m. V.*
⁵ intelligibilitatis PC.

et cetera, ut aliquo modo differentia. Non enim potest intellectus divinus se ipsum apprehendere sub alia ratione sapientem et bonum vel intelligentem et intellectum ex comparatione suae essentiae ad id quod dicitur intelligens et intelligibile vel huiusmodi ut ad differentia quaedam secundum se; nec illa etiam, scilicet intelligibile et intelligens, potest circa suam essentiam apprehendere ut differentia quaedam ex comparatione eorum ad invicem vel ut mutuo se respicientia nisi iam in sua differentia existere supponantur sive quamdam differentiam importantia. Quae enim apprehenduntur ut quaedam differentia mutuo se respicientia et quae etiam operatione intellectus ut differentia ad invicem comparantur, iam in sua differentia existere supponuntur. Quae autem operatione rationis vel intellectus ¹ habent quod sunt quaedam entia secundum rationem et ad invicem ratione differentia, non possunt dici constitui in tali suo esse et habere differentiam hanc secundum rationem ² ex comparatione eorum inter se per operationem rationis vel intellectus; immo ista secunda operatio ³ primam necessario supponit, ita quod primo per operationem unam rationis in esse distincto tali constituuntur et secundo per aliam operationem intellectus sic distincta ad invicem comparantur. | Sicut enim cum res naturae absolute ad invicem comparantur supponuntur habere esse distinctum secundum rem, sic etiam cum res rationis ad invicem comparantur supponuntur habere distinctum esse secundum rationem.

cod. P
fol. 80 Va

Ergo si intellectus divinus apprehendit suam essentiam ut differentem secundum rationem ab attributis et etiam ipsa attributa ut differentia ratione et sub hac differentia ista ad invicem comparat, in ipsa secundum se actualiter sunt ista ut sic differentia, et sub | sua | actuali distinctione quam sic habent secundum se movent intellectum divinum ut illa sic distincta concipiat et ad invicem comparet, hoc autem non videtur conveniens. Ergo videtur quod ista pluralitas et distinctio accipiat ex comparatione divinae essentiae simplicis secundum rem et rationem, ut secundum se consideratur, ad aliqua quae secundum se diversitatem et distinctionem important. Quaecumque enim differunt aut habent differentiam secundum se sive ex se ipsis formaliter per illud ⁴ quod sunt secundum se ipsa absque comparatione ⁵ ad alia ⁶ differentia, talia differunt secundum rem; alia autem sunt quae habent pluralitatem sive differentiam ex comparatione ad aliqua realiter differentia et ista differunt ratione. Et hoc patet in creaturis. Nam, supposita unitate formae speciei secundum rem, in illa distinguit intellectus rationem generis,

cod. V
fol. 98 Vb
cod. C
fol. 38 Rb

¹ rationis vel intellectus] intellectus vel rationis PC. — ² comparationem P. — ³ comparatio C. — ⁴ formaliter per illud] per illud formaliter C. — ⁵ operatione C. — ⁶ illa C.

et differentiae quae dicuntur non diversae res, sed diversae rationes. Sed haec diversitas non posset accipi in illa re una et simplici nisi per intellectum compararetur ad aliqua realiter differentia et ¹ secundum quendam ordinem illi unice ² rei ³ convenientia. Unum et idem etiam non haberet diversas rationes veri et boni, nisi intelligere et velle illud unum et idem subiecto essent alicubi actus realiter diversi et ad invicem ordinati. Hoc etiam patet in Deo, quia, circumscripta comparatione omnimoda ad diversas essentias creaturarum realem diversitatem importantium, essentia divina non apprehenderetur ab intellectu divino sub ratione diversarum idearum vel formarum sola ratione differentium, sed sub una simplici ratione omnino indistincta.

cod. P
fol. 80 V^b

Videtur ergo dicendum quod, sicut divinus intellectus apprehendens suam essentiam secundum rem unam et simplicem, virtute tamen omnium perfectiones quantumcumque limitatas et determinatas continentem propter quod est imitabilis a quibuscumque rebus quascumque perfectiones determinatas importantibus, intelligendo illam essentiam ut unam secundum rem intelligit tamen illam ut aliquo modo multiplicem secundum rationem, sive intelligit in illa una re multa secundum rationem, in quantum apprehendit eam sub alia ratione imitabilem a leone et sub alia ab asino, et hoc in quantum asinus et leo secundum diversas perfectiones diversorum graduum ipsam perfectionem divinam sunt participabiles et imitabiles — istae autem distinctae imitabilitates quae in Deo apprehenduntur ab eius intellectu ex tali comparatione et habitudine ad diversitatem realem creaturarum dicuntur ideae sive formae exemplares quae sunt et ⁴ ratio cognoscendi diversas res et ratio producendi easdem; — ita intellectus divinus suam essentiam secundum rem simplicem, virtute tamen omnium entium perfectiones simplices et absolutas absque limitatione et defectu continentem apprehendens ut propter eminentiam suae perfectionis eisdem perfectionibus eminentius est perfectus, intelligit illam essentiam ut unam secundum rem, multiplice perfectione secundum rationem differentem perfectam. Et si non apprehenderet quod creatura diversis perfectionibus realiter differentibus perficeretur in quantum est bona et sapiens sive quod ista diversas perfectiones important in creatura, non apprehenderet etiam se sub alia ratione perfectum sapientia et sub alia perfectum bonitate; nec apprehenderet differentiam secundum rationem inter suam sapientiam et suam bonitatem nisi coapprehenderet ⁵ differentiam secundum ⁶ rem sapientiae et bonitatis creaturae. Non videtur

¹ om. C. — ² unitae PC. — ³ om. C. — ⁴ etiam V. — ⁵ apprehenderet C. — ⁶ rationem — secundum] om. P.

ergo bene dictum quod potest esse aliqua diversitas secundum rationem circa rem aliquam simplicem, omnino facta circa eam sola et mera operatione intellectus absque habitudine et comparatione aliqua ad aliquam diversitatem realem. Immo ad omnem | diversitatem secundum rationem tria requiruntur, scilicet ipsa res secundum rem circa quam accipitur talis differentia | rationis ut fundamentum talis diversitatis, ne sit intellectus vanus illam rem apprehendens, quia talis diversitas non habet esse in ipsa re secundum se, sed secundum quod sub apprehensione cadit intellectus; et aliqua realis diversitas ad quam illud unum per intellectum comparetur, quia intellectus illud quod est unum et simplex in se apprehendens secundum se, non secundum habitudinem ad aliqua diversa, non potest apprehendere nisi sub una simplici ratione. Unde, quamvis possit dici quod huiusmodi multitudo perfectionum attributalium in ipsa essentia divina, quae secundum se est obiectum intellectus, continetur in virtute et quasi in potentia in essentia, ita quod per actum intellectus ipsius sint reducibiles quasi de potentia ad actum et distinguibiles secundum actum, non tamen debet dici quod huiusmodi quasi potentia possit reduci ad actum et quod possit fieri quasi talis distinctio actualis operatione intellectus ipsam divinam essentiam in se ipsam secundum se ipsam absque¹ omni habitudine ad diversa considerantis.

cod. V
fol. 99 Ra

cod. P
fol. 81 Ra

Respondendum est ergo ad argumenta contra hanc positionem in corpore | solutionis inducta. Et est dicendum ad primum quod Deus comparatur ad creaturam non solum sub ratione causalitatis, in quantum scilicet in se prae habens omnes perfectiones rerum secundum quas est imitabilis a creaturis secundum diversas perfectiones creaturarum illas et cognoscit et efficere potest, — nec hoc modo accipitur ratio distinctionis attributorum in Deo, sed magis ratio distinctionis idearum, — sed secundum rationem eminentiae, in quantum scilicet omnibus perfectionibus, quae scilicet sunt perfectiones simpliciter et absolute quibus perficitur creatura in seipsa, est eminentissime perfectus; et hoc modo accipitur ratio distinctionis attributorum. Unde Deus non dicitur sapiens solum secundum hoc quod sapientiam efficit, sed quia perfectione secundum quam sapientes sumus et secundum virtutem qua sapientes nos facit ipsum aliquatenus imitamur, et² ipse eminentius perficitur eo quod per sapientiam significatur quam creatura. Sed omnes istae perfectiones consideratae ut in Deo sunt simpliciter et absolute non sunt nisi quid unum simplex omnimode indistinctum re et ratione, sed

cod. C
fol. 38 Va

¹ ab *add.* V. — ² etiam PC.

cod. P
fol. 81 R^b

sub rationibus distinctis haec apprehenduntur ab intellectu dicto modo naturam divinam in comparatione ad realiter differentia conferente.

Ad secundum est dicendum quod, circumscripta omni habitudine et comparatione ad res extra, id quod in divinis habet rationem principiandi emanationes personales, quod est id quod nomine intellectus et voluntatis significamus, vere est et vere principiat huiusmodi emanationes; sed non apprehenditur sub istis diversis rationibus, sed solum sub ratione essentiae divinae ut ei coniungitur respectus realis; et sic verum est quod, circumscripta comparatione ad creaturas, ea quae sunt principia emanationum personalium in Deo habent esse et intelligi sub rationibus distinctis. Sed talia non sunt quae ¹ per distinctas rationes attributorum ut sic intelliguntur; nec ratio et voluntas, ut sub istis rationibus distinctis intelliguntur ², sunt principia emanationum personalium, sicut nec ipsa essentia secundum se. Sed, quia huiusmodi principia emanationum et etiam ipsis emanationibus quaedam secundum quamdam proportionalitatem tam in principia quam in emanationibus in creaturis respondent, ut natura vel intellectus et voluntas, quae respondent ³ principia, et actus quo producitur verbum in intellectu et quo producitur amor in voluntate, ideo etiam Deus suo intellectu apprehendens suam | essentiam ut est ratio principiandi dictas emanationes in habitudine ad diversa principia et diversas emanationes in creatura intellectuali secundum intellectum et voluntatem, accipit etiam illa principia in se sub ratione principiandi per modum intellectus et voluntatis.

cod. V
fol. 99 R^b

Item, hoc patet ex hoc quod talis distinctio secundum rationes proprias attributorum secundum rationem intelligendi non videtur praesupponi emanationi personarum, sed quod distinctio principiorum istarum emanationum distinctarum secundum rationem intelligendi praesupponatur in quantum sunt principia naturae divinae secundum se et naturaliter, non operatione intellectus convenientia; nam, cum Verbum productum intelligatur quasi terminus intellectualis operationis in quo omnino perficitur et quasi completur intellectualis operatio in quantum ipsum est expressivum et determinativum omnium quae in ipsa essentia secundum se quasi in | volute continentur, prout aliqui loquuntur de Verbo, videtur quod non possit intelligi aliqua actualis et completa distinctio aliquorum attributorum intellectorem nisi Verbo iam producto et in ipso Verbo, sicut patet de ideis quae, etsi sint in divina essentia, non tamen sunt in ea nisi ut cadit sub intellectu perfecto et quasi completo per Verbi productionem; unde per appropriationem in Verbo esse dicuntur, prout dicit Augustinus, sexto

cod. P
fol. 81 V^a

¹ om. C. — ² nec — intelliguntur] om. P. — ³ responderet V.

de Trinitate, quod Verbum est ars Patris plena omnium rationum viventium; unde universaliter quaecumque Deus perfecto et distincto intellectu intelligit, in Verbo iam producto intelligit. Ex quo patet quod nulla actualis distinctio aliquorum ratione differentium potest accipi in Deo et ab intellectu divino ut praecedens aliquo modo productionem personarum, nec intelligendo ipsam essentiam secundum se, nec etiam per comparisonem ad diversitatem realem personarum et emanationum personalium, quia talis distinctio videtur sequi distinctionem personarum et personalium emanationum. Si ¹ enim talis distinctio sic differentium secundum rationem non potest esse nisi operatione intellectus sic unam rem apprehendentis, ante operationem vero intellectus divini qua producitur Verbum non est alia operatio prior etiam secundum rationem intelligendi qua constituatur aliqua distinctio secundum rationem circa ea quae ad ipsum Deum pertinent, quia primus actus intelligendi in Deo est principium emanationis Verbi. Supposita proprietate relativa, cum producat Verbum naturaliter actu naturali ipsius intellectus, nec etiam illa emanatione supposita, potest intelligi distinctio secundum rationem attributorum quae important perfectiones absolutas absque comparatione ad extra; nam, cum Deus intelligit se ut producentem Verbum et Spiritum Sanctum tali et tali productione, ex hoc non accipit distinctionem vel aliqua distincta nisi secundum respectus

cod. C
fol. 38 V^b

cod. P
fol. 81 V^b

reales. Nec aliquam distinctionem secundum absolutas perfectiones ex hoc accipere potest, sed omnimodam unitatem et indistinctionem, quia illae processiones nullam causant distinctionem in essentia et in essentialibus. Sed ex hoc quod supponitur emanatio personarum potest accipere distinctionem secundum rationem essentiae divinae ² ad suas proprietates, in quantum ex diversitate proprietatum in una essentia fundatarum potest accipi aliqua distinctio secundum rationem in essentia prout ad diversa realiter comparatur, non tamen ita quod distinctio haec quae est secundum rationem ³ intelligendi praecedat emanationem personarum, sed ipsa emanatione quae est id quod primum est in divinis supposita sit talis distinctio.

Ad tertium dicendum quod considerando id rei et perfectionis simpliciter quod significatur per nomina attributorum et id quod eis quasi materialiter et fundamentaliter substat ⁴ in Deo, non est ponendum quin ista convenient Deo secundum se sine comparatione ad creaturas; quia quicquid perfectionis est in creaturis per participationem contingit eis ex habitu ad id quod est virtute omnis perfectio essentialiter quod est ipsum esse divinum infinitum, non autem e converso. Et dicendum secundum

cod. V
fol. 99 V^a

¹ sic *corr.* 2a m. C. — ² divina P. — ³ secundum rationem *bis* PC. — ⁴ substant P.

haec quod id quod nomine sapientiae vel bonitatis vel alicuius alterius attributi intelligitur perfectissime esse habet in Deo; et est Deus vere sapiens, bonus et cetera, sive id quod per ipsas perfectiones importatur, etiam circumscripta omni operatione intellectus ipsum ad perfectiones creaturarum comparantis. Sed, quia considerando sic divinam essentiam secundum se absque omni habitudine ad extra non potest apprehendi sub diversis rationibus, ut dictum est, ideo omnes huiusmodi perfectiones attributales quibus sic Deus in se est perfectus apprehenderentur¹ unite et indistincte et sub una simplici ratione infinitatis divinae essentiae; unde, considerando id formalis rationis sive id secundum quod formaliter et actualiter distinguuntur huiusmodi rationes attributales, sic non conveniunt haec Deo sub huiusmodi, scilicet rationibus formaliter et actualiter distinctis, circumscripta comparatione vel habitudine essentiae divinae ad diversas perfectiones creaturae et operatione intellectus; et sic non diceretur Deus sapiens distincta et propria ratione et bonus alia ratione etiam² propria et distincta; nec sapientia et bonitas possent importare distinctas rationes circa Deum. Et haec est intentio Commentatoris, duodecimo Metaphysicae, ubi loquens de hac materia dicit quod vita, sapientia et cetera dicuntur proprie de Deo, et dicitur vere et proprie Deus vivens et sapiens et cetera. Talia autem et³ consimilia quae significantur per modum dispositionis et dispositi in rebus immaterialibus reducuntur ad unum in esse et ad duo⁴ in consideratione; intellectus enim innatus est dividere adunata in esse; sed in rebus compositis, cum disponit compositum vel habentem formam, per formam intelligit utraque adunata aliquo modo et differentia alio modo. Quando autem fuerint considerata dispositum et dispositio in immaterialibus tunc reducuntur ad unam intensionem omnino et nullus modus erit quo praedicatum distinguetur a subiecto et disposito extra intellectum, scilicet in essentia rei. Sed nullam differentiam intellectus intelligit inter ea in essendo nisi secundum acceptionem, scilicet quia idem recipit dispositum et dispositionem ut duo quorum proportio est ad invicem sicut proportio praedicati ad subiectum. Intellectus enim intelligere potest idem his duobus modis secundum similitudinem ad propositionem categoricam in rebus compositis sicut intelligit multa secundum similitudinem. Secundum hanc igitur intensionem Commentatoris, attributa omnia significant unam rem omnino indistinctam extra intellectum, sed distinctam secundum respectus vel rationes diversas in intellectu per operationem intellectus modo supradicto.

Ad quartum dicendum quod, circumscripta dicta habitudine, divinitas

cod. P
fol. 82 Ra

¹ apprehendetur C — ² et C — ³ om C — ⁴ duos PC

non posset¹ concipi sub ratione sapientiae et bonitatis, ut sub rationibus formaliter distinctis. Posset tamen apprehendi divinitas sub ratione essentiae sive entitatis suae; nam haec est prima ratio sub qua potest aliquid esse obiectum intellectus. Unde non potest Deus se intelligere nisi sub ratione suae entitatis vel essentiae, quae est formalis ratio qua se ipsum intelligit. Bonitas autem, sapientia et cetera important distinctas perfectiones, quae | sub illa prima ratione essentiae divinae sub qua Deus se intelligit, implicite et unite continentur; et ideo, ad hoc quod sub actuali et formali distinctione et ab ipsa essentia et inter se apprehendantur, oportet quod Deus sub dicta habitudine apprehendatur. Ex quo patet quod, etiamsi Deus posset rationem suae essentiae apprehendere secundum se absque dicta habitudine, non tamen posset eam apprehendere ut distinctam secundum rationem a ratione sapientiae et aliorum attributorum; sed oportet quod appren | datur sub habitudine ad creaturas | ubi realiter differunt essentia et sapientia et cetera. Potest tamen apprehendi essentia divina ut distincta ratione² a proprietate relativa³ personarum absque habitudine ad creaturas, non tamen absque habitudine ad differentia realiter re relativa. Quia enim proprietates⁴ relativae⁵ realiter distinguuntur ab invicem et proprietates quae est in una persona non est in alia, essentia autem non distinguitur, sed id essentiae quod est in una persona est etiam in alia, ideo potest apprehendi etiam ipsa essentia ut differens ratione a qualibet proprietate.

cod. P
fol. 82 R^b

cod. C
fol. 39 R^a
cod. V
fol. 99 V^b

Ad quintum patet solutio ex his quae dicta sunt ad primum; nam rationes ideales dicuntur ipsa essentia divina ut sub diversis et quodammodo limitatis rationibus apprehenditur imitabilis a perfectionibus creaturarum realiter limitatis; unde rationes ideales non important perfectionem divinam sub ratione absoluta vel ut perfectionem simpliciter et absolute, sed sub quadam quasi contractione et limitatione. Accipiuntur etiam ex habitudine ad creaturam secundum rationem causae, scilicet ut sunt rationes non solum cognoscendi, sed etiam efficiendi in producendo ipsas creaturas in existentia. Perfectiones autem attributales dicuntur ipsa essentia divina ut sub perfectionibus diversis limitationem et contractionem non importantibus ipsam essentiam in se ipsa perficientibus apprehenditur. Unde important perfectionem divinam sub ratione absoluta vel, ut dicunt, perfectionem simpliciter et absolute et | absque contractione vel limitatione. Accipiuntur etiam in comparatione ad perfectiones creaturarum non secundum rationem causae, sed secundum rationem eminentiae, prout dictum est.

cod. P
fol. 82 V^a

Per iam dicta ad tertiam rationem patet solutio ad illud quod ultimo

¹ potest C. — ² et *add.* C. — ³ realiter C. — ⁴ proprietate C. — ⁵ relativa C.

et sexto arguebatur : quia, circumscripta huiusmodi comparatione vel habitudine, Deus bene intelligeret se esse bonum et sapientem et cetera quantum ad id perfectionis realis quod importatur per hoc et in eo esset realiter id quod per intelligere et velle vel amare importatur et esset in eo id quod per bonum et verum quae sunt obiecta voluntatis et intellectus importatur. Sed omnia haec essent in eo unite. Et etiam sub una ratione intelligeret Deus essentiam suam quantum ad omnia ista, nec intelligeret se sub alia ratione ¹ ut ² bonum et sub alia ut verum et sub alia ut intelligentem et sub alia ut volentem ; nec apprehenderentur ista ut differentia ratione ; immo in eo essent idem re et ratione verum et bonum, intellectus et voluntas, intelligere et amare et cetera.

Ad argumentum vero quod ad quaestionem principaliter inducebatur est dicendum quod verum est ubi est invenire maiorem distinctionem potest minor inveniri, sed non oportet quod eodem modo in natura. Ergo, *in* divina invenitur maior distinctio secundum quod ipsa essentia divina indistincta in se tribus personis realiter distinctis indivisa communicatur ; et ideo etiam in ea bene est minor distinctio, scilicet secundum rationem distinctorum ut idearum et attributorum. Sed, quia prima distinctio habet esse ex natura divina secundum se absque aliqua comparatione ad aliud, ideo per operationem intellectus ad esse talis distinctionis non requiritur quod ad aliud comparetur. Sed, quia alia distinctio non habet esse nisi per operationem intellectus considerantis naturam divinam non secundum se et absolute, sed in habitudine ad diversa secundum rem, ideo hoc non potest esse nisi ex comparatione divinae essentiae ad aliquid extra ipsam, ad hoc etiam est dicendum quod, supposita tali distinctione | reali intrinseca quae maior est, potest etiam ibi esse alia distinctio secundum rationem quae minor est, etiam absque comparatione ad extra ; sed illa non est attributorum | propter causas praedictas, sed ipsius essentiae divinae ad ipsas proprietates et ad emanationes et secundum quaedam alia talia.

cod. P
fol. 82 V^b

cod. V
fol. 100 R^a

¹ om. C. — ² in *add.* C.

QUAESTIO II.

Utrum distinctio personarum in divinis fiat per absoluta vel relativa.

Deinde circa pertinentia ad Deum quantum ad distinctionem personarum quaerebantur quaedam pertinentia ad distinctionem personarum generaliter, quaedam ad distinctionem personarum quarundam specialiter. Circa primum quaerebatur unum, scilicet utrum distinctio personarum in divinis fiat per absoluta vel relativa.

Et arguitur quod per absoluta. Quia non potest negari fieri distinctionem personarum per absoluta nisi propter hoc quod componantur duo praedicamenta in divinis, scilicet substantia ratione essentiae quae communicatur et relatio ratione proprietatum¹ relativarum secundum quas dicitur fieri distinctio personarum quibus essentia communicatur, si poneretur fieri huiusmodi distinctio per absoluta, tollerentur respectus sive relationes in divinis² vel communicatio essentiae divinae; sed per hoc nullum istorum tollitur; ergo non debet negari per talia fieri distinctionem. Maior patet. Minor probatur: primo, quantum ad primum articulum; quia, quanto aliqua res est magis absoluta et minus dependens ab alia, tanto plures respectus in ea possunt fundari eo quod quanto est magis absoluta tanto magis est activa; ad omnia autem producta vel productibilia habet respectum; ergo, posito quod in divinis fiat distinctio personarum | per³ absoluta, nihilominus fundabuntur in Deo respectus diversi. Dicta minor etiam probatur quantum ad secundum articulum; quia, ut iam dictum est, quanto aliquid est magis absolutum tanto magis est activum vel productivum; sed illud quod est causativum vel productivum aliquorum in hoc se ipsum communicat; ergo, posito quod in divinis fiat distinctio personarum per absoluta, nihilominus poterit dici quod divina essentia pluribus communicatur.

cod. C
fol. 39 R^b

Contra. Per illud quod non multiplicatur non potest fieri distinctio plurium personarum; sed | absoluta in divinis quae sunt essentialia non multiplicantur, sicut nec ipsa essentia; ergo et cetera.

cod. P
fol. 63 R^a

¹ ratione proprietatum] proprietatum ratione PC. -- ² diversis C. -- ³ om. C.

Respondeo dicendum quod secundum veritatem fidei nobis in Scriptura praecipue evangelica revelatae¹ tenendum est esse unitatem in trinitate et trinitatem in unitate quae exprimitur per trinarium personarum : Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, quod tamen in hac vita intellectu perfecte capere non possimus; propter² quod, qui hanc unitatem cum trinitate conati sunt ultra vires intelligere ex eis quae in unitate et distinctione creaturarum inveniuntur in diversas haereses inciderunt inter quas duae videntur extrema tenere, scilicet haeresis Arriani et Sabelli.

Nam Arrianus, volens tenere veram et realem distinctionem suppositorum Patris et Filii et Spiritus Sancti et³ non potens intelligere quod una essentia indistincta habet esse in suppositis realiter ab invicem diversis⁴ et distinctis, posuit⁵ quod personae essentialiter ab invicem sunt distinctae; et, cum essentia divina sit omnino indivisibilis, oportuit eum ponere quod sola persona prima esset Deus et quod aliae essent creaturae nobilissimae. Unde non ponebat hanc trinitatem in⁶ unitate⁷ essentiae divinae convenire⁸ nec quamlibet personam esse Deum. Sabellius autem e converso, volens tenere summam unitatem et indistinctionem essentiae in tribus personis, volens etiam propter auctoritatem Sacrae Scripturae distinctionem personarum in Evangelio expressarum aliquantulum ponere in ipsa unitate essentiae, ita quod divinitas de qualibet vere praedicaretur⁹ et quaelibet¹⁰ vere Deus diceretur, non potens tamen intelligere quomodo, servata unitate essentiae divinae, posset in ea intelligi pluralitas aliquorum realiter et supposito ab invicem differenciarum, sed omnis multitudo quae intelligi potest circa unitatem simplicis naturae videtur esse distinctorum solum secundum rationem et non ponere aliquam pluralitatem extra intellectum, posuit quod sicut¹¹ non est nisi una essentia secundum rem in qua accipi possunt multa attributa distincta solum¹² secundum¹³ rationem, ita quod deitas ut intelligitur esse sapientia distinguitur secundum rationem a se ipsa ut intelligitur esse bonitas et cetera, ita etiam ponebat quod in Deo non est nisi una persona vel unum suppositum absolutum realiter indivisum et indistinctum, sed secundum rationem multiplicatum; et illud unum et idem suppositum dicitur Pater et dicitur Filius et dicitur Spiritus Sanctus sub alia et¹⁴ alia ratione. Arrianus ergo posuit distinctionem personarum fieri per absoluta realiter et essentialiter distincta; Sabellius autem per quaedam relativa relationem secundum rationem importantia solum.

cod. V
fol. 100 R^b

cod. P
fol. 83 R^b

¹ om. C — ² om. P. — ³ om. C. — ⁴ divisio V. — ⁵ possuit V. — ⁶ et C. — ⁷ unitatem corr. 2^a m. C. — ⁸ divinae convenire] convenire divinae C. — ⁹ praedicatur PC. — ¹⁰ quaelibet C. — ¹¹ sic C. — ¹² bis P. — ¹³ et dicitur Filius — et] om. C, et Filius et Spiritus Sanctus *add. marg.* 2^a m. C.

Nunc autem fides catholica¹ viam tutissimam mediam tenens ponit unitatem essentiae indivisae realiter, trinitatem autem personarum realiter ab invicem distinctarum. Isto autem posito, certa ratione potest sciri quid repugnat² isti distinctioni et quid est illud sine quo non potest habere esse talis distinctio, licet³ non potest perfecte intelligi quomodo habet esse, sicut nec potest sciri quod habet esse.

Sed circa hoc sunt diversi modi ponendi. Nam quibusdam videtur quod haec distinctio non possit fieri per relativa; quia, — cum proprietates relatae comparetur ad essentiam in qua fundatur⁴ et ad terminum oppositum ad quem eius respectus vel habitudo terminatur et ad quem per ipsam relationem suppositum refertur; per⁵ comparisonem autem⁶ ad essentiam non habet distinctionem aliquam facere vel importare, quia sic est id ipsum quod essentia; per comparisonem autem ad oppositum terminum non per se habet aliquid distinguere, sed solum habet aliquid ad aliud vel ad alterum referre; illud autem de cuius ratione est per se solum ad aliquid referre non videtur constituere illud quod refertur⁷, sed videtur illud supponere constitutum et sic etiam ab illo ad quod per relationem referri habet distinctum, — difficile est videre quomodo relatio possit esse constitutiva et distinctiva suppositi quod per ipsam refertur. Hoc enim omnino in creaturis est impossibile; propter quod videtur quod per relationes non possunt personae divinae constitui et | distinguere, sed oportet quod relationes ipsas supponant constitutas et distinctas. Cum enim essentia divina non referatur relationibus, sed suppositum, non videtur quod oppositae relationes possint immediate intelligi vel fundari vel esse in ipsa essentia omnino indivisa; quare videtur | quod circa ipsam praeintelligantur quaedam absoluta aliquam distinctionem importantia circa ipsam; et per illa oportet supposita praeconstitui et per relationes actus notionales consequentes et ipsis quasi supervenientes referri. Haec autem absoluta non sunt aliqua per modum informationis et perfectionis se habentia, sicut sapientia, bonitas et cetera, quae sunt essentialia et communia; sed sunt quendam modum habendi determinatum essentiae divinae importantia.

Sed istud⁸ non valet; nam, secundum Augustinum et alios, quicquid est in divinis est pure relatio vel respectus vel pure substantia vel absolutum; ergo illud per quod fit distinctio et constitutio personarum una cum ipsa essentia communi vel est pure relativum vel est pure absolutum. Non absolutum, quia per illud quod reperitur in qualibet persona non

cod. P
fol. 83 Va

cod. C
fol. 39 Va

¹ catholicam V. — ² repugna P. — ³ sed C. — ⁴ fundetur PC. — ⁵ ad P, et *1^a m. C.* — ⁶ aut P. *1^a m. C et V.* — ⁷ refert V. — ⁸ illud C.

potest fieri distinctio personarum; sed quicquid non significat relationem
] in divinis, sed est absolutum et ad essentiam pertinens, secundum
 Augustinum¹, in qualibet persona singulatim reperitur et de tribus simul
 collectis in singulari praedicatur, non sic autem quod relationem realem
 importat; ergo per absolutum non potest fieri distinctio, sed per respec-
 tivum. Quaecumque enim essentialia, quibuscumque modis intelligantur
 vel nominentur, sola ratione ab invicem et ab essentia differunt et ideo per
 essentialia non possunt in divinis aliqua esse distincta realiter secundum
 suppositum, sed sola ratione, ut ponebat Sabellius. Certum est ergo quod
 per absoluta non potest fieri distinctio personarum, quia vel essent solum
 distinctae personae secundum rationem vel essent distinctae secundum
 essentiae realem divisionem et distinctionem. Sicut enim non potest intelligi
 quod sunt plures relationes nisi sint realiter multiplicatae et ab invicem
 distinctae, ita non potest intelligi quod sint plures substantiae vel essentiae
 absolutae] quin sint realiter multiplicatae et ab invicem divisae. Dicere
 ergo quod *sunt*² aliqua absoluta quae sunt propria personis, cum illud
 quod est ut proprium in una non sit in alia, est ponere realem distinc-
 tionem in essentia divina, quod est impossibile.

Oportet ergo ponere personas realiter distinctas per relativa³ quae
 distinctionem [et]⁴ realem important inter se propter oppositionem quam
 habent et tamen distinctionem in essentia non faciunt, quia sunt realiter
 idem cum ipsa. Oppositae autem sunt inter se secundum rationem et rela-
 tionem originis, quia important hoc quod est esse ab alio vel a quo alius⁵;
 idem autem sunt cum essentia et nullam faciunt compositionem cum ea;
 et per consequens nec plures res vel personae eis constitutae, quia in ipsa
 substantia immediate fundantur ipsae relationes et non mediante aliquo
 accidente. Unde et substantiales relationes, non accidentales dicuntur, et
 sic, sicut essentia secundum se non dividitur, ita etiam nec per huiusmodi⁶
 relationes ipsa dividitur. Tamen ut comparantur ad ipsam sunt⁷ id ipsum
 quod ipsa; propter quod cum illarum pluralitate stat⁸ unitas essentiae,
 propter oppositionem tamen quam habent ut⁹ ad invicem comparantur
 realiter distinguuntur, nec una potest de alia praedicari, nec simul possunt
 esse in eodem quod per ipsas referatur, quia idem reali relatione ad se
 ipsum referri non potest. Unde qui ponunt quod plures relationes reales
 possunt habere unum fundamentum in quo fundantur et cum hoc unum
 quod sit subiectum et suppositum quod referatur et quod etiam¹⁰ sit terminus

¹ et *add.* 2^a m. C. — ² sicut. — ³ relativam PC. — ⁴ per — et] *om.* C; per relationem
 quae distinctionem *in marg.* 2^a m. C. — ⁵ alicuius C. — ⁶ huius. — ⁷ sicut PV *et* 1^a m. C.
 — ⁸ *om.* PV *et* 1^a m. C. — ⁹ prout *corr.* 2^a m. C. — ¹⁰ non [?] *corr.* 2^a m. C.

ad quem ¹ habitudo relativa terminatur, nullo modo videntur posse ponere vel saltem ostendere pluralitatem suppositorum in divinis.

Ad distinctionem personarum ergo in unitate essentiae indistinctae oportet supponere essentiam omnino indivisibilem in plura supposita, communicabilem per diversos modos habendi illam, ut personae intelligantur distinctae ex hoc quod unam et eandem ² essentiam habent secundum alium et alium modum habendi. Unde alietas personarum consistit in alietate modi habendi | essentiam, ita tamen quod illa | alietas modi habendi ³ non est nisi alietas secundum relationes originis ⁴ et non est aliquid ⁵ pertinens ad essentiam vel essentialia, vel praecedens secundum rationem intelligendi ipsas relationes quibus supposita secundum hos modos habendi distincta ad invicem referantur; sed iste alius et alius modus habendi essentiam divinam in alia vel ab alia et alia persona non est nisi ipsa proprietas relativa per quam et constituitur persona in esse personali et ab alia ⁶ distinguitur et ad aliam refertur relatione originis. Isti enim modi habendi essentiam divinam distincti non sunt nisi hi: habere eam, scilicet non ab alio, sed sicut a quo alius, cum non habeat eam sibi communicatam, hoc autem est eam habere sub vi vel cum vi activa, quae ⁷ est vis generandi et spirandi active; et habere eam ab alio vel ut ab alio sibi communicatam, hoc est eam habere sub vi vel cum vi quasi passiva quae est vis generandi vel spirandi quasi passive; sicut etiam esse talem, ut a quo alius, non est nisi esse generative vel spirative; et esse talem, ut qui ab alio, non est nisi esse generatum vel spira | tum.

cod. P
fol. 84 R^a
cod. V
fol. 100 V^b

cod. C
fol. 39 V^b

Constat ergo quod diversi modi habendi quos includunt personae cum essentia non sunt nisi ipsae proprietates relativae personarum constitutivae et distinctivae. Unde dicit Damascenus, libro tertio, capitulo quinto: unaquaeque hypostasis per se ipsam existit et propriam proprietatem, scilicet existentiae modum diversum possidet; et libro primo, capitulo decimo tertio: haec omnia, scilicet bonus, sapiens, aeternus et cetera communiter in omni ⁸ deitate sunt suscipienda et eodem modo et simpliciter et impertinenter et unite; distinctive vero Pater et Filius et Spiritus Sanctus et cum causa et sine causa et ingenitum et genitum et processibile; quae non substantiae sunt significativa, sed eius quae ad invicem est habitudinis et existentiae modi. Illud autem per quod fit prima distinctio est etiam ⁹ illud per quod fit et ¹⁰ constitutio personarum divinarum; per illud enim per quod aliquid ¹¹ in se ¹² constituitur et ab alio distinguitur, et e converso; et quod

¹ habitus *add.* P. — ² intelligantur — eandem] *om.* C. — ³ essentiam — habendi] *om.* P. — ⁴ *om.* C. — ⁵ quid C. — ⁶ illa C. — ⁷ autem P. — ⁸ communi *corr.* 2^a m. C. — ⁹ et C. — ¹⁰ *om.* C. — ¹¹ aliquid C. — ¹² esse C.

cod. P
fol. 84 R^b

sit non per absoluta, sed per relativa omnes doctores dicunt. Unde Ricardus, quarto de Trinitate, capitulo decimo septimo: proprietates personalis est ex qua unusquisque habet esse is qui ipse est per quam quilibet unus est et ab omnibus aliis distinctus. Et Boetius, de Trinitate: Deus nullas habet differentias quibus differat a Deo; differentiae vero ¹ ubi absunt et abesse pluralitas. Substantia ergo continet unitatem; relatio multiplicat trinitatem; atque ideo singulatim proferuntur atque separatim quae relationis sunt; nam, idem Pater qui Filius; non est idem tamen Deus est ² Pater et Filius. Per istas enim relativas proprietates convenienter potest fieri constitutio personarum et distinctio ³. Sed tamen hoc proprium et singulare est in Deo propter eius infinitatem et illimitationem quod ponitur in ipso una essentia et tamen sunt et ⁴ distincta supposita dicto modo per relationes et sunt ista supposita in divinis vere supposita ratione essentiae quae est verissime substantia quam includunt ⁵; vere etiam ⁶ sunt distincta ratione relationum oppositarum quas important. Unde in constitutione personae oportet includi essentiam communem quasi materiale et proprietatem relativam quasi formale, sicut in constitutione speciei concurret genus et differentia. Verumtamen sciendum est quod ipsa relatio vel proprietates relativa secundum rationem ⁷ intelligendi prius habet sub ratione proprietatis sive ⁸ formae ipsam personam constituere ut suppositum quoddam distinctum, quam ad aliud suppositum distinctum secundum formam et rationem relationis referre.

cod. V
fol. 101 R^a

Ad argumentum in oppositum patet responsio. Nam, si non ponatur fieri distinctio in divinis per relationes reales oppositas originis distinguentes personas, tollentur omnes relationes reales a divinis, quia ea quae conveniunt Deo in se ipso ut sunt ipsa essentia et essentialia attributa non possunt ad invicem habere distinctionem realem, sed solum secundum rationem; et ideo nec ad invicem possunt referri relatione reali et realiter. Propter quod oportet quod ad hoc quod relatio realis sit in Deo quod hoc sit per illud quod Deo competit secundum suppositum unum et in habitudine ad aliud ad quod refertur secundum relationem originis. Unde, si Verbum in divinis non oriretur realiter a mente Patris per actum verum divinum, non esset vera relatio originis inter Verbum productum et Patrem producentem nec distingueretur Verbum a Patre per relationem realem; et sic non esset distinctio realis inter ipsos. Verum est tamen quod per hoc non tolleretur relatio rationis, tam in his quae Deo conveniunt secundum se, ut dictum est, quam in respectu ad creaturas. Posito enim, sicut infideles

cod. P
fol. 84 V^a

¹ nec C. — ² et *add.* C. — ³ personarum et distinctio] et distinctio personarum PC. — ⁴ *om.* PC. — ⁵ includit P. — ⁶ et CV. — ⁷ *om.* C. modum *in marg.* 2^a m. C. — ⁸ suae PCV; vel sive *add. in marg.* 2^a m. V.

ponunt, quod non esset aliqua distinctio realis inter personas et tamen Deus esset causa rerum, in ipso esset relatio secundum rationem ad omnes suos effectus qui ad ipsum realiter referrentur.

Patet etiam quod per hoc quod tolleretur distinctio inter personas per relationes, tolleretur communicatio essentiae divinae eo modo quo intelligimus communicari eam, quia essentia una et eadem secundum rem non posset in pluribus reperiri si tollantur ¹ proprietates vel relationes reales originis quibus originans ad originatum et e converso realiter referuntur.

QUAESTIO III.

Utrum procedere vel esse ab alio ponit aliquam indignitatem in persona procedente.

Deinde circa pertinentia ad distinctionem quarundam personarum specialiter quaerebantur duo: unum pertinens ad duas personas procedentes communiter, et unum pertinens ad Spiritum Sanctum singulariter. Primum horum erat utrum procedere vel esse ab alio ² ponit aliquam indignitatem in persona procedente; secundum vero praedictorum erat utrum Spiritus Sanctus possit dici procedere per modum voluntatis si non procederet a Filio, sed a solo Patre.

Ad primum arguitur et ostenditur quod procedere vel esse ab alio ponat aliquam indignitatem in persona procedente; quia persona quae habet minoritatem respectu alterius habet aliquam indignitatem respectu illius; sed persona producta ex eo quod ab alio | habet minoritatem respectu producentis; ergo et cetera. Maior patet. Minor declaratur: quia, secundum Hilarium, persona producens in eo quod producens habet auctoritatem et maioritatem respectu productae in eo quod producta; cum ergo maioritas et auctoritas dicant relationes quibus opponuntur minoritas et subauctoritas, oportet quod in persona producta sit minoritas et subauctoritas ³ respectu personae producentis.

cod. C
fol. 40 Ra

Contrarium arguitur. Quia persona quae non habet minoritatem respectu alterius non habet aliquam indigni | tatem respectu illius; sed persona producta ex eo quod est ab alio non habet aliquam minoritatem respectu illius a qua est; ergo et cetera. Maior patet. Minor probatur: quia, secundum eundem Hilarium, persona producta, utpote Filius, in eo quod producta, non est minor alia a qua producitur ut Patre; quare et cetera. Dicit enim Hilarius, octavo de Trinitate: donantis auctoritate maior est Pater, sed minor non est cui unum esse donatum est. |

cod. P
fol. 84 Vb

Respondeo dicendum quod, ubi est omnimoda aequalitas excludens maius et minus perfectum et omnimoda simultas excludens prius et posterius, non potest esse aliqua indignitas sive in dignitate minoritas; quod enim aliquid habeat ⁴ indignitatem respectu alterius, hoc potest esse quia non habet rem et naturam tantae dignitatis et perfectionis sicut aliud, sicut patet in artificiato producto ab artifice quod est similitudo et imago

cod. V
fol. 101 Rb

¹ tolluntur C. — ² filio C. — ³ oportet — subauctoritas] om. P. — ⁴ habet C.

eius in diversitate naturae et perfectionis, vel quia, etsi habeat rem tantae dignitatis et perfectionis quanta est in alio, habet eam cum² modo minus nobili et perfecto respectu illius, in quantum scilicet illam naturam de se non habet nisi in potentia, et ut habeat eam in actu oportet quod hoc sit virtute et perfectione alterius ipsum de potentia ad actum producentis; et sic habet esse posterius altero, ut patet in filio naturali a patre naturali producto, non obstante quod est aequalis in natura. Cum ergo persona quae est ab alia in divinis eandem essentiam omnino habeat quam habet persona a qua est, cum etiam non habeat eam de se in potentia, quia Filius in divinis non est in potentia ad actualem participationem naturae divinae quae est in Patre, nec virtute et actione Patris fit³ ut⁴ de potentia ad actum reducatur, sed simul cum Patre semper habet esse actu secundum naturam divinitatis, — ideo procedens in divinis nullam habet indignitatem vel minoritatem in dignitate respectu illius a quo procedit ex ipsa processione, nec ratione rei habitae quae est omnino eadem, nec ratione modi habendi qui non importat exitum de potentia ad actum | per alium⁵, sed semper esse⁶ in eadem actualitate quam habet alius; quia, secundum Anselmum, de Processione Spiritus Sancti, non procedit ibi aliquid quasi de non esse proficiens ad esse, sed importat tantummodo respectum sive relationem originis in quantum in illa eadem actualitate et perfectione quam habet alius ipse semper etiam habet esse, sed ab illo alio; esse autem ab alio, ex sola ratione qua⁷ ab alio, nec dignitatem nec indignitatem, quae fundantur in aliquo formali absoluto et positivo, importat. Hoc enim exigit immensitas perfectionis illius naturae divinae quod indivisa et eiusdem actualitatis et perfectionis existens pluribus sit communicata sic quod unus habeat eam ab alio.

Unde sola dignitas in divinis consistit in habere naturam illam perfectissimam cuius perfectio requirit ut dictis modis a pluribus habeatur; propter quod quilibet modus habendi eam ad perfectionem divinam pertinet; nam haec tria simul, scilicet: habere eam sic quod ab uno habente eam non ab alio, alii vero duo habeant ipsam per generationem et spirationem, et quod unus habeat eam ab illo solo per generationem, alius ab ambobus per spirationem, quasi ex aequo absque ordine prioris et posterioris temporis sive duratione vel natura, sive dignitate, quasi constituunt perfectionem divinam sive concurrunt ad constitutionem quasi divinae perfectionis pro quanto consistit in actibus perfectissimis secundum intellectum et voluntatem, sicut tres anguli ex aequo constituunt perfectionem trianguli aequilateri: et ideo nec maior est dignitas in uno quam in alio; immo quilibet est aequalis dignitatis alteri. Non sic est autem⁸ in creaturis ubi esse ab alio, licet per se non sit indignitatis quia etiam solam relationem dicit, supponit tamen indignitatem, quia | potentialitatem ponit in habente esse ab alio. Unde dicit Augustinus, de Fide ad Petrum, circa principium, loquens de personis divinis: nullus horum extra quemlibet ipsorum est, quia nemo | alterum aut praecedat aeternitate⁹ aut excedit magnitudine aut superat potestate. Et Athanasius in Symbolo: in Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius¹⁰ aut minus; sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales. Hec modo etiam determinat Anselmus hanc quaestionem eam tractans libro¹⁰ de Processionibus Spiritus Sancti.

Dico ergo breviter respondendo ad quaestionem: ubi aliquid habet esse ab alio, sic

cod. P
fol. 85 R^a

cod. C
fol. 40 R^b

cod. P
fol. 85 R^b

cod. V
fol. 101 V^a

¹ perfectioris. — ² tantum PC. — ³ om. C. — ⁴ sic add. C. — ⁵ aliam. — ⁶ est corr. 27 m. C. — ⁷ quae VP et 28 m. C: quae ?) 27 m. C. — ⁸ est autem] autem est C. — ⁹ aeternitatem P. — ¹⁰ om. V.

quod productum prius habet non esse quam esse ab alio, indignitatem importat, quia includit veram potentialitatem respectu veri actus; ubi autem non, non¹. Quia ergo natura divina de qua quasi fit productio, in quantum ipsa est quae per productionem producto communicatur a producente, ex se est summa actualitas, nullo modo secundum esse potentiale habens prius esse quam secundum esse actuale, in divinis personam unam procedere ab alia nullam indignitatem ponit in persona procedente nec minoritatem in dignitate.

Ad argumentum in oppositum est dicendum secundum quod exponit Magister verba Hilarii, libro primo, distinctione decima sexta, quod maioritas qua Pater ab Hilario dicitur maior Filio significat auctoritatem quae est in Patre in quantum ipse a nullo, sed alii ab ipso et non dignitatem aliquam et eminentiam supra Filii dignitatem; unde verba etiam Hilarii hoc sonant cum dicit in octavo de Trinitate: donantis auctoritate Pater maior est, sed minor non est cui unum esse largitur.

QUAESTIO IV.

*Utrum Spiritus Sanctus possit dici procedere per modum voluntatis,
si non procederet a Filio sed a solo Patre.*

Ad secundum praedictorum arguebatur quod Spiritus Sanctus procederet per modum voluntatis, etiam si non procederet a Filio; quia, posito causato vel principiato, oportet causam poni vel principium. Distinctio Spiritus Sancti a Filio est quoddam causatum vel principiatum quod potest poni vel intelligi habere esse, etiam si Spiritus Sanctus non procedat a Filio; ergo, cum huius principium vel causa non potest esse nisi hoc quod Filius procedat per modum naturae vel intellectus, Spiritus Sanctus per modum amoris vel voluntatis, sequetur quod Spiritus Sanctus² procederet³ per modum voluntatis, etiamsi non procederet a Filio.

Primum assumptum, scilicet quod Spiritus Sanctus potest poni vel intelligi esse distinctus a Filio, etiamsi non procedat ab ipso, declaratur ex hoc quod, cum supponitur Spiritus Sanctus procedere a Filio, dupliciter videtur Filius distingui personaliter a Spiritu Sancto, scilicet et in eo quod natus vel Filius, non autem procedens vel spiratus, et in eo quod⁴ spirans vel producens, cum Spiritus Sanctus non sit natus vel Filius nec spirans vel producens, sed solum spiratus vel productus. Sed, si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, nihilominus uno istorum modorum distingueretur, scilicet quia non obstante quod ipse Filius non spiraret Spiritum Sanctum, tamen ipse esset a Patre natus vel⁵ Filius et non procedens vel spiratus; et ipse Spiritus Sanctus esset non natus, sed spiratus vel procedens a Patre, non obstante quod non esset spiratus a Filio; quare et cetera.

Secundum assumptum, scilicet quod huiusmodi distinctionis principium vel causa non potest esse nisi hoc quod Filius procedat per modum intellectus, et⁶ Spiritus Sanctus⁷ per modum voluntatis, declaratur⁸ ex hoc quod causa vel principium talis

cod. P.
fol. 85 Va

¹ vero PC. — ² om. PC. — ³ procedet PC. — ⁴ natus — quodj om. P. — ⁵ et C. — ⁶ deī
2a m. CV. — ⁷ et add. P. — ⁸ bis. P.

distinctionis non posset esse nisi quod Spiritus Sanctus procederet alio¹ modo a Patre quam Filius procederet ab eodem; sed non possunt alii modi procedendi poni quam per modum naturae et intellectus; sed non dicitur procedere Filius per modum amoris et voluntatis. Ergo istum modum procedendi oporteret attribui Spiritui Sancto; quare et cetera.

Contra. Processus Spiritus Sancti non potest dici esse per modum voluntatis ad differentiam generationis Filii quae dicitur esse per modum naturae vel intellectus nisi quia essentia divina, in quantum in ea radieatur vis productiva Spiritus Sancti, sive ipsa vis productiva Spiritus Sancti² radicata in essentia divina | intelligitur ut libera vel immunis a coactione, aut ut liberum arbitrium, aut ut tendens in aliquid extrinsecum, aut ut amor mutuus duorum. Non sic autem intelligitur se habere essentia divina in quantum in ea radieatur vis generativa Filii sive ipsa vis generativa Filii³ radicata in essentia divina. Non primo modo, quia ita immunis a coactione est vis productiva Filii sicut | Spiritus Sancti; nec secundo modo, quia nulla processio intrinseca in divinis potest esse per indifferentiam liberi arbitrii; nec tertio modo, quia terminus processionis personarum non est aliquid extra essentiam divinam. Ergo relinquitur solus quartus modus, scilicet quod processio Spiritus Sancti dicatur esse per modum voluntatis, quia principium suae productionis est vis spirativa in quantum fundatur in essentia divina sub ratione amoris mutui duorum; sed talis modus amoris non potest intelligi nisi ut est Patris et Filii simul; ergo non potest intelligi Spiritus Sanctus procedere per modum voluntatis si non ponatur procedere a Filio sicut et a Patre.

cod. V
fol. 101 V^b

cod. P
fol. 85 V^b

cod. C
fol. 40 V^a

Respondeo dicendum quod quaestio si sic intelligitur, utrum scilicet, si Spiritus Sanctus non procederet | a Filio, esset nihilominus alia persona, distincta a persona Filii, procedens a Patre per modum voluntatis, videtur aliquibus (1) quod possit dici, dicta positione⁴ stante, et processionem et procedentes secundum illas ab invicem differre realiter; nam, etiam in eis quae differunt per formas et essentias absolutas, aliqua differunt realiter in quantum important formas absolutas contrarias sive oppositas quae simul in eodem subiecto esse non possunt, ut album et nigrum; aliqua autem in quantum important formas non contrarias nec proprie oppositas, sed disparatas, quae simul in eodem subiecto esse⁵ possunt, ut album et dulce et cetera. Ita etiam in divinis ubi non est differentia realis nisi per reales relationes poterit esse realis distinctio per relationes oppositas, qualis est inter personas quarum una procedit ab alia vel per⁶ disparatas, qualis est inter personas quae disparatis productionibus producuntur sive ab eodem sive a pluribus.

Unde ad conclusionem intentam sic argui potest: cum diversas processionem oportet ad distinctos terminos terminari, oportet quod procedentes diversis processionibus ab invicem realiter sint distincti; ergo videtur quod, si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, [quod] tamen ab eo distingueretur in quantum procederet alia processionem a Patre quam Filius.

cod. P
fol. 86 R^a

Nec debet dici quod, | cum ex parte producentis, scilicet Patris, diversae relationes

¹ aliquo PC. — ² sive — sancti] *om. 1^a m. V.* — ³ sive — filii] *om. P.* — ⁴ dicta positione] positione dicta C. — ⁵ non *add. P.* — ⁶ *om. 1^a m. V.*

(1) Henricus de Gandavo. *Quodl. V*, q. 9 (t. I, fol. 167).

reales disparatae sive diversae processiones activae non ponunt distinctionem suppositorum, sed unus et idem est generans et spirans, ita etiam ex parte producti non debeat poni diversitas suppositorum, immo unus erat genitus et spiratus; quia non est simile ex parte principii actionis et termini, quia termini debent esse perfecti in esse subsistentiae, non autem principia; sed sufficit quod sunt in eodem perfecto ut diversae rationes agendi, ut patet in artifice qui producit filium naturalem et suam imaginem artificialem ut terminos in esse subsistentiae ab invicem realiter distinctos et tamen principia productionum istarum in uno subsistente coniunguntur. Similiter etiam patet de ideis divinis¹ quae sunt ratio et principium producendi diversas res subsistentes et tamen sola ratione differunt in uno simplici secundum essentiam et naturam; et est multo maior distinctio inter vim spirandi et generandi Patris quam inter plures ideas; ergo etiam in proposito, licet relationes | disparatae in Patre non faciant diversitatem personarum, tamen oppositae eis in terminis productis facient diversitatem personarum. Ut sic ponendo, sicut² veritas fidei ponit, quod Spiritus Sanctus procedat a Filio et a Patre, quasi dupliciter distinguitur³ a Filio: et relatione opposita in quantum spiratus ab eo, et relatione disparata in quantum spiratus a Patre, ipse vero Filius genitus ab eodem. Quare cum proposito⁴ quod Filius non produceret Spiritum Sanctum productione spirativa per modum voluntatis, non propter hoc aliquid tollitur in Patre pertinens ad vim spirativam et ad modum producendi per modum voluntatis, cum productio qua Pater producit Spiritum Sanctum vi spirativa et per modum voluntatis realiter differat a productione qua ipse producit Filium vi generativa et per modum intellectus. Per hoc quod ponitur Spiritum Sanctum⁵ non procedere a Filio, non tollitur differentia realis produc | tionum praedictarum in quantum fundantur in vi generativa et spirativa Patris, sed tantum⁶ tollitur differentia Spiritus Sancti a Filio, quae est per oppositam relationem qua dicitur esse spiratus a Filio et etiam realis differentia spirationis activae et generationis passivae in Filio, quia aufertur vis spirativa a Filio sicut et vis generandi activa nunc tollitur ab eodem. Ergo remanet distinctio realis et inter productiones et inter productos secundum relationes disparatas.

cod. V
fol. 102 Ra

cod. P
fol. 86 Rb

Quod autem possit esse distinctio realis⁷ in divinis per disparatas relationes et non solum per oppositas hoc videtur, quia ex distinctione reali personarum quae emanant non est sumenda distinctio emanationum, sed potius e converso; ergo processiones per modum intellectus et voluntatis sive generatio et spiratio inter se distinctionem habent secundum se et non ex distinctione personarum. Immo ad distinctionem emanationum⁸ etiam videtur reducenda distinctio personarum emanantium. Inter emanationes tamen non est quaerenda distinctio secundum relationes originis oppositas, quia una ab alia non procedit, nec una dicitur ad aliam relative. Oportet ergo ponere differentiam inter emanationes secundum relationes disparatas. Et ista etiam reducitur ad distinctionem principiorum emanandi, quae sunt vis spirativa et generativa; si enim vis spirativa, ut Patris est, non differret a vi generativa eius, tunc nec genera | tio a spiratione differret; quare, cum Filius vim spirativam non habeat nisi a Patre et non magis distinctam a vi generativa Patris quam secundum quod eam habet Pater, similiter emanatio spirationis ut est a Filio non distingueretur ab emanatione generationis, nec per consequens ipse

cod. C
fol. 40 Vb

¹ om. C. — ² om. Ia m. V. — ³ distinguuntur PC. — ⁴ posito PC. — ⁵ om. PC. — ⁶ tamen C. — ⁷ et inter productiones — realis] om. P. — ⁸ personarum add. C.

Filius a Spiritu Sancto, quod est inconveniens. Ergo oportet dicere quod et in Patre et in Filio principia emanationum habeant distinctionem, sed non nisi disparationis: ergo et cetera.

cod. P
fol. 86 Va

Item, Pater sua proprietate personali in esse suppositi distincti a quocumque alio constituitur: ergo si Spiritus Sanctus non procederet a Patre, sed procederet a solo Filio, tamen Pater a Spiritu Sancto personaliter et realiter distingueretur. Ergo, etiam si Spiritus Sanctus a Filio non procederet, sed a solo Patre, adhuc Filius sua personalitate a Spiritu Sancto, et e converso, distingueretur.

cod. V
fol. 102 Rb

Sed, non obstantibus istis, videtur potius dicendum quod, si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, ipse non procederet a Patre per modum voluntatis qui posset importare modum procedendi realiter distinctum a modo procedendi quo Filius procedit per modum intellectus a Patre: sed processio per modum intellectus et processio per modum voluntatis non differunt nisi secundum rationem; et secundum hoc etiam Filius et Spiritus Sanctus non distinguerentur ab invicem realiter ut duae personae, sed essent una persona, distincta realiter a Patre: inter se autem non essent plures vel distinctae nisi tantum secundum rationem: et sic tolleretur trinitas personarum quia non essent nisi duae personae realiter ab invicem distinctae.

cod. P
fol. 86 Vb

Cum enim, ut dictum est, in essentia et essentialibus non sit ponere aliquam distinctionem nisi solum secundum rationem, sed omnis distinctio realis est ibi secundum diversos modos habendi eandem essentiam, qui sunt ut a quo alius illam habet, vel ut ab alio¹ illam habens, ubicumque invenitur diversus modus habendi invenitur distinctio realis inter habentes sive inter supposita. Ex hoc ergo quod unus naturam divinam habet uno modo ab alio, ex hoc bene est distinctio realis et inter habentem sic et eum a quo sic habetur. Et, si plures secundum plures modos habendi habeant eandem naturam, sive ab uno sive a pluribus, illi realiter distinguuntur a pluribus vel ab uno, quia in illis reperitur ratio distinctionis quae est habere ab alio respectu illius vel illorum a quo vel a quibus sic habetur, in quo vel quibus est ratio distinctionis respectu illius vel illorum ut a quo vel a quibus alii.]

Sed cum ponitur quod unus naturam divinam ab alio non habet nec e converso, in illis inter se tollitur omnis ratio distinctionis, et ideo inter se non possunt esse realiter distincti. Et hoc modo expresse ostendit Anselmus quod Spiritus Sanctus non distingueretur a Filio si respectu eius non esset Deus de Deo. Ex quo ulterius sequitur quod non possunt esse plures processiones in divinis realiter distinctae nisi sint ad minus tres personae sic distinctae quod una procedat a prima et tertia a secunda: nam, ut dictum est, differentia realis est in divinis secundum differentiam relationum realium; sed relationes reales plures per se ab invicem distinctae ex oppositione mutua sive ex eo quod oppositae sunt ad invicem distinguuntur; et hae simul in eodem supposito vel relato esse non possunt, quia idem ad se opponi vel referri non habet.

Cum autem in divinis, propter immensam divinae naturae perfectionem et eius pluribus personis secundum plures modos habendi sive secundum diversos modos originandi communicabilitatem, possit esse oppositio secundum originem et distinctionem suppositorum, in ea possunt fundari plures relationes secundum oppositionem ad invicem distinctae. Non oportet enim quod distinctio talium per se sumatur ex distinctione fundamenti, quia ratione suae oppositionis secundum se distinctionem important sive ab

¹ illo C.

invicem distinguuntur. Sed, cum relationes disparatae secundum se oppositionem non habeant¹ ad invicem, oportet quod distinctionem habeant vel ex diversitate fundamentorum, ut patet de simili et aequali² in creaturis, vel ex distinctione suppositorum, ut patet de duabus filiationibus in duobus filiis respectu unius paternitatis patris, ut etiam videbitur de generatione et spiratione. Uno ergo existente fundamento, per se non possunt multiplicari relationes disparatae; si autem cum hoc sit unum suppositum, nullo modo multiplicabuntur. Ergo cum duobus | suppositis secundum originem sive³ secundum | modum habendi naturam divinam existentibus inter se distinctis habent esse per se duae relationes oppositae, scilicet originantis et a quo originatur⁴, ut Patris et Filii inter se et Spiritus Sancti et Filii inter se, supposito quod unus ab alio originetur. Per se ergo est distinctio personarum et Filii a Patre a quo procedit, et Spiritus Sancti a Filio et Patre a quibus procedit; et per se differt generatio activa sive relatio Patris ad Filium a generatione passiva sive a relatione Filii ad Patrem, et etiam spiratio activa Patris et Filii a spiratione passiva Spiritus Sancti; et ex consequenti est realis distinctio secundum disparationem spirationis activae a generatione activa in Patre et a generatione passiva in Filio, in quantum scilicet propter oppositionem relationum | praedictarum et distinctionem dictorum suppositorum per dictas relationes ipsa communis spiratio activa Patris et Filii quae per se opponitur spirationi passivae Spiritus Sancti et sic per se ab illa distinguitur, nec cum ea stare potest, est⁵ in personis per oppositas relationes distinctas ut in Patre et Filio; et sic, quia stat cum generare et cum generari, quae non stant simul, quia per se distinguuntur et opponuntur, ideo ipsa spiratio activa non est generatio activa nec generatio passiva, sed realiter secundum disparationem distinguitur⁶ ab utraque.

cod. P
fol. 87 Ra
cod. C
fol. 41 Ra

cod. V
fol. 102 Va

Essentia autem divina, licet stet cum generatione activa et passiva, quae simul non stant in eodem supposito, tamen nullo modo nec secundum oppositionem nec secundum disparationem realiter distinguitur ab utroque, sed solum secundum rationem, quia ipsa essentia per se non distinguitur nec opponitur alicui a quo generans et genitus per se distinguantur et cui per se opponantur; nam, sicut stat cum generatione activa et passiva Patris et Filii, ita stat cum spiratione passiva Spiritus Sancti. Unde, quia spirare Patris, quod per se | distinguitur a spirari Spiritus Sancti, stat cum generari Filii et etiam quia spirare Filii, quod per se distinguitur a spirari Spiritus Sancti, stat cum generare Patris, et generare et generari per se opponuntur et distinguuntur, ideo spirare a generare et generari ex consequenti secundum disparationem distinguitur, praesupposita tamen distinctione reali per se et secundum oppositionem eius quod est spirare Patris et Filii ad spirari Spiritus Sancti. Si autem spirare non staret vel non esset cum generari a quo per se et realiter differt generare et spirare, ex consequenti non haberet differentiam realem ad generare cum quo stat; si etiam spirare, quod per se distinguitur a spirari, non staret cum generari, ex consequenti generari non differret realiter a spirari; sed sicut unus supposito est generans, ita etiam nonnisi unus supposito esset spirans, et tunc etiam nonnisi unus supposito esset spiratus et generatus, nec differrent generare et spirare ad invicem nec etiam spirari et generari nisi solum secundum rationem, quia tollerent id unde realis differentia sumi debet et remaneret solum distinctio realis spirati et generati ad generantem et spirantem propter oppositionem quae solum remanet inter

cod. P
fol. 87 Rb

¹ habent C. — ² et cetera *add.* P. — ³ secundum C. — ⁴ originantur PC et *1^a m. V.* — ⁵ esse C. — ⁶ distinguuntur V.

ipsos. Si enim Spiritus Sanctus non procederet a Filio, non poneretur maior oppositio inter Filium generatum et Spiritum Sanctum spiratum quam inter Patrem generantem et spirantem; sed, quia spiratio et generatio in Patre non habent oppositionem originis, non possunt facere vel constituere distinctionem personarum. Ergo, cum non plus differrent generari et spirari in Filio et Spiritu Sancto, per hoc non constituerentur duae personae. Non enim potest dici quod ex alio habeat differentiam Filius et Spiritus quam ex tali quali diversitate relationum, quia, illa circumscripta, non remanet nisi essentia omnino indistincta¹.

cod. P
fol. 87 Va

Ergo nulla est ratio quare possit dici quod spiratio et generatio activa possunt esse in una persona principiante; generatio autem et spiratio passiva non possunt esse in una persona principiata. Cum enim dicitur quod in principiatis est maior diversitas vel differentia quam in principiis, hoc intelligitur de principiatis² quae secundum se et secundum suam naturam diversitatem realem et essentialem secundum absoluta important, sicut patet et in Deo et in creaturis. Nam Deus secundum diversas ideas sola ratione differentes producit ea quae realiter ab invicem differunt, quia etiam illa important naturas secundum se differentes; artifex etiam, in quo simul sunt ars et natura, per artem producit suam imaginem | vel | aliquid³ artificiatum et per potentiam naturalem suam filium naturalem, quae tamen realiter et subiecto differunt eo quod absolute⁴ et essentialiter differentiam realem important inter se. Sed ubi in productis non potest esse differentia realis secundum aliquid absolutum, non potest hoc contingere. Unde, quando aliqua differunt secundum relationes disparatas inter se propter respectus diversos ad diversa relativa ad quae habent habitudinem, nisi tamen haec de se maiorem diversitatem important, ex huiusmodi habitudine non debet eis tribui maior distinctio quam invenitur in illo vel⁵ illis ad quem vel quos est huiusmodi habitudo, ut patet in aliis; nam, si aliquid unum subiecto sit duplum ad aliquid subduplum per suam quantitatem et sit dissimile ad aliquid nigrum per⁶ suam albedinem, non maior debet poni ex hoc diversitas in dimidio et nigro quam in duplo et albo; et sicut duplum et album non habent oppositionem quae impediatur ea simul esse in uno subiecto, ita etiam est de dimidio et nigro, scilicet quod solum requiritur in eis diversitas secundum essentiam ut in ipsis fundentur dictae relationes reales disparatae et possunt esse simul in eodem subiecto; et esset simile magis si duplum causaret subduplum et album causaret ni | grum, sicut contingit in personis divinis relativis.

cod. P
fol. 87 Vb

Quod autem in principio vel causa⁷ non oportet esse tantam diversitatem vel distinctionem sicut in principiatis, sicut patet praecipue in causa non univoca, hoc contingit ex eo quod causatum defective et imperfecte participat id perfectionis et actualitatis quod est in causa; unde sparsim et divisim reperitur in pluribus causatis illud quod unite reperitur in causa. Quia ergo quilibet effectus aequivocus deficit a perfectione causae, ideo semper est recessus a tali causa secundum diversos gradus perfectionum diversarum realiter in causatis, quae unite sunt in causa; nec tales diversi effectus in tali diversitate reali producerentur a tali causa sic magis una, nisi huiusmodi effectus in seipsis diversitatem graduum ex tali habitudine et recessu a causa important.

Cum ergo in proposito persona producta in divinis eiusdem perfectionis et essentiae sit cum producente, plures personae productae non possunt dici differre ex eo quod

¹ distincta *I^a m. C.* — ² principiatis *C.* — ³ aliquid *C.* — ⁴ absoluto *P* et *I^a m. C.* — ⁵ in *ad. l. C.* — ⁶ ad *C.* — ⁷ tamen *P.*

secundum diversas rationes producantur ab eadem, cum univoce habeat quaelibet persona quicquid perfectionis habet alia; et ideo, si distinguantur, oportet quod hoc ex alia ratione contingat.

Ponendo ergo Spiritum Sanctum procedere a Filio et a Patre, licet non ponatur quaternitas rerum propter trinitatem personarum et unitatem essentiae, quia illa nullo modo cum eis nec per se nec ex consequenti connumeratur, ponitur tamen quaternitas rerum rem appellando relationem realem propter continuationem spirationis activae cum generatione activa et cum generatione passiva et cum spiratione passiva, ut dictum est.

Ex praedictis patet quod, considerando illud a quo sumitur formalis ratio distinctionis personarum divinarum secundum rationem relationum distinguendum et habitudinem earum ad invicem, non potest poni quod Spiritus Sanctus procedat processione realiter distincta a processione Filii quae dicitur per modum naturae si non procedat a Filio. Et, quia modus secundum quem dicitur Spiritus Sanctus procedere | dicitur per modum voluntatis, patet quod Spiritus Sanctus non procederet per modum voluntatis¹ qui realiter a modo procedendi Filii distingueretur si non procederet a Filio.

cod. P
fol. 88 Ra

Hoc etiam videtur posse declarari ex habitudine istorum actuum et modorum procedendi ad invicem qui dicuntur per modum voluntatis et intellectus. Sicut enim in actibus | simplicibus voluntatis et intellectus qui dicuntur esse quasi essentiales, scilicet intelligere et velle vel amare hic² est ordo quod unus est prior altero et habet causalitatem sive rationem principii super ipsum, ita etiam debet esse in actibus perfectis et completis, scilicet dicendi et spirandi quibus producantur notitia perfecta et declarativa quae dicitur Verbum, et amor perfectissimus sive incentivus qui dicitur Spiritus Sanctus, in quibus quasi perficiuntur operationes beatificae divinae, licet ab aliis hoc penitus³ non concedatur, scilicet quod processiones divinarum personarum sint in divinis hoc modo quod ibi⁴ primo sit notitia quasi confusa, deinde declarativa. Sicut ergo qui ponit quod sit aliquis amor qui non procedit a voluntate, mediante actu intellectus simplici ut habente causalitatem super processionem talis amoris voluntatis, non potest ponere quod procedat per⁵ modum simplicis actus voluntatis qui dicitur simpliciter velle vel amare, ita, qui ponit quod amor perfectus in divinis non procedat a voluntate divina, mediante actu intellectus perfecto quo producitur notitia declarativa, non potest ponere quod talis amor procedat per modum voluntatis actu per | fectissimo quem circumloquimur per spirare.

cod. V
fol. 103 Ra

Unde, ponendo quod Filius procedat per modum intellectus et Spiritus Sanctus per modum voluntatis, ponitur quod Spiritus Sanctus procedat a Filio; nam oportet amorem procedere a Verbo, eo quod nihil amatur nisi verbo cordis concipiatur; unde, sicut si non esset realis processio personarum nec realis distinctio earum ab invicem, tamen, ut dictum est, essent secundum rationem intelligendi notitia procedens per modum intellectus et amor procedens per modum voluntatis, ita quod⁶ | non posset intelligi procedere amor secundum modum voluntatis et hoc secundum rationem intelligendi nisi intelligeretur procedere a notitia procedente secundum rationem intelligendi; ita etiam, posita distinctione personarum, non poterit esse nec intelligi quin Spiritus Sanctus, qui est amor et procedit per modum voluntatis, procedat a Filio qui procedit per modum intellectus. Immo, etiam nisi esset naturalis ordo et origo trium potentiarum animae in una mentis essentia et actuum⁷ etiam⁸ dictarum potentiarum inter se, sic videlicet quod naturali

cod. C
fol. 41 Va

cod. P
fol. 88 Rb

¹ patet — voluntatis] *om.* P. — ² hoc PC. — ³ *om.*, PC. — ⁴ in PC. — ⁵ secundum PC. — ⁶ sicut *add.* 2a m. C. — ⁷ activum V. — ⁸ et C.

ordine primum habeat esse in mente memoria et, mediante illa, intelligentia et, mediante utraque, voluntas; et ita etiam adaptando de actibus non esset in anima imago trinitatis, ut patet ubique per Augustinum; et, sicut si intelligentia non oriretur a memoria non distingueretur ab ea, ita etiam si voluntas non oriretur ab utraque, non distingueretur ab¹ eis. Et ita etiam suo modo de actibus est dicendum.

Ergo, qui ponit quod Spiritus Sanctus non procedat a Filio et tamen procedat per modum voluntatis, sic quod modus procedendi per modum voluntatis realiter distinguatur a modo procedendi Filii a Patre per modum intellectus, et quod ex hoc Spiritus Sanctus a Filio realiter et secundum suppositum distinguatur, implicat duplicia contradictoria: scilicet quod Filius distinguatur et non distinguatur a Spiritu Sancto, et quod dictae processiones realiter differant et non differant; nam, qui ponit Spiritum Sanctum non procedere a Filio, ponit eum non distingui ab ipso realiter, et ex consequenti etiam ponit processiones Filii et Spiritus Sancti a Patre non differre ab invicem realiter propter praedicta. Cum ex hoc distinguantur quod unus procedat per modum voluntatis et alter per modum intellectus, quod est unum procedere ab alio, ut declaratum est, in quantum autem ponit dictas processiones realiter differre, ponit quod termini etiam realiter differant, et sic quod Filius et Spiritus Sanctus ab invicem realiter distinguuntur.

cod. V
fol. 103 R^b

cod. P
fol. 88 V^a

Sed ad hoc respondetur ab aliquibus (1), qui dicunt quod secundum dictum modum ponendi non ponuntur impossibilia, hoc quod Spiritus Sanctus distinguatur et non distinguatur a Filio; immo solum ponitur ex hoc quod simpliciter distinguitur, et quod si non distinguatur, hoc est secundum quid; nam, si ponatur aliquid convenire alicui secundum comparisonem et rationem secundum quia natum est ei hoc convenire et non conveniat ei secundum rationem et comparisonem secundum quam non² est natum ei convenire, non sequitur quod hoc ei conveniat et non conveniat; ut si quatuor sit duplum ad duo et non sit duplum ad tria, non sequitur quod sit duplum et non duplum, sed quod sit duplum simpliciter, non duplum autem secundum quid; ita etiam in proposito; nam, si Spiritus Sanctus distinguitur a Filio in comparatione ad Patrem a quo ambo diversimode procedunt, ex hoc habet quod simpliciter distinguatur Spiritus Sanctus a Filio; si autem non distinguatur ab eo ex comparatione quam habet ad ipsum, quia hoc posito non est natus habere ad ipsum comparisonem per se distinguentem, ex hoc non dicitur non distingui nisi secundum quid.

Sed hoc non valet; nam ex comparatione quam habet ad Patrem non est natus per se distingui nisi a Patre, quia ex comparatione ad Patrem distinguitur ab eo in quantum ab ipso originatur; a nulla enim persona per se distinguitur divina persona nisi a qua originatur vel quae ab ipsa originatur; et sic, ex eo quod distinguitur sive originatur a Patre, non est natus distingui a Filio nisi etiam simul ab ipso originetur. Ergo, qui ponit quod a Filio non originetur, ponit quod ab ipso per se et realiter non distinguatur. Ponendo autem cum hoc quod non procedendo a Filio procedit a Patre alio modo quam Filius, quia, ut dictum est, illi modi procedendi non differrent realiter etiam relatione reali disparata, quia talis distinctio processionum coexigit quod Spiritus Sanctus a Filio procedat, ut dictum est, sed solum secundum rationem, ponitur quod

cod. P
fol. 88 V^b

¹ ea — distingueretur ab om. P. — ² tamen add. P, est tamen add. C.

(1) Henricus de Gandavo, *Quodl.* V, q. 9, t. 1, fol. 167 V.

solum distinguitur a Filio secundum rationem et sic secundum quid, et sic simpliciter non distingueretur a Filio, sed secundum quid distinguetur ab eo.

Item, dicunt quod ponendo Spiritum Sanctum non procedere a Filio, et tamen ipsum distingui realiter ab eodem, non implicantur contradictoria, scilicet quod distinguatur et non distinguatur, sed solum ponitur hoc impossibile quod Filius | non differat a Spiritu Sancto spiratione activa et Spiritus Sanctus ab eo spiratione passiva; quia tunc solum ponitur aliquid per impossibile quando cum eo quod principaliter ponitur contradictio eius implicatur, scilicet quando privat aliquid quod est de eius significato et essentia, ut si dicerem: homo si esset animal non rationale differret a bruto, quia remoto rationali non remanet nisi id unde convenit cum bruto; quando vero non implicat contradictorium eius quod est de significato et essentia positi, ponit tamen aliquid quod est repugnans alicui pertinenti ad principale positum, tunc non ponit principaliter contradictionem eius, sed solum per quandam consequentiam; et ideo tale positum solum ponitur per impossibile et non per impossibile. Quia ergo spiratio activa est extra significatum Filii et quasi consecutivum personae eius ordine quodam, ideo verum est dicere quod Filius, etsi non spiret Spiritum Sanctum, tamen differt ab eo nativitate, quia non spirare non privat nativitatem a Filio nisi per quandam consequentiam. Tamen neganda est haec, scilicet quod Filius non differt a Spiritu Sancto spiratione activa vel quod differt ab eo sola nativitate pro tanto, quia repugnat posito, scilicet quod Spiritus Sanctus differt realiter a Filio. Repugnans autem posito quod est extra essentiam et significatum suum semper in falsis positionibus est negandum, secundum artem obligatoriam habitam in octavo Topicorum. Et ponitur exemplum: nam, si poneretur homo differre a bruto et ¹ | tamen non esset risibilis, non ponerentur contradictoria, scilicet quod homo differret et non differret a bruto, sed solum hoc impossibile quod homo non differret a bruto per risibilitatem vel quod homo non esset risibilis et cetera.

cod. C
fol. 41 V^b

cod. P
fol. 89 R^a

Sed hoc non valet; quia, licet spirare active non sit de ratione et essentia personae Filii simpliciter, quia scilicet ipsam non constituit nec per se distinguit a Patre, tamen ad hoc quod per se distinguatur a Spiritu Sancto et ad hoc quod per se etiam ² ad ipsum referatur, est de eius essentia, sicut spirari passive a Filio est de ratione et essentia Spiritus Sancti in quantum est persona distincta a Filio et ad ipsum relata; prout etiam spirare active in Patre, licet non sit de ratione personae Patris simpliciter, ut scilicet eius in esse personali constitutiva et distinctiva, tamen ad hoc quod per se a Spiritu Sancto distinguatur et referatur per se ad ipsum est de eius essentia. Proprietas enim constitutiva Patris est prima realis relatio, qua scilicet per se et primo respicit primam personam; et ideo etiam illa est per se distinctiva eius a prima persona procedente. Ita etiam est de persona secunda respectu primae.

Sed tamen illae proprietates personales Patris et Filii sic ipsos per se inter se distinguentes, et ex consequenti ab omnibus aliis quae sunt praeter ipsas, quia per illas non habent oppositionem ad Spiritum Sanctum nec secundum illas sunt principia originalia Spiritus Sancti, sed prout in communi vi spirativa uniantur, ideo de ratione utriusque est talis proprietas relativa communis; et hoc in quantum per se habent habitudinem et distinctionem respectu Spiritus Sancti; et ideo, sicut qui ponit Patrem non producere Filium, ponit eum non distingui ab eo, ita, qui ponit Filium non producere Spiritum Sanctum, non ponit eum distingui ab eo; et sic, — licet spirare vel producere

¹ om. C. — ² et C.

Spiritum non sit de ratione Filii simpliciter et secundum se, sed etiam nec est de ratione Patris, immo est quid consequens ad perfectionem utriusque et sic ponendo quod Pater vel Filius non spirant Spiritum Sanctum et tamen ab invicem distinguuntur ut duae personae divinae, non ponuntur impossibilia per se, sed hoc impossibile quod non habeant plenam fecunditatem nec mutuum amorem et cetera, — tamen ponere quod Pater et Filius non producant Spiritum Sanctum et tamen ab eo realiter distinguuntur est ponere impossibilia. Qui ergo ponit Spiritum Sanctum non procedere vel non spirari a Filio ponit aliquid repugnans per se ei quod est distinguere a Filio. Igitur qui ponit cum hoc expresse quod Spiritus Sanctus distinguatur a Filio, ponit contradictoria.

cod. P
fol. 89 R^b

Quod autem dictum est, quod proprietates spirationis activae est¹ de ratione personarum Patris et Filii in quantum per se distinguuntur a Spiritu Sancto, hoc sic intelligendum est quod, licet per istam proprietatem non constituantur in esse personali, immo quasi praesupponuntur constitutae et ab invicem per se distinctae, tamen per hanc per se distinguuntur a Spiritu Sancto, quia ab eo non distinguuntur per se in quantum Pater generans nec in quantum Filius generatus, sed in quantum una communi vi spirativa habent spirare vel Spiritum producere.

cod. C
fol. 42 R^a

cod. V
fol. 103 V^b

Ad argumenta igitur posita in corpore solutionis, pro prima opinione² est³ respondendum: cum igitur arguitur quod ex distinctione processionum contingit distinctio productorum, non e converso et cetera, et quod distinctio personarum reducit ad distinctionem processionum et distinctio processionum ad distinctionem⁴ principiorum quae sunt vis generativa Filii et vis spirativa Spiritus Sancti, dicendum quod hoc aliquo modo verum est; sed addendum est quod illa principia, et ex consequenti etiam processionem, non haberent distinctionem realem, etiam⁵ secundum relationes disparatas, nisi intelligeretur habitudo Patris per vim generativam ad solum Filium, ut qui ab ipso est per generationem, et quasi consequenter habitudo Patris et Filii simul ad Spiritum Sanctum, ut qui ab ambobus per communem spirationem; nec posset intelligi vis spirativa differre realiter a vi generativa activa Patris cum qua simul stat in Patre, nisi intelligeretur stare cum vi generativa quasi passiva Filii et Filio convenire. Quia enim vis spirativa Patris stat cum vi generativa passiva Filii cum qua non stat vis generativa activa Patris; et e converso, quia vis spirativa Filii stat cum vi generativa activa Patris cum qua non stat vis generativa passiva Filii, ideo vis spirativa Patris et Filii differunt realiter a vi generativa Patris et Filii, et hoc ut relationes disparatae propter oppositionem relationum et suppositorum⁶ oppositorum in quibus et cum quibus stant, ut prius declaratum est; principalis enim distinctio realis in divinis est distinctio personarum sive suppositorum relatorum in quibus est distinctio, quia una persona est a qua alia et altera est quae est ab alia; emanationes vero et proprietates relativae quae intelliguntur et includuntur in hoc quod dicitur qui⁷ ab alio et a quo alius, sunt⁸ id ipsum realiter quod ipsae personae distinctae; unde non est intelligendum quod ista sint quaedam plura realiter distincta et sic ordinata quod distinctio prima realis sit inter principia emanationum, et ex huiusmodi distinctione principiorum sit ulterius distinctio alia realis emanationum, et ex huiusmodi distinctione emanationum sit tertia distinctio realis personarum emanantium; sed haec omnia non dicunt nisi unam realem distinctionem principalem, scilicet ipsarum personarum.

cod. P
fol. 89 V^a

¹ et *add.* C. — ² oppositione PC *in* opinione *corr.* V. — ³ *om.* C. — ⁴ distinctionum C. — ⁵ et C. — ⁶ et *add.* C. — ⁷ quae PC. *in* qui *corr.* V. — ⁸ item PC.

Cum arguitur postea quod si vis spirativa, ut Patris est, non differret a vi generativa eius, spiratio non differret a generatione et cetera, dicendum quod, licet vis spirativa per se et secundum oppositionem non differat a vi generativa Patris nec etiam a vi generativa Filii¹, tamen quasi ex consequenti et secundum disparationem differt ab utraque, ut dictum est, propter oppositionem relationum et suppositorum in quibus vel² cum quibus sunt. Verum est ergo quod, si nullo modo differrent, generatio esset³ spiratio et⁴ Filius esset Spiritus Sanctus. Sed, quia differunt realiter dicto modo et non ut considerantur secundum habitudinem quam habent inter | se et secundum se solum sive ut habent esse in solo Patre, secundum hoc, inquam, non contingit talis distinctio realis, sed ut consideratur vis spirativa ut simul stans cum vi generativa activa et passiva habet habitudinem ad Spiritum Sanctum spirabilem; et tunc non sequitur quod generatio activa sit spiratio, sed hoc sequeretur si poneretur quod vis spirativa et generativa Patris non haberent aliam differentiam quam habere possent ex esse potentiae spirativae in solo Patre absque hoc quod poneretur simul in Filio. Sic enim non differrent nisi ratione, quia nec inter se oppositionem haberent nec esset ipsa vis spirativa in habentibus per se oppositionem. Nunc autem, quia vis spirativa Patris non est a Patre in Filio secundum quod est eadem vi generativa Patris, immo secundum quod est differens, quia secundum quod stat cum vi generativa passiva Filii, — communicando enim Filio esse divinum per generationem activam procedentem a vi generativa activa, communicat etiam ei vim spirativam activam ut quae solum habet respectum ad spirationem Spiritus Sancti — ideo ponitur realis differentia inter vim generativam Patris et vim spirativam eius, non solum secundum⁵ quod considerantur ut sunt Patris, sed alio modo iam dicto. |

cod. P
fol. 89 Vb

cod. V
fol. 104 Ra

Item, cum arguitur quod, quia Pater sua proprietate personali in esse suppositi distincti a quocumque alio constituitur, ideo si Spiritus non procederet a Patre, sed procederet a solo Filio, tamen Pater a Spiritu Sancto personaliter et realiter distingueretur; ergo, etiam si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, sed a solo Patre, adhuc Filius sua personalitate a Spiritu Sancto, et e converso, distingueretur; nam, etiam nunc cum⁶ Spiritus Sanctus procedit a Filio, ipse Filius relatione spirativa non distinguitur secundum suppositum a Spiritu Sancto, quia illa non est personae Filii constitutiva, — non valet. Nam, licet Spiritus Sanctus non procederet immediate nisi a solo Filio, tamen procederet mediate a Patre; unde Pater et Spiritus Sanctus personaliter distinguerentur in quantum Spiritus Sanctus esset per originem a Patre, licet mediante origine Filii. Sed si non procedit | a Filio immediate, omnino tollitur oppositio relationis secundum | originem; quare et cetera. Sed ex dicta positione qua diceretur Spiritum Sanctum procedere a solo Filio et tamen distingui a Patre, licet non ponerentur ista impossibilia, scilicet quod distingueretur et non distingueretur a Patre, tamen plura alia impossibilia ex hoc sequerentur. Quamvis etiam Filius non distinguatur personaliter a Spiritu Sancto per relationem realem spirationis activae, quia, cum illa sit communis Patri et Filio et conveniat Filio iam quasi in esse personali per proprietatem generationis passivae constituto et non est proprietas constitutiva, tamen realiter refert ipsum Filium et Patrem ad Spiritum Sanctum, ut principium ad principiatum; sed relatio spirationis passivae constituit suppositum distinctum, scilicet Spiritum Sanctum a Filio simul et a Patre, et realiter refert etiam Spiritum Sanctum ad utrumque, quia non est in Spiritu Sancto alia relatio realis nisi ista; et ideo oportet quod et constituat et distinguat et referat

cod. P
fol. 90 Ra
cod. C
fol. 42 Rb

¹ om. C. — ² et C. — ³ et C. — ⁴ quod C. — ⁵ om. C. — ⁶ et (?) C.

personam Spiritus Sancti dicto modo. Sed si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, licet Filius nihilominus haberet in se suam proprietatem personalem per quam habet distinctionem personalem ab omni alia persona, tamen¹ non distingueretur personaliter nisi a Patre nec referretur etiam² nisi ad Patrem³.

Argumentum pro parte illa concedendum est ratione conclusionis. Nam, si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, non posset poni diversitas realis inter ipsum et Filium, nec etiam diversitas realis inter processiones per modum naturae et voluntatis inveniretur, sed esset diversitas licet et ibi solum secundum rationem; nam, ut dictum est, secundum hoc deberet poni quod eo modo, scilicet secundum rationem intelligendi quo esset distinguere per modum procedendi secundum voluntatem et secundum intellectum et ipsum Spiritum Sanctum a Filio, esset ponendum Spiritum Sanctum procedere a Filio ut procedentem a procedente et processionem aliquo modo ex processione, modo etiam non distinguuntur istae processiones realiter, quia una sit per modum immunitatis a coactione vel per modum liberi arbitrii vel terminata ad extra, et alia non, sed quia una est per modum simplicis emanationis, nulla alia praesupposita et nullo alio producto supposito ex quo vel ex qua aliquo modo habeat esse. Talis enim est modus procedendi naturaliter; et talis modus etiam procedendi est secundum intellectum. Processio enim quae est a naturali agente non supponit aliam processionem nec alium habentem esse secundum praecedentem⁴ productionem nisi per accidens in⁵ quantum unum naturale agens ab alio dependet. Sed hoc non pertinet ad rationem naturae in quantum natura est. Alia vero est per modum cuiusdam consequentis emanationis ad aliquam praecedentem quam et⁶ praesupponit et per quam aliquo modo habet esse. Talis est enim modus procedendi secundum voluntatem; non enim voluntas in aliquid tendit nisi praesistente productione intellectus aliquid concipientis. Unde illa processio per modum naturae intelligitur in divinis quae nullam aliam praesupponit; illa vero per modum voluntatis quae ex praesupposita processione principium sumit; et sic oportet pro⁷ processionem aliquo modo ex processione esse⁸ et procedentem ex procedente; hoc autem facit realem distinctionem in divinis, ut dictum est.

Nec tamen ex hoc quod Spiritus Sanctus dicitur procedere per modum voluntatis et non per modum naturae sequitur quod⁹ una persona procedat naturaliter et alia non, cum utraque procedat secundum originem naturalem sive ex naturali perfectione divinae naturae competente et per utramque fiat communicatio eiusdem verae naturae et essentiae. Dicitur enim aliquid produci naturaliter propter habitudinem naturalem quam habet ad suum principium; hoc autem convenit Filio respectu Patris et Spiritui Sancto respectu Patris et Filii. Per modum vero naturae produci dicitur quod producit ab aliquo principio sic producente sicut producit natura; hoc autem est proprium Filio in divinis, ut dictum est. Per modum vero voluntatis aliquid produci dicitur quod producit ab aliquo principio sic¹⁰ producente sicut producit voluntas; hoc autem est proprium Spiritui Sancto.

Ad argumentum in oppositum est dicendum quod, licet modo distinguatur Filius a Spiritu Sancto tum quia genitus tum quia spirans, non sic Spiritus Sanctus, tamen secundum quod genitus per se et primo | solum distinguitur a Patre generante, ex consequenti autem a qualibetcumque¹¹ alia persona quae nata est esse in divinis, sive a quocumque

cod. P
fol. 90 R^b

cod. V
fol. 104 R^b

cod. P
fol. 90 V^a

¹ et *add.* C. — ² cum PC, *et 1^a m. V.* — ³ ad *add.* 1^a m. C *in aliud corr.* 2^a m. C. — ⁴ procedentem C. — ⁵ *om.* C. — ⁶ etiam C. — ⁷ aliquo modo ex processione esse] esse aliquo modo ex processione PC. — ⁸ quia P *et 1^a m. C.* — ⁹ sicut C. — ¹⁰ qualicumque V.

alio in quo non invenitur proprietas constitutiva Filii, sed secundum quod spirans per se et primo distinguitur a Spiritu Sancto; quia, etiamsi non esset genitus et spiraret, ab eo distingueretur, ut patet de Patre respectu Spiritus Sancti; sed, si non spiraret et esset genitus, non distingueretur, quia, si aliquid ab alio¹ per se distinguitur, oportet quod aliud ab isto per rationem oppositam distinguatur. Unde, sicut Spiritus Sanctus non distingueretur per se a Filio nisi spiraretur ab eo, ita etiam, licet² Filius esse haberet etsi non spiraret, tamen non haberet [unde per se a Spiritu Sancto distingueretur; et ideo, posito quod Filius non spiret, oportet poni quod Filius a Spiritu Sancto realiter non distinguatur. Unde Filius sua filiatione per se distinguitur a Patre secundum oppositionem relativam filiationis ad paternitatem, sed a Spiritu Sancto distinguitur filiatione per hoc quod Spiritus Sanctus non habet filiationem quam Filius habet, et sic non per se vel per illud quod oppositionem habet, sed ex consequenti per habere et non habere filiationem; per se autem distinguitur ab eo per oppositionem relationis originis.

cod. C
fol. 42 Va

Et haec patent per Anselmum. Sic enim arguit Anselmus quod Spiritus Sanctus non distinguitur a Patre, propter hoc scilicet quia Pater habet filium, non sic autem Spiritus Sanctus, et quia Spiritus Sanctus est ab alio, non autem Pater; quia, posito quod Pater non haberet filium vel quod Spiritus Sanctus haberet filium vel quod Pater esset ab alio, adhuc Spiritus Sanctus distingueretur a Patre. Ergo sola causa per se distinguens Spiritum Sanctum a Patre personaliter est quia ipse Spiritus est a Patre. Ita etiam secundum ipsum procedendum est in proposito: quia si sufficienter et per se distingueretur Spiritus Sanctus a Filio, quia unus a Patre uno modo et alius a Patre alio modo, ergo si poneretur Filius non procedere a Patre, Spiritus Sanctus ab eo non posset intelligi distingui. Sed hoc, secundum Anselmum, supponitur esse falsum. |

cod. P
fol. 90 Vb

Sed e contra³: si ponatur Spiritum Sanctum procedere a Filio, sive Filius procedat a Patre sive non, tamen Spiritus Sanctus distinguitur. Ergo Spiritum Sanctum esse a Filio est per se causa et sola distinguendi unum ab alio.

QUAESTIO V.

*Utrum suppositum addat aliquam rem supra essentiam
vel naturam.*

Deinde circa creaturam quaerebantur quaedam pertinentia ad omnem substantiam in se subsistentem generaliter et quaedam⁴ pertinentia ad quasdam substantias et ad quasdam earum proprietates specialiter.

Circa primum quaerebantur duo, unum pertinens ad rationem subsistentiae, et unum pertinens ad rationem cuiusdam differentiae. Primum

¹ illo C. — ² ita — licet] licet ita etiam C. — ³ converso C. — ⁴ ad quaedam *add.* C.

cod. V
fol. 104 Va

horum erat utrum suppositum addat aliquam rem supra essentiam vel naturam; secundum erat utrum unum et idem possit sic differre a se ipso quod possit reali relatione referri ad se ipsum.

Ad primum horum arguitur et ostenditur quod suppositum addat aliquam rem supra essentiam vel naturam, utpote aliquod accidens, quia illud addit suppositum supra naturam per quod unum suppositum ab alio distinguitur; sed unum suppositum non potest distingui ab alio supposito praecipue solo numero per id quod ad essentiam pertinet; in hoc enim supposita eiusdem speciei non differunt, sed potius conveniunt. Ergo oportet¹ quod illud per quod unum suppositum substantiae distinguitur ab alio sit aliqua res addita ad ipsam essentiam; sed quicquid est res aliqua et non est substantia est accidens; quare et cetera.

Contra. Arguitur quod suppositum nullam rem addit supra naturam, quia ad substantiam perfectam ad hoc quod habeat esse subsistentiae non potest addi aliquid pertinens ad genus substantiae, quia totum hoc comprehendit ipsa essentia vel natura substantiae. Item, nec potest suppositum supra essentiam vel naturam addere rem accidentalem, quia tunc suppositum sive substantia subsistens non esset ens per se scilicet, sed ens per accidens constitutum ex substantia et accidente. nec natura speciei vel generis praedicaretur per se de individuo; ergo et cetera.

cod. P
fol. 91 Ra

Respondeo dicendum quod circa hoc est primo considerandum quid nomine suppositi et naturae vel essentiae sive quidditatis intelligitur; deinde quomodo haec se habent ad invicem.

Sciendum est igitur quod uno modo per naturam potest intelligi illud quod nomine abstracto significatum importatur, quasi per modum simplicis formae, quae quasi nata est ab aliquo participari: sub natura autem ut sic significata comprehenduntur tantum ea quae ad essentiam rei² pertinent vel naturam, puta sub significato humanitatis vel albedinis. Nec etiam ex modo significandi dantur intelligi aliqua quae ad naturam non pertinent, immo potius ratione modi significandi talia excluduntur sic quod de illa etiam non praedicantur. Suppositum autem, largo modo loquendo de supposito, potest dici id quod nomine concreto significatum quasi per modum compositi importat; de principali et per se significato tantum ea quae ad essentiam pertinent vel naturam, sed ex modo significandi dat intelligere vel saltem non excludit aliqua quae ad naturam non pertinent, puta homo vel album. Quaerere ergo quid sit quod addit suppositum sic acceptum supra naturam est quaerere quomodo se habeant quidditas et habens quid-

¹ ergo oportet] oportet ergo C. — ² bis V.

ditatem ad invicem, ut per quidditatem intelligatur essentia, per habens quidditatem suppositum.

Alio modo possunt accipi essentia vel natura et suppositum sic quod natura intelligatur id quod nomine communi secundum se et indistincte, sive ut unum secundum rationem et conceptum intellectus, a pluribus autem participabile significatur, ut homo vel humanitas, album vel albedo; suppositum autem, large loquendo de supposito, dicatur id quod importatur nomine singulari vel discreto ut quid in se indivisum et ab aliis singulariter existentibus divisum, ut haec humanitas, hic homo, haec albedo, hoc album. Quaerere autem quid addit suppositum sic accep | tum ad naturam sic acceptam ¹ est quaerere de causa individuationis sive quid addit singulare super commune, scilicet haec humanitas super humanitatem, hic homo super hominem, haec albedo super albedinem, hoc album super album. Et quia proprie accipitur suppositum | in substantia, ideo prosequendo quaestionem propositam ² secundum utrumque membrum praedictum accipiemus comparationes in terminis substantialibus.

cod. C
fol. 42 V^b

cod. P
fol. 91 R^b

Quantum ad primum ergo est ³ inquirendum utrum homo addat aliquid supra humanitatem et hic homo super hanc humanitatem et quid sit illud. Videtur autem quod suppositum aliquid addat supra | naturam cum in talibus unum de alio non praedicetur, scilicet humanitas de homine et albedo de albo, cum tamen homo per se et essentialiter non significet aliquid suorum accidentium nec etiam ⁴ album significat substantiam. Hoc autem non videretur contingere nisi homo etiam praeter sua accidentia, et album praeter substantiam aliquid importet ratione cuius aliquo modo realiter differant ab humanitate et albedine, quoniam non solus modus significandi vel intelligendi absque aliqua diversitate reali videtur impedire praedicationem per identitatem, licet formalem impediatur, sicut patet in divinis; nam ibi dicitur Deus est deitas. Hoc etiam videtur ex eo quod supposito aliquid convenit quod non naturae; nam suppositi est agere, non naturae et cetera. Item, hoc videtur ex eo quod conceditur quod Filius Dei assumpsit in unitate suppositi aeterni naturam humanam, non autem hominem; unde etiam illi naturae non convenit ratio suppositi creati. Si tamen illa natura separata esset a supposito divino, cum ipsa esset quid in se subsistens, ei conveniret ratio suppositi creati et sic videretur aliquid sibi addi quod modo non habet sive videretur realem differentiam habere ad ipsam ut nunc est. Et hoc quidem aliqui concedunt dicentes quod,

cod. V
fol. 104 V^b

¹ ad — acceptam] *om.* C. — ² proposita C. — ³ ergo est] est ergo PC. — ⁴ et P, *del.* 2^a m. C.

cum natura sit ut aliquid habitum, suppositum vero sit ut quid habens, ubi idem ponitur suppositum et natura, oportet quod idem sit habens et id quod habet, quod dici non potest nisi in re ¹ omnimode ² simplici qualis non est aliqua creatura, cum in omni creatura sit aliqua compositio ex actu et potentia. Et sic videtur quod non erit idem suppositum et natura.

cod. P
fol. 91 Va

Et ex hoc videtur sequi quod addit aliquid supra naturam. Non videtur autem quod addat accidentia aliqua | quoniam sic suppositum non esset ens per se, sed per accidens; nec esset per se in aliquo praedicamento cum non esset per se unum. Et ideo oportet dicere quod suppositum in sui significato hoc non includit, scilicet naturam et quaedam adventitia naturae. Verumtamen, quia suppositi est agere, non autem naturae, possunt in ratione et diffinitione suppositi accipi esse et alia sine quibus suppositum non existit nec agit, nec natura potest subsistere sine illis, et haec sunt alia a natura. Propter quod, etiamsi suppositum diffiniretur secundum hoc, aliquid intraret diffinitionem eius quod non intraret diffinitionem naturae ³, quia in diffinitione naturae non ponitur aliquid quod ad naturam non pertineat; sed in ratione suppositi sunt quaedam adventitia naturae sine quibus suppositum non potest intelligi, sicut sunt esse et proprietates sine quibus natura actu existere non potest. Unde, si diffiniretur suppositum, haberet diffinitionem per additamentum, sicut accidentia, quia in eius diffinitione poneretur natura tanquam id quod dicit eandem essentiam cum ipso et cum hoc alia supervenientia naturae. Sed. — cum nomen suppositi non ⁴ significet naturam cum illis advenientibus naturae, suppositum autem sine natura in supposito non potest per se esse nec per se agere sine esse et sine proprietatibus et accidentibus convenientibus et tamen suppositum dicit id quod habet per se esse et per se agere, natura autem hoc non habet, ut per se patet in natura humana assumpta in Christo, — oportet quod suppositum importet et significet quendam modum se habendi quem consequitur ex hoc quod subest ipsi esse et proprietatibus sine quibus natura actu non existeret nec suppositum ageret.

cod. P
fol. 91 Vb

cod. V
fol. 105 Ra

Ratione tamen huiusmodi suppositum non dicit aliam rem a natura, immo natura et suppositum dicunt eandem rem et tamen ipsum suppositum differt realiter a natura; nec est hoc inconveniens, sicut videmus quod materia extensa realiter differt a seipsa non extensa et tamen non dicit aliam rem ipsa extensa a se ipsa non extensa. Ex eo enim quod res praedicamentorum ad invicem coniunguntur, aliquid in sua essentia contrahunt per quod realiter | differunt a se ipsis ut non sunt coniunctae. **Materia**

¹ iure PC. — ² omnino *corr. 2a m. C.* — ³ non ponitur *add. C.* — ⁴ *om. C.*

ergo, ex hoc quod coniungitur quantitati, aliquid in sua essentia contrahit et acquirit per quod realiter differt a se ipsa ut non est coniuncta, ut sic materia extensa, etiam ¹ praeter hoc quod includat quantitatem, dicat quoddam compositum, non ex his quia ² tale compositum non ³ includit in se plura realiter differentia, sed huic, quia dicit quid compositum quantita | ti. Ex unione enim ad illam aliquid resultat in ea ut esse extensum quid, et sic compositior est materia quantitati coniuncta quam in se considerata. Et similiter ⁴ dicendum est de omnibus accidentibus quibus substantia subicitur. Illud autem quod materia contrahit est quidam ⁵ modus, et realis modus, non secundum rationem tantum; nam, cum materia alicui formae coniungitur cui primum coniuncta non erat, vere et realiter transmutatur ad illam formam et vere et realiter illi formae subicitur; et sic, cum sit in sua essentia realiter variata, differt realiter a seipsa ut non est sic variata, et realem quendam modum habet quem prius non habebat; ut coniuncta quantitati dicatur extensa, separata vero a ⁶ quantitate non sic dicatur. Et quia materia seipsa extenditur per quantitatem, non mediante aliqua alia extensione, sicut quantitas se ipsa ⁷ materiam ⁸ extendit, ideo extensio materiae non dicit aliam rem vel essentiam quam ⁹ materiam; et tamen est quidam modus realis quem accipit materia ut est quantitati coniuncta, quia sequitur realem variationem factam in materia; et ideo facit materiam realiter differre a se ipsa ut non est coniuncta quantitati, et hoc quia est alia extensio materiae et alia extensio quantitatis, nec tamen materia extensa sive participans extensionem est aliud quam materia, sed est ipsa materia in se diversificata, ut est sub quantitate et ut est quantitate privata.

cod. C
fol. 43 Ra

Et confirmatur hoc per hoc quod Philosophus dicit, primo de Generatione, ubi quaerit quomodo differt materia ut est sub formis contrariis, et solvens dicit quod est eadem secundum essentiam, non autem secundum esse. | Sed huiusmodi esse secundum quod attenditur talis differentia non dicit essentias ¹⁰ formarum quasi diceret quod materia existens sub formis contrariis differat secundum esse, quia differt secundum essentiam formae: eadem enim esset responsio ad quaestionem cum ipsa quaestione. Cum enim quaeritur quid consequitur materia ex eo quod est sub alia et alia forma, si responderetur quod consequitur aliam et aliam formam, non satisfacit quaestioni, quia non dicitur quomodo differt materia a se ipsa per hoc quod est sub alia et alia forma; nec etiam accipitur ibi esse pro

cod. P
fol. 92 Ra

¹ et C. — ² quod C. — ³ om. PC. — ⁴ supra P et Ia m. V. — ⁵ quidem CV. — ⁶ et Ia m. C. — ⁷ ipsam C. — ⁸ naturam C. — ⁹ quod P. — ¹⁰ eadem C (?).

essentia materiae, quia essentia materiae non habet rationem esse, nec potest dici quod dicat quandam rem tertiam quam forma imprimat materiae; forma enim per se perficit et materia per se perficitur, nec est aliquid aliud uniens ista nec aliquod medium constitutum ex istis. Huiusmodi ergo esse in materia dicit quendam modum existendi quem habet materia ut est sub forma; quare sic et sic accepta realiter differt a se ipsa. Unde, cum quantitas sit quaedam forma, necesse est dicere quod materia quendam modum recipit ex hoc quod est sub quantitate, et per istum modum realem¹ realiter differt a se non extensa. Quis enim dubitat quin materia prius non perfecta per quantitatem et non extensa, postea autem perfecta per quantitatem et extensa per eam sic et sic accepta realiter sive secundum esse differt a seipsa, cum extensum secundum² rem et veritatem realiter differat a non extenso³? Potest enim distingui duplex extensio vel extensum: unum quod est essentialiter tale ut ipsa quantitas, aliud quod est participative tale ut ipsa materia; et haec potest dici non illa, quia extensio | materiae non est extensio quantitatis, sicut partes materiae sunt aliae a partibus quantitatis. Nullus ergo dubitat quin vere extensum differt vere et realiter a non extenso; materia autem sic et sic diversificata, ut scilicet sit extensa et non extensa, licet hoc habeat per aliam rem, quia per formam sive quantitatem, ipsa tamen non ens res alia, sed illa eadem ut est perfecta per formam differt realiter a se ipsa ut est privata et abiciens formam.

cod. V
fol. 105 R^b

Sicut ergo videmus hoc in materia quod eadem existens differt realiter a se propter coniunc | tionem ad quantitatem et separationem ipsius ab ea ut in se consideratur, similiter in proposito: illa eadem essentia in se considerata ut non participat perfectiones additas dicitur natura; ut est subiecta perfectionibus et ut participat perfectiones alias, si sit per se existens, dicitur suppositum. Suppositum ergo quod dicit naturam cum tali modo quem⁴ natura consequitur, ex hoc quod subicitur esse et proprietatibus, realiter differt a natura ipsa secundum se accepta, et tamen non dicit aliam essentiam ab ipsa natura.

cod. C
fol. 92 R^b

Sed istud non videtur bene dictum; sed melius videtur dicendum quod suppositum, secundum dictum modum accipiendi, nullam rem addit per se de suo principali significato supra naturam et ex consequenti patet quod nec realiter differt a natura.

Quod enim aliquid differat realiter ab aliquo et non sit res alia nec rem aliam includat⁵ implicat contradictoria. Sicut enim quae differunt

¹ realiter 1^a m. C. — ² differt — secundum] om. C. — ³ extensa PC, et 1^a m. V. — ⁴ quam C. — ⁵ includit PC et 1^a m. V.

ratione diversas rationes oportet importare et qui ponit quod aliquid differat ratione ab aliquo et non sit alia ratio vel non includat aliam rationem¹ quam illud, implicat contradictoria; ita quae differunt realiter, diversas res importare oportet, et qui ponit | quod aliquid differat² realiter ab aliquo et non sit res alia nec aliam rem includat³ manifeste contradictionem includit.

cod. C
fol. 43 R^b

Item, de illo modo quaero: aut est nihil et omnino non ens et sic per ipsum non potest aliquid differre ab aliquo non solum realiter, sed nec secundum rationem; aut est aliquid et aliquid⁴ ens. Si sic, aut est ens secundum animam et in anima solum et sic nullam differentiam realem⁵ facit circa rem extra, aut est ens verum per se et extra animam. Aut ergo est idem omnino cum natura ita quod verum sit quod natura est ille suus modus et sic nullam facit differentiam eius ad aliquid; aut est ens aliquo modo differens ab ea; si sic aut absolutum et sic faceret compositionem realem cum ea, aut respectivum⁶ et tunc esset vera relatio inter substantiam et sua accidentia, quod est falsum, quia reales relationes, ut videbitur, requirunt in creaturis etiam | fundamenta realiter differentia et relativa etiam subiecto sive supposito esse distincta, propter quod inter materiam⁷ et formam et universaliter inter subiectum et accidens non potest esse relatio realis.

cod. P
fol. 92 V^a

Item, sicut natura sortitur realem modum ex hoc quod perficitur ipso esse et proprietatibus, ita etiam ipsum esse et proprietates debent sortiri quendam modum ex sic perficere subiectum vel naturam. Et procedetur circa hoc sicut prius; etenim secundum hoc, etiam ex parte accidentium, erit dicere quod inhaerens realiter differt a natura⁸ cui⁹ inhaeret et cetera. Cum enim ex coniunctione praedicamentorum ad invicem, ut dictum est, aliquid contrahant naturae eorum quae sub praedicamentis continentur, sicut materia vel natura vel subiectum contrahit modum realem, ratione cuius differt realiter a se ipso, ex sic perfici, ita etiam et quaelibet forma ex sic perficere; et sic erit realis modus annexus materiae vel subiecto vel naturae respectu formae vel accidentium et formae et¹⁰ accidentium respectu naturae vel subiecti. Ille modus ergo, ut prius, est ens respectivum, quia non potest esse nihil nec ens absolutum, sicut ex iam dictis patet, | nec ens solum in anima. Si autem sit ens respectivum, cum hoc sit de ratione cuiuslibet tam informati quam informantis, omnia erunt entia

cod. V
fol. 105 V^a

¹ vel — rationem] om. C. — ² differt C. — ³ includit C. — ⁴ aliquid CV. — ⁵ differentiam realem] realem differentiam P. — ⁶ respectivum PC. — ⁷ naturam C et 1^a m. V. — ⁸ differt a natura] a natura differt C. — ⁹ quae P. — ¹⁰ etiam C.

respectiva. Unde suppositum in genere substantiae de cuius ratione est talis modus respectivus est suppositum non absolutum sed respectivum, sicut contingit in divinis. Nam, licet talis modus ratione fundamenti reducatur ad genus substantiae sicut et in divinis contingit de relatione, tamen, si ratione respectus quem importat est vere relatio et est de ratione suppositi creati, omnia supposita creata erunt relativa, non absoluta; et similiter potest deduci suo modo circa accidentia et formas ratione dictorum modorum. Si autem dicatur quod talis modus non est ens absolutum et aliud a natura, quia faceret compositionem et diversitatem realem cum ipsa natura, nec est ens respectivum propter alia inconvenientia, sed est tantum quidam modus realis entis dicto modo derelictus, saltem | cum sit de significato et ratione suppositi creati, tunc suppositum omne est suppositum modale. Sicut enim, si de ratione suppositi creati essent vera accidentia quae essent quasi formale et completivum in ratione suppositi, deberent dici supposita accidentia; sicut propter hoc supposita divina dicuntur supposita relativa, quia relatio est completivum et formale in ratione suppositi divini, — ita etiam, si de ratione suppositi esset talis modus, deberet dici suppositum modale, quod est inconveniens.

cod. P
fol. 92 V^b

Item, videtur quod, etsi ex unione naturae ad accidentia sequeretur in ea aliquis modus realis ratione cuius ipsa ut sub illo differret realiter a se ipsa, ut secundum se tamen ille modus non deberet dici pertinere ad rationem suppositi, sed deberet dici esse quid consequens ad ipsum. Si enim prius natura est unio naturae ad accidentia quam ¹ talis modus ex hoc derelictus, prius est ipsa natura sub accidentibus quam sub illo modo. Sed non potest intelligi esse sub accidentibus nisi habens rationem suppositi in se subsistentis et accidentia sustentantis. Ergo, si per accidentia non habet natura rationem suppositi nec sunt de ratione suppositi respectu naturae, multo fortius ergo hoc verum est de tali modo.

Item, cum ille modus esset natura posterior unione accidentium cum natura et sic prius natura esset totum compositum ex accidentibus et natura quam ille modus, videtur quod illud cuius per se esset talis modus esset compositum ex natura et accidentibus; et sic, si talis modus esset formalis ratio suppositi, suppositum in sua ratione includeret naturam et accidentia cum illo modo et sic ² veram essentiam adderet ad naturam.

Item, si est aliquis modus realis derelictus ex unione tui, quaero utrum ex unione ad esse derelinquatur aliquis modus realis et etiam ex unione ad quodlibet accidens derelinquatur quidam determinatus modus.

¹ quem. — ² si C.

Et videtur quod sic, quia qua ratione ex unione ad unum, eadem ratione ex unione ad aliud et quaeretur quis istorum sit de ratione suppositi; aut si plures, tunc suppositum non erit unum simpliciter¹. Item, dicere | quod aliquid, quod scilicet non est purum non ens nec est etiam ens secundum rationem et in anima, sed² extra animam, sit tantum modus quidam realis et non sit ens quod sit substantia vel accidens, nec sit ens absolutum nec respectivum, cum haec important divisionem entis per immediata, | fictio videtur; nisi forte dicatur quod sit aliquid horum per reductionem. Si igitur dicatur quod est ens quod nec est substantia nec accidens per se, sed per reductionem vel attributionem, hoc non videtur bene posse dici, quia non videtur quod aliquid sit ens per reductionem vel attributionem³, nisi in quantum est aliquid entis per se, vel | ut ipsum disponens ut accidentia absoluta, vel referens ut relationes, vel ut principians ut forma et materia et cetera. Si etiam sit ens per reductionem, cum sit quid derelictum ex informatione accidentium, erit accidens per reductionem, et sic completivum et formale suppositi quod est substantia est quid accidentale. Et quia hoc et multa alia inconvenientia ex dicta positione manifeste sequuntur, ideo est omnino irrationalis et⁴ penitus est⁵ repellenda.

cod. P
fol. 93 Ra

cod. C
fol. 43 Va

cod. V
fol. 105 Vb

Si autem dicatur quod talis modus quem addit suppositum supra naturam non sit aliquid derelictum ex tali unione naturae per accidentia, quia sic natura humana in Christo haberet rationem suppositi, ut per se patet, sed est quidam modus in se subsistendi qui competit naturae completae in genere substantiae in virtute, sed actu est suppositi ab agente dante illi naturae esse non in alio vel cum alio, sed in se ipsa, ita quod natura, ut⁶ humanitas, hunc modum non includit, sed homo in sua ratione et suo significato illum modum importat: — contra hunc modum dicendi possunt primo induci quae inducta sunt contra primum; et secundo specialiter potest argui contra illum modum dicendi, quia ille modus, cum sit aliquo modo entitatem aliquam importans, aut est prius natura quam ipsa natura cuius modum dicit aut posterius: non prius natura, quia non dicitur habere entitatem nisi quodammodo per reductionem ad ipsam naturam cuius est; si posterius natura et ut quid diminutum vel debile vel modicam entitatem habens, ex eo non poterit convenire naturae quae est quoddam ens perfectum et reale de genere primo, scilicet substantiae, ratio subsistendi in se quae dicitur ratio suppositi; immo oportet quod illud entitatis quod importat talis modus in entitate vera et completa naturae cuius est

cod. P
fol. 93 Rb

¹ non erit unum simpliciter] unum simpliciter non erit C. — ² secundum C; sed etiam corr. 2^a m. C. — ³ hoc — attributionem] bis P. — ⁴ om. P et 1^a m. C. — ⁵ om. P. — ⁶ et C.

subsistat, sicut ponitur de veris accidentibus et omnibus ipsam naturam substantiae concomitantibus. Ergo videtur quod talis modus non possit poni. Si etiam ponatur, non videtur quod sit de ratione suppositi, sed magis aliquid ipsum consequens et concomitans.

Et ideo videtur dicendum quod suppositum sic acceptum non differt a natura nisi sicut concretum vel sumptum et principale sive abstractum. Unde idem est quod intelligitur et significatur principaliter per utrumque; sed alius est modus significandi et intelligendi prout intelligitur et significatur per nomen abstractum essentiae et per nomen concretum suppositi. Quod autem sit omnino idem significatum principale utrobique hoc patet; nam id quod terminus significat implicite et confuse non distincte, significat diffinitio indicans quod quid est explicite et distincte. Sed quicquid pertinet ad diffinitionem naturae pertinet ad diffinitionem suppositi et e converso. Nam, etsi ¹ diffiniatur humanitas, quaecumque ponentur in eius diffinitione ² sub nominibus abstractis ponentur in ³ diffinitione hominis sub nominibus concretis et e converso, ut patet, si pertractetur diffinitio tam logica quam naturalis; quare et cetera. Et hoc modo est verum quod dicit Philosophus, septimo Metaphysicae, quod in his quae sunt per se idem est res et quod quid ⁴ est rei; per rem autem videtur intelligere suppositum, per quod quid est essentiam; entia autem per se, ut patet, ibi intelligit quae important unam naturam unius generis vel praedicamenti et praecipue substantiae, ut homo, quia entia per accidens in quibus dicit hoc non esse idem, intelligit composita ex substantiis et accidentibus, ut est homo albus, secundum quod ibi | pertractat. Homo enim nihil aliud est quam quod quid est hominis; nec enim aliud significat homo quam animal rationale et cetera. Sed res alba non est idem ⁵ omnino cum eo quod est quid album, quod scilicet significatur nomine albi; nam album non significat nisi qualitatem, | res autem alba est habens qualitatem et cetera.

cod. P
fol. 93 Va

cod. C
fol. 106 Ra

Quod autem differunt solum dicto modo patet; nam nomen naturae significat essentiam rei et ea quae ad ipsam per se pertinent simpliciter et absolute quasi per modum simplicis formae sive secundum rationem formalis perfectionis ab aliquo per modum compositi et totius participabilis; et, licet talis natura non existat in rerum natura in rebus materialibus praecipue sine accidentibus, tamen, cum illa sint extra eius essentiam, nomen quo significatur essentia ⁶ vel natura ut quid ⁷ abstractum ab omni extraneo significat solam essentiam et principia essentialia etiam cum praecisione

¹ si C. — ² eius diffinitione] diffinitione eius C. — ³ eius *add.* C. — ⁴ quod quid] quicquid PC. — ⁵ id C. — ⁶ esse V. — ⁷ ut quid] quasi C.

omnium accidentium et exclusione; sic quidem quod, quamvis cum natura sint realiter idem subiecto, tamen de ea praedicari non possunt. Nomen autem suppositi, ut homo, eandem et solum naturam de suo principali significato significat. Sed, — quia illam significat quasi ut participatam ab eo quod etiam participat accidentia et modo quo etiam ei nata sunt accidentia convenire et de ea dici, quia non significat naturam absolute aut abstractam ab accidentibus et per modum informantis, sed in concreto et per modum subsistentis et ¹ informati, — propter hoc, licet in eius significato non includantur per se accidentia, tamen ratione modi intelligendi naturam ut sic significatur | illa etiam non excluduntur, sed pro tanto includuntur quod etiam de ipsa ut sic significatur praedicantur; et ideo etiam dicitur quod suppositum significatur ut totum, natura autem ut pars formalis. Si ergo aspiciatur ad id quod per nomen naturae et suppositi per se et principaliter significatur, non est differentia realis inter naturam et suppositum, sed solum secundum rationem et modum intelligendi et significandi, ut dictum est. Sed, si aspiciatur ad id quod ratione modi significandi et intelligendi datur | intelligi modo supradicto per nomen suppositi et naturae, sic suppositum non est idem realiter cum natura, quia non solum addit modum quendam, sed veram rem accidentalem; propter quod, licet omnimoda identitas sit rei significatae principaliter et per se utroque nomine, et ideo etiam, quia suppositum nulla accidentia per se et proprie in suo significato includit, est ens non per accidens, sed per se, unum tamen de alio non praedicatur non solum praedicatione formali sed nec per identitatem. Per modos enim significandi praedicationes bene impediuntur.

cod. C
fol. 43 V^o

cod. P
fol. 93 V^o

Nec est simile de nomine Dei et deitatis quorum unum de altero praedicatur, quia modus alius et alius significandi et intelligendi impedit in divinis praedicationem formalem, sicut etiam in aliis; sed praedicationem per identitatem non impedit ibi sicut alibi, eo quod illa quae nomine Dei dantur intelligi ratione sui modi significandi et intelligendi, quae non sic dantur intelligi ex modo significandi et intelligendi ² deitatis, non dicunt vel important rem aliam a natura divina per utrumque nomen significata, licet ³ sub alio et alio modo, ut patet in singulis. Non sic autem contingit in nominibus significantibus naturam creatam in abstracto et concreto, ut patet. Unde, si omnia quae aliquo modo ratione modi intelligendi et significandi nomine Dei importantur sub eius significato per se caderent, tamen praedicationem per identitatem deitatis de Deo non impediunt, quia omnia talia etiam non sunt realiter aliud quam ipsa natura deitatis. Planum autem

¹ om. C. — ² quae non sic -- intelligendi] om. P. — ³ sed P.

est quod secus est ¹ de terminis concretis et de eis quae per ipsos aliquo modo importantur respectu terminorum ² abstractorum in creaturis.

cod. V
fol. 106 R^b
cod. P
fol. 94 R^a

Ex eodem etiam, scilicet ex alio modo significandi et intelligendi rem eandem sub ratione naturae in abstracto et sub ratione ³ suppositi in concreto, contingit quod actus qui attribuuntur supposito non attribuuntur naturae, etiam in divinis; nam dicitur quod Deus creat, Deus generat; haec tamen non dicuntur de ⁴ deitate vel natura. Cuius ratio est, quia res significata in abstracto ut nomine naturae significatur, ut dictum est, significatur sub ratione quasi partis formalis sive formae, et ideo ut ratio agendi; ipsa autem eadem significata in concreto, ut nomine suppositi significatur ⁵, significatur quasi sub ratione totius sive informati et habentis quasi esse per naturam ut per formam, et ideo significatur ut id quod est in se habens rationem agendi et sic ut agens. Unde verba per se actiones significantia non dicuntur de natura divina in abstracto significata ⁶ eo quod diversitas secundum modum significandi et intelligendi, licet aliquando non impediatur praedicationem per identitatem, impedit tamen semper praedicationem formalem; et, quia verbum activum actionem significat formaliter, ideo, si illud de quo praedicatur non significet rem sub illa ratione et modo sub quo ei competit agere, non recipitur talis praedicatio.

Quod etiam inducitur quod suppositum importat modum subsistendi in se sive per se existendi et illud cui competit agere, non autem natura, hoc est contra illos qui dicunt modum realem quem addit suppositum supra naturam contingere ex unione naturae ad esse et ⁷ ad suas proprietates et accidentia. Nam, cum hoc totum inveniatur ⁸ in natura humana assumpta in supposito divino, illa etiam esset quoddam suppositum et vere diceretur quod Filius Dei assumpsit hominem. Ergo secundum hoc oporteret, — praeter dictum modum qui non videtur esse formalis ratio suppositi, quia est in aliqua natura quae non habet rationem suppositi, — ponere alium modum realem et cetera.

Et ideo, ad evidentiam horum quare est hoc, scilicet quod supposito convenit agere non naturae, et Christus dicitur assumpsisse non hominem qui significat per modum suppositi, sed humanitatem quae significat per modum naturae, sed tamen suppositum et natura sunt idem et unum secundum rem, — est intelligendum quod, ut dictum est, licet nomine suppositi non significetur primo et principaliter nisi id ipsum quod significatur nomine naturae et e converso, tamen aliud connotatur nomine

¹ esse P. — ² concretorum et *add.* C. — ³ naturae — ratione] *om.* C. — ⁴ *del.* 2^a m. C. — ⁵ significato C. — ⁶ *om.* C. — ⁷ totum inveniatur] inveniatur totum C.

suppositi quam nomine naturae; sicut etiam esse substantiae singularis et subsistentiae eius | sunt idem realiter, et tamen ratione diversorum connotatorum esse naturae humanae in Christo non est esse subsistentiae et tamen, si esset a persona divina separata, illud idem esset esse subsistentiae. Quia enim nomine quo significatur natura sub ratione suppositi significatur quasi sub ratione cuiusdam totius et perfecti | connotando exclusive aliud vel cui innitatur vel cum quo sit pars vel nata¹ sit esse pars², tali autem convenit agere. Sed nomine quo significatur natura sub ratione naturae in abstracto significatur ut sub ratione quasi formae et ut natum participari ab alio et quasi pars aliquo modo habentis ipsam naturam, tali autem non convenit³ agere. Sed quod sit ratio agendi, ideo quod natura non dicitur agere sed suppositum, hoc non est propter diversitatem realem quae importetur per illa, sed quia⁴, licet unum et idem per se importetur per utrumque, tamen sub alio modo intelligendi et significandi, ut dictum est. Hoc autem⁵ sufficit ad hoc quod impediatur praedicationes formales, sicut patet in divinis ubi constat quod suppositum nihil addit supra naturam, et tamen ista conceditur: Deus generat, et non ista: deitas generat.

cod. P
fol. 94 Rb

cod. C
fol. 44 Ra

Et ex hoc patet quod, quia illud quod unitur alicui in unitate suppositi habet naturam aliquo modo partis et alteri innitens, et hoc modo bene significatur natura nomine abstracto, non concreto, ideo dicitur quod Filius Dei assumpsit humanitatem vel humanam naturam, non hominem; et non dicitur hoc propter diversitatem realem quam suppositum importet respectu naturae, sed quia, ad hoc quod aliquid habeat⁶ rationem suppositi | et significetur sub ratione suppositi et in concreto, oportet quod res illa intelligatur ut in se et per se existat. Hoc⁷ autem requirit quod non apprehendatur sub ratione partis, sive materialis sive formalis, sive ut aliquid alterius vel alteri innitens, vel quo alteri aliquid convenit. Et ideo, licet natura humana in Christo sit quaedam substantia singularis, de se nata subsistere et per se existere, quia tamen habet esse ut quid | alterius, sive ut alteri innitens, in quantum Christus est unum quoddam in duabus naturis subsistens quarum altera est natura humana, ideo natura humana⁸ in Christo non potest per se significari nomine suppositi humani, sed illud in quo est haec natura ratione talis naturae bene⁹ sic significatur sub ratione suppositi; unde Christus, vel Filius Dei et Filius hominis dicitur homo, non humanitas; quia natura humana in Christo non est res per se,

cod. V
fol. 106 Va

cod. P
fol. 94 Va

¹ natum PC. — ² esse pars] pars esse C. — ³ contingit PC. — ⁴ om. C. — ⁵ aut C. — ⁶ hi't C. — ⁷ om. C. — ⁸ ideo — humana] om. C. — ⁹ unde P.

et in se existens et subsistens; quod tamen ei conveniret si non esset assumpta, sed sibi derelicta. Sed hoc non est quia aliquem modum realem haberet non assumpta quem non habet assumpta, sed quia illa¹ suam entitatem habet ut alii unitam, sive cum alio existentem, et non secundum seipsam. Quod² enim ipsa secundum se et per se existat vel quod cum alio, utrumque convenit ei formaliter ex seipsa absque aliquo sibi addito; effective autem convenit ei ab agente ipsam secundum se et in se absolute vel cum alio sive³ alii coniunctam⁴ producente.

Cum etiam dicitur quod oportet quod in creaturis suppositum non sit realiter idem quod natura, quia habens oportet aliquam compositionem importare in creaturis, nec potest esse idem⁵ habens et id⁶ quod habet, suppositum autem significat aliquid ut habens⁷, natura ut illud⁸ quod habetur et cetera. — dicendum quod, supposito quod in omni creatura subsistente oportet esse aliqua accidentia, verum est quod suppositum aliquid significat per modum concreti et habentis, non sic autem quod ipsa natura vere habeatur, quia habens et habitum realiter oportet esse distincta, sed solum secundum modum intelligendi et significandi, ut dictum est. Sed bene accidentia habentur a natura ut sic significata sub ratione suppositi in concreto, non autem ut significatur in abstracto. Et ideo, ratione talis modi significandi et intelligendi, suppositum, quod est habens naturam, dicitur quoddam totum et habens aliquid naturae additum, non quidem de suo principali significato, sed ut quid cointellectum⁹ et concomitans ipsam ut id sine quo non habet esse, sive ut quid a natura ut sic significata non exclusum. Et sic suppositum non est totum quoddam vel compositum plus quam natura quantum ad id quod per se in suo significato includit, quia hoc idem includit nomen naturae, sed solum quantum ad id quod dicto modo tantum cointelligitur sive ut communicans includitur vel potius non excluditur.

Exempla etiam per quae videtur suaderi quod aliquid possit realiter differre ab aliquo absque hoc quod includat aliquam aliam essentiam ex falsa imaginatione videntur procedere. Ex eo enim quod res praedicatorum ad invicem coniunguntur vel etiam in uno genere plura illius, sicut materia et forma in substantia, non contrahunt sic unita aliquid aliud in sua essentia quam sunt secundum id quod sunt realiter aliquid¹⁰ talis vel talis generis, sed totum compositum cuius sunt ex unione plurium est aliquid quod non esset secundum alterum tantum, non est tamen in

cod. P
fol. 94 V^b

¹ illam *corr. alia m. V.* — ² quam C. — ³ cum *add. C.* — ⁴ coniuncta PC, *et 14 m. V.*
— ⁵ esse idem | idem esse C. — ⁶ idem P. — ⁷ naturam *add. C.* — ⁸ id PC. — ⁹ intellectum C.
— ¹⁰ aliquis V.

ipso composito ex tali unione aliquid reale praeter partium realitatem ut sunt ipsius totius constitutivae; nam substantia ex unione eius ad accidens non contrahit aliquid reale consequens essentiam suam et essentiam accidentis, sed, in quantum de se est quid in potentia ad talem perfectionem quam essentialiter importat accidens, ex huiusmodi unione consequitur actualitatem et formam sive perfectionem ab ipsa realiter differentem; quia etiam accidens dicit naturam sive formam non in se natam subsistere, sed in eo et ex eo cuius est perfectio et quod natum est illud participare ex illa unione consequitur subsistentiam substantiae et suam etiam existentiam sive entitatem quam in se sine substantia non haberet nisi miraculose, ut in quantitate specierum sacramenti fit, quia accidentia non sunt entia nisi quia sunt entis quod est substantia. Unde, licet ex hac unione ipsum compositum plura contineat in se et ¹ ut includit unam partem ex unione alterius consequitur aliquid quod secundum aliam non habebat, licet etiam compositum realiter sit differens a se ipso ratione talium partium, in quantum scilicet existens compositum ex his ratione unius partis quae per se differt ab alia, ipsum compositum etiam differt ab illa; et ex consequenti et per accidens ipsum totum differt etiam a se ipso realiter. Cum a se ipsa una pars realiter differre non potest ex huiusmodi unione vel ex aliquo quod ex huiusmodi unione consequatur, nec potest dici aliquo modo in se ipsa composita realiter vel realem differentiam in se includere ex hoc, quod, licet non sit composita ex his sicut vere compositum, est tamen composita ex eo quod composita est huic. Ex compositione enim huic, qua scilicet una res dicitur componi vel coniungi cum altera, ipsum compositum ex his, id est ex illis partibus quarum una cum altera componitur, solum contrahit realem diversitatem et non componentia nisi dicto modo. Materia autem et subiectum vere et realiter transmutatur ex coniunctione eius cum forma, non tamen in sua essentia habet aliam variationem aliquam realitatem importantem praeter illam quam facit forma ipsam perficiens. Unde materia extensa per quantitatem non consequitur aliquam alienitatem ² vel variationem qua realiter differat a se non extensa, nisi ipsam quantitatem quae non est nisi extensio ipsius compositi per se et materiae in composito. Unde, cum dicitur quod materia extensa differt a se ipsa non extensa realiter et tamen essentiam aliam non addit, falsa est imaginatio. Nam materia extensa duo dicit: et essentiam materiae et essentiam quantitatis qua extenditur; et ideo differt sic a se ipsa accepta sine extensione, sicut simplex a composito, pars a toto. Sicut etiam substantia alba differt a se ipsa non

cod. C
fol. 44 Rb

cod. V
fol. 109 Vb

cod. P
fol. 65 Ra

¹ om. C. — ² alia C. — ³ compositum P. — ⁴ alienitatem P.

alba, non quia ex unione cum albedine consequatur aliam realitatem quam ipsam albedinem albantem ratione cuius sic realiter differre dicatur etiam praeter ipsam albedinem, immo quia res alba duo includit, res autem sine albedine unum, ideo res alba per aliquid reale additum differt a se ipsa non alba sive albedine.

cod. P
fol. 95 R^b

Cum etiam | dicitur quod materia se ipsa extenditur immediate per quantitatem, sicut quantitas se ipsa extendit materiam et sic extensio materiae est alia ab extensione quantitatis, propter quod dicitur quod etiam praeter realitatem quantitatis extendentis materia extensa ¹ ratione suae extensionis quae est quidam modus realis materiae differt a se ipsa non extensa realiter, implicat repugnantia. Nam dicere quod materia se ipsa extenditur et tamen hoc convenit ei per quantitatem repugnant, sicut dicere quod materia vel archa se ipsa est alba vel albatur et tamen per albedinem; pro tanto tamen verum est quod ipsa materia se ipsa ² extenditur tanquam subiectum extensionis, quia ipsam immediate perficit quantitas et extendit formaliter, sicut etiam ipsum lignum superficiatum immediate perficit et qualificat formaliter albedo. Unde etiam verum est quod id quod est materia sive ipsa essentia materiae extenditur sicut et id quod est lignum qualificatur vel albatur, et sicut lignum album ³ differt a se ipso non albo, sicut compositum ex substantia et qualitate a simplici subiecto et sicut totum a parte et hoc per aliquid additum, scilicet per albedinem, ita in proposito debet dici; proprie tamen non debet dici quod materia extendatur, et quod quantitas extendat ⁴, sed compositum per se est extensum et ipsa quantitas est formalis ratio extensionis sive est ipsa extensio compositi; propter quod etiam extensio materiae dicit aliam rem quam sit ipsa materia, sicut quantitas est res alia | a materia. Nec est extensio materiae quidam modus nisi sicut quantitas est quidam modus substantiae; etenim universaliter accidentia sunt quidam modi vel quaedam dispositiones substantiae. Unde sicut ex unione quantitatis cum materia et ex eo quod extendit materiam non consequitur quantitas aliquid reale aliud quam suum esse et suam entitatem per esse in materia, ita etiam et in materia ex unione eius ad quantitatem ex hoc quod extensa non habet ultra suam essentiam aliquem modum realem nisi formalem ⁵ extensionem quantitatis; et sicut quantitas qua fit extensio non consequitur aliquid aliud quam suum esse quidditativum sive id quod est quantitas, ita materia quae extenditur non est aliud quam

cod. V
fol. 107 R^a

cod. P
fol. 95 V^a

¹ est *add.* C. — ² se ipsa] per seipsam C. — ³ extendere P. — ⁴ etiam *add.* C. — ⁵ et extendat] *om.* C. — ⁶ sic C.

materia. Non debet ¹ ergo dici quod alia sit | extensio materiae et alia extensio quantitatis; immo in quanto in quo sunt plures formae, scilicet una substantialis et accidentales diversae, una extensione et materia et forma substantialis et omnes aliae extenduntur. Unde non solum est eadem ² extensio materiae et quantitatis, sed etiam formae substantialis albedinis et omnium aliarum formarum extensionem suscipientium, quia ipsa quantitas est una extensio per essentiam qua participative et formaliter materia et omnia quae in ipsa sunt extenduntur. Unde materia extensa realiter differt a sua extensione; sed non differt realiter a se ipsa, circumscripta ipsa extensione quae non est nisi quantitas extendens.

cod. C
fol. 44 Va

Item, cum ab eis (1) distinguitur extensum in id quod est essentialiter tale, ut quantitas, et participative tale, ut materia, addendo quod hoc non est illud ut extensio materiae non sit extensio quantitatis sicut nec partes materiae sunt partes quantitatis, non bene distinguitur. Nec enim est quantitas extensum per se et essentialiter nec materia participative; sed compositum ex materia et quantitate est quid extensum per se in quantum confinet materiam per quam ipsum compositum est in potentia ad extendi et quantitatem ³ per quam est actu extensum. Sicut enim nec forma quae est actus sive esse compositi nec ipsa materia cuius est forma perfectio per se est, sed totum compositum quod complectitur duo secundum quorum unum convenit ei esse in potentia, secundum aliud esse in actu, ita nec etiam quantitas nec materia proprie extenditur, sed compositum continens duo: scilicet materiam secundum quam convenit ipsi composito esse extensum in potentia, et quantitatem ⁴ secundum quam convenit esse extensum in actu; totum enim est in potentia per materiam vel ⁵ subiectum et totum est in actu per formam. Unde, sicut | non est aliud esse simpliciter materiae et formae et compositi, ita non est alia et alia

cod. P
fol. 75 Vt

extensio sive aliud et aliud esse extensum materiae et quantitatis et ⁶ compositi, sed una et eadem. Unde, licet alia sit essentia materiae vel substantiae et albedinis quae per quantitatem in composito extenduntur et quantitatis qua tam materia quam albedo in composito extenduntur ⁷, tamen non sunt aliae partes materiae sive substantiae et aliae partes albedinis et aliae partes quantitatis tam materiam quam albedinem in composito se ipsa quae est quaedam compositi extensio extendentis.

¹ Oportet C. — ² est eadem] eadem est C. — ³ quantitative P. — ⁴ quantitas PC. — ⁵ in P. — ⁶ om. P. — ⁷ extenditur C. — ⁸ essent partes] partes essent C.

(1) Aegidius Romanus, *Quodl.*, V, q. 14 ad argum (p. 310).

etiam quantitas extendens; sed ex hoc non debet argui quod alia sit extensio haec et illa, sed quod illud quod in composito per quantitatem extenditur est aliud realiter ab eo quod in composito¹ illud extendit. Quia enim quantitas realiter extendit ipsam essentiam materiae, ideo sub qualibet parte quantitatis est essentia materiae extensa; et secundum divisionem quantitatis, immo compositi per quantitatem, oportet ipsam essentiam materiae dividi; ita etiam de qualibet forma pure materiali. Et sicut materia si non extenderetur non haberet partes, sed esset simplex et indivisibilis, ita cum extenditur, quia ex ipsa et quantitate fit unum in esse et subiecto, et vere extenditur per quantitatem id quod ipsa est essentialiter manens² distincta in essentia a³ quantitate; ideo sub illa et per illam habet partes quarum quaelibet secundum id quod est est essentialiter materia et non quantitas. Quod tamen habeat rationem partis, et quod sit divisa in actu vel divisibilis et partibilis in plures partes, hoc⁴ habet formaliter per quantitatem, sicut habet⁵ per quantitatem rationem extensi vel quod sit quid extensum. Et⁶ sicut materia extensa duo includit, scilicet ipsam essentiam materiae quae extenditur et ipsam quantitatem quae illam extendit et est ipsa extensio formaliter, ita etiam materia partita vel id quod est pars quaedam materiae duo includit: scilicet ipsam essentiam materiae quae partitione et divisione materiae extensae per quantitatem in plura est aliquid distinctum ab alia parte eiusdem rationis, et ipsam quantitatem qua⁷ sic partibilitatem et divisibilitatem habet ipsa materia et est ipsa divisibilitas et partibilitas materiae. Et sicut, circumscripta extensione quantitatis sive quae est quantitas, non potest intelligi materia sub aliqua ratione extensionis sive aliquo modo extensa, ita etiam, circumscripta partitione quantitatis sive quae est quaedam quantitas, non potest intelligi materia habere aliquo modo etiam rationem partis. Et ideo, cum est materia actu extensa vel actu habens partem, non potest intelligi quod ex hoc in materia extensa sit aliud extensio et partitio materiae et quantitatis, sicut etiam patet in aliis a quibus materia vel substantia habet esse aliquo modo in actu sive substantiali sive accidentali quod ex unione talium ad materiam vel substantiam non contingit quod aliquid aliud sit actualitas materiae vel substantiae quem consequitur ex unione eius ad talem formam et actualitas ipsius formae; et sic, cum materia non habeat extensionem nisi quae est quantitas qua tamen⁸ ipsa vere extenditur et in hoc vere habet partes, — ipsa enim tota extenditur per totam quantitatem et partes per partes quantitatis, — tamen, ut dictum est, partes materiae non sunt aliae a partibus quantitatis. Circumscripta enim quantitate, non potest intelligi quod in materia sint aliquae partes; sed, circumscripta materia, in ipsa quantitate est intelligere partes.

cod. V
fol. 107 R^o

cod. P
fol. 97 R^o

¹ quod in composito] compositum C., per quantitatem — composito] om. P. — ² essentia a] esse et C. — ³ id V. — ⁴ om. P. — ⁵ om. V. — ⁶ om. P. — ⁷ quae C. — ⁸ et ad. P. — ⁹ sicut C. — ¹⁰ qua tamen] quantum PC.

Quando ergo haec ad invicem coniunguntur, totum id quod ad rationem partis extensionis et divisionis pertinet ad quantitatem per se est referendum. Et ideo in materia extensa et partita sicut non est ibi extensio formaliter nisi quae est quantitas, ita etiam non est ibi ponere partes formaliter nisi secundum quantitatem. Sicut tamen ¹ est ibi aliquid extensum quod non est quantitas, ita est ibi aliquid divisum et partitum quod etiam non est quantitas, sed est ipsa substantia materiae quae divisione et partitione quantitatis dividitur; quae, licet secundum hoc partes habeat formaliter, tamen non sunt aliae a partibus quantitatis.

cod. C
fol. 44 Vb

Praeterea, si ponatur quod praeter extensionem quantitatis sit quaedam ex | tensio materiae quam dicunt isti (1) non esse quantitatem nec extensionem quae est quantitas, sed quendam modum materiae ex unione eius ad quantitatem derelictam ², cum ille modus non ponatur esse res et essentia alia ab ipsa materia, non potest dici quod materia per illam habeat alietatem realem in partibus nec quod per eam sit una pars materiae essentialiter alia ab altera.

cod. P
fol. 67 Kb

Ponendum est ergo quod differt una pars materiae ab alia essentialiter, sed non nisi sit extensa. Unde, licet materia extendatur per accidens quod est quantitas, tamen partes eius non differunt ab invicem accidentaliter solum, sed essentialiter, licet hoc ei conveniat ex quantitate in ³ quantum per eam sua essentia vere et realiter extenditur. Sicut enim illud quantitatis quod est in una parte est aliud ab eo quantitatis quod est in alia parte eius, ita id substantiae ⁴ materiae extensae quod est in una parte ipsius materiae ⁵ extensae per quantitatem est aliud non accidentaliter, sed essentialiter ab eo materiae quod est in alia parte materiae eiusdem materiae extensae ⁶.

Illud etiam quod dicitur ab istis (2) quod, secundum Philosophum, materia existens sub formis contrariis est una secundum essentiam, alia et alia secundum esse et cetera, non valet ad ostendendum quod ex unione formae cum materia consequatur materia aliquid vel aliquem modum realem praeter ipsam essentiam formae. Nam, cum forma sit id quod naturaliter prius perficit ⁷ materiam, constat quod quicquid materia ex huiusmodi unione consequeretur | non esset immediate modus vel dispositio materiae, sed compositi ex materia et forma. Hoc autem non est aliud nisi accidens sive aliqua proprietas accidentalis. Ergo, si per esse intelligit Philosophus aliud quam essentiam formae, intelligeret quod esset aliquod accidens; non intelligit ergo Philosophus per hoc nisi quod, cum materia de se in genere substantiae non sit nisi quaedam

cod. V
fol. 107 Va

¹ materia C. — ² derelictum P. — ³ et C. — ⁴ sub est P. — ⁵ om. C. — ⁶ quod est in una — extensae] om. P. — ⁷ prius perficit] perficit prius C. add. V.

(1) Aegidius Romanus, *Quodl. V*, q. 14 ad. argum (p. 310.). — (2) Aegidius Romanus, *Quodl. V*, q. 14.

potentialitas ad esse sive qua aliquid est in potentia ad esse, nunc autem composito per se competit esse sed per formam, ideo forma est actus materiae et compositi et est id per quod composito convenit esse simpliciter. Unde, dicere materiam differre secundum esse est dicere ipsam esse partem vel aliquid plurimum compositorum quibus per se, licet ratione diversarum formarum, competunt diversa esse et cetera.

cod. P.
fol. 66 Va

Ex praedictis patet quod natura, ut nomine abstracto significatur, dicit aliquid cui ut sic non convenit subsistere, sed potius est ratio in qua vel secundum quam habens eam subsistit; suppositum autem quod dicit eandem naturam nomine concreto per se habet subsistere et omnibus aliis substare.

Ex hoc posset quaeri utrum in supposito sic significato includitur aliquid additum naturae quod faciat ad hoc quod natura quae secundum se non videtur subsistere vel substare cum illo vel per illud rationem subsistendi sortiatur; et est dicendum quod, quia quod quicquid est adventitium naturae in genere substantiae est accidens ipsam naturam concomitans, sed ex eo quod naturam concomitatur et est ei accidentale non potest ei competere ratio subsistendi, cum potius omnia naturam consequentia in ipsa natura et virtute eius subsistant et rationem subsistendi in alio, licet non in se, quodammodo participant; ideo dicendum quod naturae non convenit subsistere per aliquid sibi additum. Propter quod in supposito ultra naturam non est aliquid tale ponendum. Tamen ad hoc quod natura substantiae creatae sic coexigit accidentia et proprietates sine quibus esse non habet quae in natura ipsa secundum se et ut in abstracto significatur non includuntur et, si secundum hoc quaeratur utrum suppositum aliquid ultra naturam importet quod saltem naturam concomitetur, videtur dicendum quod sic, ut ex praedictis colligi potest.

Ad quaestionem ergo, cum quaeritur utrum suppositum aliquid addit supra naturam secundum primum modum accipiendi suppositum et naturam, dicendum est quod sic quantum ad connotatum; sed quantum ad principale significatum dicendum quod non. Unde dicendum quod secundum hunc modum patet quod homo qui est suppositum commune non addit realiter aliquid supra naturam humanam communem quae nomine humanitatis significatur, nec differt realiter ab ea. Patet similiter quod hic homo nihil addit super hanc humanitatem nec realiter differt ab ea et sic expediti sumus de primo articulo.

cod. P.
fol. 66 Vb

Circa secundum articulum autem huius quaestionis est considerandum quomodo se habet hic homo ad hominem sive haec humanitas ad humanitatem | . Haec autem inquisitio investigare debet causam individuationis praecipue in materialibus.

Individuum enim, prout nunc de individuo loquimur, dicitur proprie singulare suppositum unius naturae communis, quae in pluribus eiusdem rationis et

¹ proposito C. — ² tamen 2^a m. P.

naturae vel | speciei invenitur in actu vel in potentia. Cum ergo individua plura sub eadem specie in aliquo conveniant, quia in natura communi speciei sive in natura communiter intellecta sub ratione speciei, per illud autem per quod conveniunt ¹ differre non possunt, videtur quod supra naturam quam importat species addat individuum aliquid per quod natura communis in illo individuetur et ab aliis eiusdem speciei individualiter vel materialiter distinguatur. Sicut enim commune quod est genus non potest dividi in plura specie differentia nisi per additionem alicuius ad rationem speciei pertinentis, quod differens est in diversis, ita etiam videtur quod commune, quod est species, non possit dividi in plura secundum individuum, nisi quodlibet individuum addat aliquid ² supra naturam speciei, quae, quantum est de se, una est in omnibus individuis, alioquin plura essent plura et non plura, quia nec in illa natura haberent aliquam differentiam nec etiam in uno esset aliquid per quod differret unum ab | alio ex quo in eis non esset nisi illa natura. Item, essent plura per hoc quod hoc non esset illud.

cod. C
fol. 45 Ra

cod. V
fol. 107 Vb

Sed non videtur posse intelligi addi aliquid pertinens ad essentiam et naturam individui, quia illam totam dicit species, quae est totum esse individuorum; ergo, si aliquid additur, videtur esse aliquid pertinens ad naturam accidentalem. Per illud autem quod addere dicitur individuum supra speciem videtur habere individuum quod sit individuum et hoc videtur esse causa individuationis; ergo secundum hoc accidentia essent causa individuationis. Etenim in linea praedicamentali stat divisio in specie specialissima, eo quod includit ultimam differentiam sub qua non est accipere aliquam magis determinatam per quam magis posset determinari in individuo, sicut contingit ³ in specie respectu generis, nisi esset processus in infinitum; et ideo, sicut dicit Plato, in singularibus est quiescendum, sic scilicet quod non est ponere in ⁴ eis formale aliquid ad essentiam et quidditatem pertinens ultra id quod in ratione et quidditate speciei includitur. Ergo, si aliquid additur quo sic natura secundum se communis determinetur et contrahatur, oportet quod sit aliquid pertinens ad accidentalem naturam, ut dictum est.

cod. P
fol. 97 Ra

Videtur ergo quod individuatio fiat per accidentia, et hoc videntur dicere philosophi et sancti doctores. Nam Porphyrius dicit quod individua differunt per accidentales proprietates quas nunquam contingit ⁴ simul in pluribus reperiri. Et Boetius in commento dicit quod individua sunt eadem specie; quantum ad substantiam unum sunt non habentia substantialem differentiam, sed accidentibus videtur effici ut in accidentibus saltem differre videantur plures substantiae de quibus species praedicatur et non substantiae diversitate ⁵, sed accidentium multitudine; et in principio libri de Trinitate: in numero differentiarum accidentium varietas facit. Et Damascenus de Duabus naturis et una

¹ communicant P. — ² aliud C. — ³ convenit C. — ⁴ dicit P. — ⁵ diversificatae PC.

persona Christi, circa principium : omnis res qua differt species ab altera specie substantialis et naturalis et constitutiva differentia dicitur ; omnis autem res in qua differt hypostasis ab eiusdem speciei cum substantiadi hypostasi dicitur adventitia differentia¹ et qualitas et hypostatica et characteristica proprietas ; hoc autem est accidens ; vel ut differt homo ab homine altero, quoniam hic quidem est longus, hic est autem brevis, hic autem albus, hic vero niger. Et Avicenna, quinto Metaphysicae : postquam determinata fuerit natura facta species specialissima, erit natura determinata sic quod accidunt ei concomitantia ex accidentibus et proprietatibus per quae natura individuatur et sic designata videtur.

cod. P¹
fol. 67 R¹

Et secundum hoc esset dicendum quod quid est, sive quidditas, et habens quidditatem differrent realiter, ut per « quid est » vel quidditatem intelligatur natura secundum speciem quae proprie definitur et cuius definitio explicat quod quid est eius ; per « habens quidditatem » intelligatur substantia prima vel individuum de quo species praedicatur et per hoc etiam definitio vel quidditas speciei ei attribuetur ; et sic etiam natura et suppositum non sunt idem sicut substantia cum accidentibus et substantia secundum se. Sed illud non videtur posse stare, quia individuum non addit supra speciem id quod non plus includitur in significato individui quam speciei². Sed non magis sunt de significato, vel intellectu, vel ratione individui in genere substantiae accidentia, quam de ratione speciei. Per individuum enim intelligimus substantiam primam, quae principaliter et maxime substantia dicitur et secundum se habet esse reale in rerum natura extra intellectum, et de qua substantia per se et essentialiter praedicatur tanquam de eo quod est in genere substantiae per se et directe. Per speciem autem intelligimus substantiam secundam quae de prima dicitur et in illa est non sicut in subiecto, sed sicut in supposito, cuius essentialiter totam dicit, sicut se habet hic homo sive Sortes ad hominem ; sed quicquid est de significato et intellectu vel ratione huius hominis vel Sortis determinate est de significato et intellectu vel ratione hominis simpliciter et indeterminate et nihil amplius. Nam, sicut de ratione huiusmodi hominis sunt haec anima et hoc corpus subiecta his et his accidentibus determinatis, ita de ratione hominis simpliciter sunt anima et corpus subiecta accidentibus indeterminate.

cod. V
fol. 108 Ra

cod. C¹
fol. 45 R

Item, individuum vel prima substantia non plus est ens per accidens continens in sua ratione plura, scilicet substantiam et accidens quam species sive substantia secunda, alioquin non esset in genere per se, nec substantia secunda per se et essentialiter praedicaretur de ipsa.

Item, quod est posterius altero non potest esse causa illius secundum quod posterius. Sed omnia accidentia individua videntur esse posteriora et adventitia

¹ dicitur PC, — ² om. C, — ³ om. PC, — ⁴ species V, — ⁵ huiusmodi V.

substantiae ; ergo in suo esse et sic etiam in sua individuatione, vel in suo esse individuo, praesupponunt substantiam in suo esse et in suo esse individuo, sive ipsam esse individuum, ut sum subiectum in quo habent accidentia omnia esse et individuari.

Item, cum in omni genere sub specie inveniuntur singularia quae, licet non sint ¹ supposita, sunt tamen individua, quaerendum est unde eorum individuatio causatur, puta huius ² albedinis et illius huius quantitatis et illius. Si enim propter hoc individua substantiae oportet differre per aliquid speciei additum, quia in ipsa natura speciei conveniunt et ideo per illam differre non possunt, idem iudicium etiam erit de individuis accidentis respectu suae speciei ; ergo etiam oportet quod per aliquid ³ additum individuentur. Sicut enim haec humanitas et haec conveniunt in humanitate communi, ita haec albedo et illa et haec linea vel superficies et illa ; ergo vel est abire in infinitum vel oportet ponere quod alicubi individuum nihil addit supra speciem ; ergo non est causa per se quod individuum oporteat aliquid addere supra speciem ad hoc quod ab alio individuo distinguatur communitas eorum in specie et eorum differentia in se ipsis singulariter existentibus cum hoc ubique non inveniatur.

cod. P
fol. 97 Va

Item, non videtur posse dici quod accidentia faciant individua vel numero diversa, quia nec secundum se habent esse simpliciter, sed in substantia ; ergo magis habent suam ⁴ individuacionem, ut videtur, a substantia singulari quam e converso.

Item, si per accidentia solum fieret individuatio et formalis divisio, vel distinctio singularium sub una specie, non differrent re substantiali essentialiter et substantialiter ab invicem, sed solo accidente ; nec esset unus homo alius ab altero in substantia, quia quicquid ad substantiam pertinens esset in uno esset in alio, et ideo solum alius in accidentibus esset : sicut si ⁵ uno homine existente sub aliquibus accidentibus, postea omnibus illis quacumque ⁶ virtute creata vel increata mutatis, ipse non differret a se ipso substantialiter, sed accidentaliter ⁷ tantum, et tamen esset alius numero a se ipso propter alietatem accidentium ; quod tamen est falsum. Ergo cum, hoc posito, non variaretur homo secundum numerum vel individuum, quod non est nisi quia etiam non variaretur secundum substantiam, quamvis variaretur secundum accidentia, individuatio in genere substantiae non videtur causari ex accidentibus. Verum est tamen quod ille homo esset aliquo modo alius numero a se ipso eo quod quantitas et alia accidentia circa ipsum numerationem et divisionem vel distinctionem haberent non ex diversitate subiecti, sed ex eorum interruptione et variatione illorum secundum esse et non esse circa idem subiectum. Sicut etiam si homo habens accidentia ⁸ posset postea conservari sine illis, tamen non haberet unde

¹ Sicut PC. — ² huiusmodi PC. — ³ om. C. — ⁴ in PC. — ⁵ quacumque P. ; sit *add.* 2^a m. C. — ⁶ sed accidentaliter] om. C. — ⁷ habens accidentia] accidentia habens C.

cod. P
fol. 97 V^b cum aliis connumeraretur numero accidentali, secundum hoc etiam aliquo modo non esset idem homo numero qui prius.

Sed, quia inter omnia entia quantitati soli per se videtur convenire divisibilitas in plura eiusdem rationis et sic in plura non essentialiter sive specificè et per se, sed numeraliter differentia, puta haec et haec albedo, non videtur esse alia et alia sub eadem specie differens numero secundum se, sed in quantum intelligitur esse in superficie ut in subiecto et extendi extensione superficiei, et sic intelligitur posse habere diversas partes eiusdem rationis in diversis partibus superficiei. Similiter etiam in substantia, materia secundum se non includit aliquid unde possit habere plures partes eiusdem rationis, immo ut sic est una et indivisibilis; similiter etiam de quacunque forma substantiali se habet. Unde haec substantia ut haec et haec equinitas non videtur esse alia et alia sub eadem specie differens numero secundum se, nec secundum se intellecta equinitas videtur comprehendere unde per se possit esse haec et haec. Sed in quantum intelligitur importare formam in materia quanta et extensa et quae per quantitatem extensa sub diversis partibus quantitatis habet etiam diversas partes substantiae eiusdem rationis, propter quod etiam forma habens partes eiusdem rationis in illa materia recipitur. Videtur ergo quod haec individuationis et divisio vel distinctio secundum numerum et individuum habet esse in omnibus aliis — tam accidentibus quam substantiis per ipsam solam quantitatem; et ideo tota difficultas praesentis inquisitionis quantum ad entia materialia videtur versari circa quantitatem.

Nam, si aliquod accidens sit causa individuationis, hoc videtur quantitati tribuendum. Sed hoc non est verisimile, quia constat quod quantitas non potest esse causa individuationis secundum rationem causae efficientis vel finalis; et ideo inquirendum utrum secundum rationem causae materialis vel formalis. Quod autem non secundum rationem causae materialis hoc videtur, quia subiectum sive substantia composita ex materia et forma substantiali est materia accidentis, non autem e converso; ergo et cetera. Item, illud quod educitur de potentia subiecti vel materiae per transmutationem ipsius materiae vel subiecti non habet rationem materiae et subiecti, sed rationem formae et actus. Ita est de omnibus accidentibus respectu substantiae compositae ex materia et forma.

cod. P
fol. 68 R^a Quod autem non in ratione causae formalis sit causa individuationis arguitur; quoniam, si esset ratio formalis qua unum individuum speciei ab alio differret et distingueretur numero, unum non differret ab alio substantialiter, sed accidentaliter, quia differentia est per formam; ubi ergo non est alia forma non est realis differentia. Ergo, si in duobus individuis non sit alia et alia forma substantialis, sed solum accidentalis, quae est quantitas — quod oportet dicere

¹ et C. — ² accipitur C. — ³ om. C. — ⁴ forma substantiali] substantiali: forma C. — ⁵ vel subiecti] om. C.

si quantitas divisa sit praecisa ratio formalis huiusmodi diversitatis et non ipsa forma substantialis - unum individuum differret ab alio solum accidentaliter sive secundum formam accidentalem, et essent plura secundum quantitatem, sive plura quanta, et non secundum substantiam, sive non essent plures substantiae; quod est manifestum inconveniens. Et tunc etiam differret suppositum et *natura*¹ realiter, quia natura diceret solam essentiam specificam quae una secundum rem esset in omnibus, suppositum autem diceret² illam naturam cum determinata parte quantitatis in uno et cum alia in alio. Sed hoc etiam est manifestum inconveniens, quia secundum hoc, sicut ponimus unam essentiam essentialiter omnino indivisam in tribus personis sed sub tribus proprietatibus relativis, ita etiam omnia individua unius speciei essent unum in natura substantiali omnino indivisa, sed sub diversis partibus quantitatis haberent esse, et sic essent plura solum secundum quantitatem, et per consequens essent solum supposita quantitativa; quod est falsum, quia non possum dicere de Patre respectu Filii in divinis quod haec substantia non est illa, sicut dicitur de Sorte respectu Platonis, nec sunt³ Pater et Filius duae substantiae, sicut Sortes et Plato. Ergo, cum in Sorte et Platone sit substantia et quantitas, oportet quod differant et secundum quantitatem ut plura quanta et secundum substantiam ut plures substantiae. Sicut enim oportet quod ad hoc quod accidentaliter distinguantur quod formaliter secundum formas accidentales distinguantur ita quod haec non est illa, ita ad hoc quod substantialiter sive ut plures substantiae ab invicem distinguantur, oportet quod formaliter per formas substantiales sint distincta ita quod haec forma substantialis huius individui formaliter non est illa, sed est alia⁴ ab ipsa. Item, omne | accidens in actu⁵ supponit suum subiectum in actu, sicut forma propriam materiam. Ergo, sicut ostensum est generaliter quod accidens individuari habet potius per substantiam quam | e converso, ita etiam oportet poni de quantitate; sicut enim substantia simpliciter prior est quantitate simpliciter, ita haec substantia prior est hac quantitate; ergo videtur esse dicendum quod causa formalis individuationis sive diversitatis individuorum sub una specie non possit esse quantitas.

cod. P
fol. 68 Rb

cod. V
fol. 108 Va

His igitur consideratis, est intelligendum quod, cum individuum inveniatur non solum in substantiis materialibus sed etiam in⁶ immaterialibus, in illis autem quantitas non potest esse causa individuationis, sed causa individuationis in illis est divisio formae in plura eiusdem rationis, ergo etiam in materialibus forma per quam individuum est id quod est et subsistit in natura est etiam principium individuationis; quia per illud per quod aliquid est id quod est est indivisum et unum; sed substantia materialis per formam subsistit in esse. Item, substantia naturaliter prius subsistit in natura per formam quam quodeumque

¹ non. — ² solam — diceret] om. P. — ³ substantia C. — ⁴ est alia] alia est C. — ⁵ in actu] om. PC. — ⁶ om. C.

accidens eius; sed per illud per quod existit in actu est indivisum in actu; ergo indivisio substantiae compositae naturaliter praecedit esse cuiusque accidentis, quare et divisionem quae competit sibi per quodcumque accidens. Et quia materia est in potentia ad formam per quam existit in actu, de se est in potentia ad indivisionem quae est per ipsam formam et pro tanto est principium individuationis pro quanto est principium quoddam formae, scilicet sicut subiectum.

Sed, cum substantia materialis secundum se sit indivisa in plura eiusdem rationis vel speciei, in potentia tamen ad divisionem¹, et hoc in quantum est in potentia ad quantitatem qua aliquid formaliter dividitur primo, ideo, sicut est quantum per accidens adveniens, ita per accidens dividitur in plura eiusdem rationis, scilicet per quantitatem. Unum autem secundum numerum proprie videtur dici quod est unum in numero vel unum de numero. Numerus autem proprie causatur ex divisione secundum quantitatem, ideo unum numero proprie videtur dici quod est indivisum primo in illa natura per quam distinguitur primo ab alio eiusdem speciei; hoc autem est quantitas; et ideo unum numero proprie videtur esse indivisum in natura quantitatis. Quare quantitas est per se principium unius² secundum numerum, sicut forma per se quam aliquid existit in natura est proprium individuationis et sic proprie loquendo non est idem principium per se individuationis in genere substantiae materialis et unius secundum numerum, quia principium unius secundum numerum est quantitas in quantum secundum quantitatem est indivisum in se et divisum ab alio eiusdem rationis cum quo facit numerum. Principium autem per se individuationis est forma secundum quam divisa est substantia in plura eiusdem rationis; et secundum hoc in immaterialibus substantiis est individuum et suppositum singulare et est ibi id quod est principium individuationis. Sed non est ibi unum secundum numerum proprie loquendo nec aliquid quod sit proprium unius secundum numerum proprie dictum. Sed in substantiis materialibus et est individuum et unum secundum numerum et principium individuationis et unum secundum numerum; nec potest in genere substantiae materialis esse aliquid individuum quin sit etiam unum secundum numerum et sic oportet quod individuo materiali quod dicitur suppositum sit aliquod accidens adveniens, puta quantitas qua dividitur modo supradicto.

Et secundum ista videtur dicendum quod principium formale sive formalis ratio huiusmodi distinctionis — qua scilicet unum individuum in materialibus ab alio formaliter distinguitur, cum non distinguatur solum secundum accidens vel quantitatem, sed etiam secundum substantiam et vere sunt plura substantialiter sive in eis vera est multitudo secundum substantiam — est forma substantialis uniuscuiusque individui indivisa in se et divisa ab alia, et sic differunt

cod. P
fol. 68 Va
cod. C
fol. 45 Vb

¹ ad divisionem] additionem C. — ² alia C. — ³ om. C. — ⁴ unum PC. — ⁵ quia principium, om. P. — ⁶ quacumque P. — ⁷ om. C. — ⁸ etiam C. — ⁹ et add. P.

numero substantiali, id est sunt non unum, sed plura numero substantiali qui consurgit ex pluralitate unitatum substantialium quae sunt plures formae substantiales sub eadem specie.

Principium autem quasi dispositivum ex parte materiae huiusmodi distinctionis secundum substantiam plurium individuorum est quantitas, cum sit principium divisionis et ipsius materiae et etiam formae in materia divisa; si enim non praecintelligeretur quantitas in materia quae faceret ipsam divisibilem non posset recipere plures formas. Et secundum hoc etiam differunt numero accidentali, id est sunt non unum, sed plura numero accidentali qui con-
surgit ex pluralitate unitatum accidentalium quae consurgit per se ex divisione continua quantitatis. Unde secundum hoc sunt | plura entia secundum quod quanta sive secundum divisionem quantitatis.

cod. P.
fol. 98 V^b

cod. V.
fol. 108 V^b

Patet igitur considerando iam dicta ¹ quod a quantitate est quod habet substantia formaliter et extentionem in sua substantia et divisibilitatem in diversas partes substantiales. Nam in hoc quod quantitas ipsam substantiam extendit realiter, contingit quod ipsa ² substantia ubique realiter sub ³ partibus quantitatis existens et extensa habeat etiam partes realiter et essentialiter ⁴ ab invicem differentes.

Sed, si quaeratur quo differunt realiter, dicendum est quod se ipsis; hanc tamen differentiam secundum suas substantias non haberent nisi simul haberent differentiam accidentalem inter se per formalem extensionem quantitatis et sic differunt simul essentialiter et accidentaliter et numero essentiali qui consurgit ex multiplicatione unitatum convertibilium cum ente, et numero accidentali qui consurgit ex multiplicatione unitatum non convertibilium quae sunt de genere quantitatis et principium numeri accidentalis qui ⁵ est quantitas discreta ⁶ et non est haec differentia sine illa. Non est tamen haec eadem cum illa; sed, cum materia et forma secundum se, circumscripta scilicet quantitate, non sint causa huiusmodi diversitatis individuorum in genere substantiae nec etiam ex consequenti omnium accidentium aliorum in substantia materiali composita existentium ⁷, sed oportet adesse quantitatem qua materia et forma substantialis et omnes aliae formae accidentales extensionem et divisibilitatem habent in partes eiusdem rationis, ut plura individua sub eadem specie, — oportet ponere quod quantitas ad individuationem et huiusmodi divisionem per se aliquid faciat. Non autem in genere causae formalis, ut declaratum est; nec in genere causae materialis sic quod ipsa sit subiectum individui substantialis, quia nec est subiectum compositi ex materia et forma, nec etiam una cum materia est sic subiectum formae substantialis, quia forma substantialis immediate perficit materiam, non illa mediante. Oportet tamen quod causalitas quam habet quan-

¹ et *adl.* P. — ² ista C. — ³ sunt P. — ⁴ et essentialiter] *om.* C. — ⁵ quae PC. — ⁶ distincta C. — ⁷ composita existentium] accidentium C.

cod. P
fol. 69 Ra

titas in hoc ad causalitatem materiae re ducatur aliquo modo, quia Philosophus et Commentator causam huiusmodi distinctionis et individuationis videntur ponere materiam, quia etiam solum in materialibus hanc distinctionem ponunt. Unde dicitur duodecimo Metaphysicae : multa numero materiam habent cum eorum sit una ratio ; et quinto Metaphysicae : diversa species, id est forma est in generante et generato propter materiam ¹. Commentator : causa in multitudine generabilium ab uno generante est multiplicatio materierum in quas agit agens. Sed, cum materia secundum se est una et indivisibilis, videtur quod causalitas talis divisionis et distinctionis sive individuationis non debeat tribui materiae secundum se ; sed oportet quod hoc ei tribuatur in quantum intelligitur sub quantitate a qua habet ² extensionem et divisibilitatem in partes eiusdem rationis ; et quia forma, quae educitur de potentia materiae et ab ipsa omnino in esse suo dependet, recipitur in materia secundum condicionem materiae, ideo etiam per divisionem et extensionem materiae quam habet a quantitate ipsa forma extenditur et divisibilitatem habet et ex consequenti totum compositum ex hoc habet huiusmodi individuationem. Et sic videtur quod causalitas quantitatis quam habet quantitas in individuatione reducitur ad causam materiale, non ut sit ipsa essentia materiae, sed quia est quaedam dispositio materialis ratione cuius materia habet quod sit extensa et divisibilis et per consequens quicquid in ea recipitur sic etiam extendatur et divisibilitatem sortiatur. Materia enim est principium et causa substantiae compositae ; et sicut ex potentialitate materiae in genere causae materialis vel potentialis et subiecti simpliciter et absolute quae convenit ei ex se et natura sua est quod ex ea generatur aliquid, ita ex diversa et distincta potentia materiae est quod ex ea generantur diversa.

cod. C
fol. 49 Ra

Haec autem diversitas potentiarum non est in materia secundum se, quia ut sic omnem distinctionem excludit. Sed ad hoc quod ex ipsa plura possunt produci et quod ipsa possit esse subiectum plurium formarum et transmutationum ad plures formas in ea, requiritur quasi dispositio generalis quae dicitur quantitas sive divisio indeterminata quae dat materiae primam rationem potentiae qua transmutabilis est ad quaecumque formam, et sic patet quod quantitas, ut ens dispositio materiae, facit secundum rationem causae materialis ad dictam divisionem in individuatione. Prout enim probat Commentator, de Substantia Orbis, quia materia de se est indivisibilis, non potest plures formas simul recipere nisi habeat esse divisibile per aliquid divisibile per se sive quod est ratio qua aliquid dividitur, quod est quantitas de cuius ratione est habere partes eiusdem rationis propter quod materia participans eam per ipsam habet partes eiusdem rationis ³. Nec tamen oportet sic huiusmodi dimensiones prae-

cod. P
fol. 60 Rb

cod. V
fol. 106 Ra

¹ om. C. — ² om. C. — ³ et cetera PC — ⁴ naturam C. — ⁵ tam C. — ⁶ om. C. — ⁷ a qua habet] om. P. — ⁸ transmutationem C. — ⁹ eas PC. — ¹⁰ propter — rationis om. P.

supponi in materia, ut possint ¹ dici priores secundum naturam quam sit ipsa natura materiae in entitate secundum suam naturam sibi debita neque ut sint priores secundum naturam forma receptibili ² in materia in entitate quae ei debetur secundum esse substantiae ³ simpliciter, sed sic ut sint priores naturaliter quam materia in esse divisibili materiae vel in esse huiusmodi ⁴ quod est materiam habere simul plures partes eiusdem rationis vel actu, ut in duabus partibus aquae, vel in potentia, ut in una aqua quae potentia est plures. Et sicut materia in esse quo subiectum est formae est primum secundum naturam subiecti et materiae quam sit ipsa forma, in quantum materia supponitur formae, licet forma sit ⁵ prius secundum naturam quam materia in genere causae formalis quae nobilior et perfectior est in quantum dat esse materiae simpliciter, ita etiam dimensiones indeterminatae possunt dici priores naturaliter ipsa forma in quantum materia supponitur formae ut per quantitatem habet quod sit ⁶ subiectum plurium formarum. Et similiter intelligendum de dimensionibus determinatis respectu substantiae compositae determinatae in actu per formam. Nam, cum dimensiones determinatae et quantitas simpliciter sint ⁷ causa in hoc quod est substantiam esse divisibilem et actu diversam in plures partes maxime eiusdem rationis, necessarium est eas praesupponi et esse priores naturaliter quantum ad hoc esse divisibile substantiae et esse actu divisum. Substantia tamen composita naturaliter prior est in ratione subiecti et causae materialis omni quantitate quae est in ea. Nec est hoc inconveniens quod secundum illud esse cuius accidens est causa formaliter loquendo sit prius naturaliter secundum rationem causae formalis. Ubique enim causa prius est ⁸ naturaliter quam effectus.

Sic ergo materia ⁹ ut sub quantitate, ut per quantitatem est extensa habens plures partes [substantiales eiusdem rationis, contrahit potentialitatem ut ex ea vel in ea habeant esse vel fieri plures formae vel plures substantiae compositae eiusdem rationis, id est numero differentes, quia formae etiam secundum divisionem et extensionem materiae per quantitatem dividuntur et extenduntur. Unde, dicit Commentator in libro de Substantia Orbis : convenit formas substantiales dividi secundum divisionem materiae superextensae et divisae per quantitatem ; unde subdit : et divisio non est vera nisi in quantum habet quantitatem. Et hoc patet per exemplum : in aere enim ¹⁰ quanto ratione quantitatis est potentia ut dividatur in duas substantias numero differentes, ita quod partes aeris divisi formaliter, forma substantiali realiter divisa et plurificata, numero differunt et non solum formaliter per formam quantitatis. Licet enim extensio et divisibilitas in potentia et divisio in actu non convenient aeri nisi per quan-

cod. P
fol. 99 Va

¹ possit P. et 1^a m. V. — ² receptibilis PC. — ³ substantiam. — ⁴ esse huiusmodi] huiusmodi est prius esse C. — ⁵ sicut C. — ⁶ sint C. — ⁷ simpliciter sint] sint simpliciter P. — ⁸ prius est] PC. — ⁹ sive add. C. — ¹⁰ om. C.

cod. C
fol. 4^o R^o

titatem, cum tamen per quantitatem realiter ipsa substantia aeris quantum ad materiam et formam extensione et divisione quantitatis extendatur et dividatur, partes divisae substantiae sunt substantiae plures formaliter et differentes substantialiter, sicut partes divisae quantitatis sunt plures quantitates formaliter. Licet enim substantia extendatur ¹ per accidens quod est quantitas, tamen partes eius non differunt ab invicem accidentaliter solum, sed substantialiter, licet hoc conveniat ei per accidens quod est quantitas, in quantum scilicet sua substantia vere et realiter extenditur et divisibilis efficitur. Sicut enim illud quantitatis quod est in una ² parte quantitatis extendendis per se est aliud essentialiter essentialitate quantitatis ab eo quantitatis quod est in alia parte, ita id substantiae extensae quod est in una parte substantiae extensae per ipsam eandem quantitatem est alia essentialiter et formaliter formalitate substantiae ab eo quod est in alia parte eiusdem substantiae per eandem quantitatem secundum aliam partem eius extensae. Quamvis ergo substantia extensionem et divisibilitatem praedictam habeat formaliter a quantitate quae est accidens, tamen, quia ipsa substantia quantum ad materiam et formam realiter extenditur et etiam dividitur, ideo etiam ³ supposita huius divisione formali per quantitatem ⁴ vere et etiam realiter habent partes ⁵ substantiae differentiam substantialem formaliter formalitate substantiae.

cod. P
fol. 6^o V^o

cod. V
fol. 10^o R^o

Praedicta patent per descriptionem quantitatis in quinto Metaphysicae ⁶, ubi dicitur quod quantum est ⁷ quod est divisibile in ea quae insunt quorum unumquodque, aut singulum ⁸ unum aliquid et hoc aliquid natum est esse. Ex quo patet quod nec quantitas per se nec substantia per se dividitur, sed compositum quod est quantum. Sed tamen haec divisibilitas convenit composito ratione quantitatis, cum formale in quanto secundum quod quantum est quod hic diffinitur sit quantitas et est illa divisibilitas in partes eiusdem rationis, quia partes quae insunt in aliquo quanto uno secundum quod quantum, sunt eiusdem rationis, quia eiusdem speciei et formae. Quae quidem partes, cum actu sunt divisae, sunt individua diversa sub eadem specie, quia, ut dicit, unumquodque talium natum est esse unum aliquid et hoc aliquid, substantia autem prima quae est individuum in genere substantiae est unum aliquid et hoc aliquid.

Patet ergo quod in materialibus eius quod est esse individuum sive individuationes, id est indivisionis in se et divisionis ab aliis eiusdem speciei, quae solo numero differre dicuntur, causa per se secundum genus causae formalis est forma substantialis in uno existens formaliter in se indivisa et a forma quae est in quocumque alio eiusdem speciei divisa et distincta, ita quod illae formae substantiales sunt plures se ipsis ad invicem formaliter differentes, licet

¹ extenditur PC. — ² ideo etiam] etiam ideo C. — ³ quantum est] quantumque P. : est om. C. — ⁴ singuli in P.

dividi sicut et extendi formaliter competit eis ex quantitate qua materia quam perficit forma materialis et simul etiam ¹ in hoc ipsa forma substantialis extenditur et dividitur formaliter. Causa vero secundum genus causae materialis est ipsa materia non secundum se, sed ut sub dispositione quantitatis indeterminatae ipsam extendentis existens consequitur potentialitatem divisibilitatis in plures partes ² eiusdem rationis; et ex hoc etiam possibilitatem ad sic dividi consequuntur omnia quae in materia habent esse. Causa efficiens patet; quia est agens producens ex materia sic disposita et in tali potentia existente aliquid in se indivisum et ab aliis divisum dicto modo.

Nec videtur aliqua alia ratio individuationis quaerenda in talibus, scilicet neque aliquid respectivum, cum sint ³ supposita absoluta quorum formalis ratio debet esse quid absolutum; nec aliquid negativum, cum sint vera entia positiva quorum ratio formalis ut habent existere in sua singularitate debet ⁴ esse quid positivum, non negativum.

cod. I
fol. 100 Ra

Ex his etiam patet quod in separatis a materia quantitati subiecta non potest esse individuatō sive divisio speciei vel formae specificae in plura individua solo numero differentia dicto modo. Si autem possit fieri alio modo non intelligo; sed tamen non nego.

Per praedicta patet quid dicendum sit ad quaestionem quantum ad secundum articulum, quia cum suppositum dicat individuum in genere substantiae, ut ⁵ est ens per se existens et in se subsistens; tale quid autem est substantia prima quae, secundum Philosophum, libro Praedicamentorum, proprie et principaliter et maxime dicitur substantia, — ergo in sua ratione non includit nisi quae ad rationem substantiae pertinent. Etenim proprie substantia dicitur, ut dictum est; et sic, quamvis non habeat esse sine quantitate in quantum est substantia materialis, tamen illam per se in sua ratione non includit. Ex quo videtur quod quicquid importat natura significata nomine communi, sive abstracto sive concreto, sub ratione communi et indeterminata de principali et per se significato ⁷, cum, ut visum est, hoc non sit nisi id quod ad substantiam pertinet, hoc totum et non aliud importat sub ratione propria et determinata suppositum significatum nomine individui in genere substantiae, sive in abstracto, sive in concreto. Unde, sicut humanitas significat talem entitatem ex carnibus et ossibus et cetera constitutam, quae non est sine accidentibus indeterminatis, sive sine ⁹ quantitate indeterminata et qualitate, et cetera, licet non significet illam naturam modo quo intelliguntur ista, ita haec humanitas, puta Sorteitas, significat entitatem ex determinata anima et corpore constitutam ¹⁰, quae non est sine accidentibus determinatis, licet non significet talem naturam sub modo quo talia accidentia | cointelliguntur ¹¹; et omnino proportio-

cod. V
fol. 100 Va

¹ et PC. — ² om. C. — ³ sicut PC. — ⁴ dicitur PC. — ⁵ in P. — ⁶ om. P. — ⁷ significatum C. — ⁸ constitutum PC. — ⁹ om. C. — ¹⁰ constitutiva P. — ¹¹ quo intelliguntur PC.

naliter dicendum est de hoc homine, puta Sorte, comparato ad hominem, quod huiusmodi accidentia determinata non magis sunt de significato vel ¹ ratione individui, puta Sortis, quam accidentia ₂ indeterminata de ratione speciei, puta hominis, cum species, tanquam substantia secunda, de individuo tanquam de substantia prima per se et essentialiter praedicetur.

cod. P.
fol. 100^v R^b

cod. C.
fol. 49^v A^a

Hoc modo etiam verificatur intentio Philosophi in septimo Metaphysicae, quod in his quae sunt per se per quae, ut ibi patet, intelligit substantias materiales, non differt quidditas et habens quidditatem; per illa, ut patet, intelligens substantias primas sive supposita et species sive definitiones quae sunt explicationes ₃ essentiae specierum. Dicit enim quod substantia quae est quidditas et substantia singulariter, scilicet individuum substantiae, sunt idem. Substantia enim quae est quidditas est substantia singularis, et substantia singulariter nihil aliud est quam substantia quae est quidditas eius, verbi gratia: Sortes est animal rationale; Sortes nihil aliud est quam animalitas rationalitas quae sunt quidditas eius; nec animalitas et rationalitas sunt quidditas nisi Sortis et Platonis. Deinde subdit quod composita ex substantiis et accidentibus quae sunt unum non per se, sed per accidens, praedicabilia eorum non sunt eadem cum quidditatibus illorum de quibus dicuntur; verbi gratia, quoniam homo albus aliud est ab homine simpliciter.

Ex his patet quod Sortes est ens per se, quia contra ens per accidens distinguitur. Ergo non includit per se aliquid ad naturam accidentalem pertinens per se, scilicet ex significato principali. Patet etiam quod non importat aliud quam natura significata nomine abstracto, ut animalitas, rationalitas vel concreto, ut ⁴ animal rationale et cetera.

Sed adhuc videtur aliquid remanere immanifestum circa hoc. Cum enim comparando speciem ad genus unam et eandem rem dicamus per utrumque importari sub alia tamen et alia ratione, scilicet determinati et indeterminati, et sic etiam ponitur quod species includit in se aliquid sub ratione determinantis quod non includit genus, et hoc modo dicimus speciem aliquid addere supra genus, ita autem comparando individuum ad speciem, cum unam et eandem rem dicamus per utrumque importari sub alia et alia ratione, scilicet determinati et indeterminati, videtur quod individuum includat in sua ratione vel in ₅ se aliquid sub ratione determinantis quod non includit species et sic videtur aliquid addere supra speciem vel naturam. Cum enim non dicatur quin species addat aliquid supra genus, non obstante dicta unitate reali eius quae per genus et speciem importatur, non videtur etiam dicendum quin individuum addat aliquid supra speciem, non obstante unitate rei quae per utrumque importatur. Et non est declaratum quid sit illud.

cod. P.
fol. 100^v A^a

Et ad huiusmodi ⁶ declarationem est intelligendum quod ex hoc quod res

¹ de *ill.* C. — ² explicatione PC. — ³ eius — quidditas] *om.* C. — ⁴ vel C. — ⁵ huius VC.

non existunt nisi singulariter, prout nomine proprio significantur, communiter autem sive secundum suam communitatem non existunt, sed sic solum intelliguntur, et sic etiam nomine communi generis vel speciei significantur, patet quomodo suppositum est idem vel non idem cum natura, quia non differt, sicut conceptus communis et indeterminatus quantum ad aliquid ad essentiam pertinet, qualis est conceptus generis et conceptus specialis et determinatus qualis est conceptus speciei; nec differt natura speciei et individui sicut nomen generis et speciei, quae significant unam et eandem rem aliter et aliter conceptam et intellectam quantum ad id quod ad ipsam essentiam rei pertinet.

Quia eiusdem rei significatae nomine singularis individui et communis vel speciei non sunt sic diversi conceptus intellectus, quia solum est eius unus conceptus et omnino determinatus quantum ad id quod ad essentiam pertinet qui significatur nomine individui et speciei — singulare enim materiale primo et per se et sub propria ratione conceptu intellectus non apprehenditur; — cum autem intellectu apprehenditur eo modo quo intellectus potest intelligere, individuum materiale non apprehenditur cum aliqua determinatione ad formam vel essentiam rei pertinente, sicut dicitur de specie respectu generis. Sed, cum apprehenditur res modo quo per nomen speciei et commune¹ significatur, apprehenditur quidem sub ratione omnimodae determinationis quantum ad² ea quae ad essentiam pertinent, sed sub ratione indeterminati in quantum natura apprehenditur sub condicionibus quibus non determinatur ad esse vel existere simpliciter in rerum natura sic determinate quod non possit in pluribus salvari. Cum autem apprehenditur res eadem ut nomine individui significatur, apprehenditur sub ratione determinati sic quod apprehenditur sub condicionibus determinantibus ipsam rem apprehensam ad esse et existere simpliciter in rerum natura sic determinate quod non potest salvari nisi in uno; sed istae condiciones quae dicuntur naturae sic determinatae non pertinent ad essentiam naturae sic individuo determinatae; propter quod etiam individuum nihil dicitur addere supra speciem.

Ipsa enim quantitas designata et huiusmodi non pertinent ad rationem suppositi, sed solum materia et forma substantialis quae secundum id quod sunt essentialiter et substantialiter realiter sunt distincta, licet sint per quantitatem formaliter extensa et etiam accidentaliter³ divisa. Nam, licet sine hac dispositione materiali quae dicitur quantitas ipsa materia et per consequens ipsa forma specifica substantialis nec extendi nec dividi possent, tamen extensione et divisione formali³ quantitatis simul etiam extenditur et dividitur realiter et essentialiter tam⁴ ipsa forma quam materia substantialis; et ipsa sola materia et forma sic divisa et distincta, non autem ipsa quantitas sic dividens vel qua sic fit divisio et extensio, ad rationem individui pertinent. Sicut enim de ratione

cod. V
fol. 109 Vb

cod. P
fol. 106 Vb

cod. C
fol. 46 Vb

¹ convenient in PC. — ² et *add.* C. — ³ formalis C. — ⁴ tamen PC.

hominis in communi sunt omnia et carnes et ossa quae non possunt existere sine quantitate et qualitatibus naturalibus, propter quod etiam naturalis non abstrahit a quantitate et qualitate secundum considerationem qua hominem considerat et tamen quantitas et qualitas non sunt de essentia hominis simpliciter, ita etiam est dicendum de his secundum quod applicantur ad singularem hominem¹.

cod. P
fol. 111 R

Adhuc tamen posset aliquis rationabiliter dubitare quoniam ea quae differunt formaliter videntur differre specie. Quae enim forma differunt per se et essentialiter differunt. Talis autem differentia videtur esse inter illa quae diversos gradus² in actualitate et forma important et talia differunt specie³; sicut patet in numeris. Si igitur individua differunt per modum iam dictum, specie videntur differre.

Sed ad hoc dicendum quod ea quae differunt forma secundum se considerata differunt secundum speciem; sed quae differunt forma secundum esse quod habet in re extra et in materia non secundum se, sed ut extensa et sic vel sic diversa, non differunt specie sed numero propter materiam dicto modo se habentem. Sic enim plures formae non sunt plura per se obiecta intellectus, sed omnes ut sub ratione una abstracta apprehenduntur et sub ratione unius quod habet rationem speciei et sic sunt unum solum obiectum intellectus et nulla est differentia inter ipsas, sed ut sic intellectu sub ratione unius concipiuntur differunt ab aliis formis quae etiam sic sub ratione unius actualitatis abstracte considerantur. Non oportet ergo quod quae differunt forma in existendo differant secundum speciem nisi etiam sic existant sicut per se sunt intelligibilia, sicut dicitur de substantiis separatis. Tunc etiam in existendo non possunt differre nisi secundum speciem. Et ideo qui ponunt plures angelos sub una specie ponunt quod nullus eorum est per se intelligibilis, sed sub ratione formae communis et specificae et cetera. Sicut ergo materia unius individui essentialiter differt a materia alterius ita quod id substantiae materiae quod est in uno non est in alio et tamen patet quod individua non differunt genere, licet quae differunt in materia dicantur differre genere, sicut quae differunt forma dicantur differre specie eo quod illa differentia materiae est secundum partes eiusdem rationis in quas ipsa materia est divisa ratione quantitatis extendentis et divisibilem reddentis et dicitur quod essentialiter haec materia non est illa, ex quo sequitur quod haec materia secundum id quod est se ipsa essentialiter est alia ab illa; ita etiam dicendum de forma quae est in tali materia respectu formae quae est in consimili, scilicet quod differunt se ipsis essentialiter ita quod haec non est illa, sed substantialiter est alia ab illa — et se ipsa sive secundum id quod est distincta est et tamen non differunt specie eo quod illa diffe-

cod. P
fol. 111 R

¹ applicantur — hominem, ad singularem hominem applicantur PC. — ² et ad P. — ³ alia C.

rentia formarum ¹ est secundum partes eiusdem rationis quas habet in quantum est in materia habente partes etiam eiusdem rationis ², sive in quantum ³ simul cum materia et extensione et divisione materiae contingit etiam divisio consimilis ipsius formae. Constat enim quod forma Sortis differt a forma Brunelli ⁴ et similiter forma Platonis; et constat quod quaelibet secundum se sive secundum esse quod habet in re differt ab illa et non ut una forma simpliciter et secundum rem, quia realiter sunt plures; ergo etiam inter se differunt ut plures formae realiter.

cod. V
fol. 110 Ra

Patet etiam quod dicta ratio non valet ex hoc quia, si ubique verum est uniformiter quod quae differunt forma differunt specie, ergo quae in genere quantitatis differunt formaliter differunt et ⁵ specie. Ergo linea una differens numero ab alia linea aut differt formaliter aut non. Si sic, ergo specie, quod falsum est; si non, ergo patet quod illae duae lineae se ipsis differunt formaliter ut duae lineae in quantum sunt partes eiusdem lineae quae per se est divisibilis in plures lineas eiusdem rationis. Etenim quantitati per se convenit sic dividi et esse rationem dividendi omni substantiae in qua est; unde, sicut quantitati per se convenit hoc, ita materiae in quantum est extensa; et ex consequenti omni ei quod sic in materia habet esse per quantitatem convenit habere etiam partes substantiales eiusdem rationis in quantum per quantitatem vere extenditur substantia materiae et vere divisibilis et divisa efficitur. Constat enim quod in duobus individuis sunt duae quantitates essentialiter et formaliter se ipsis in genere quantitatis differentes, ita tamen quod ad hoc quod illae duae quantitates se ipsis sic differunt non praesupponitur aliud ex quo sic habeant dividi vel extendi, sed solum subiectum in quo; sed ad hoc quod duae formae substantiales sic se ipsis formaliter differunt praesupponitur aliquid aliud quo materia in qua ⁶ sunt tales formae extensae et divisibiles habeat esse extensum et divisibile.

His visis, patet veritas secundi articuli et per consequens totius quaestionis. Unde ad argumenta in oppositum facta respondendum ⁷ est et primo quidem ad argumentum positum superius in corpore solutionis. Cum enim arguitur in oppositum sic ⁸: quando aliqua conveniunt in aliquo communi et differunt inter se ⁹ sive quando aliquid commune reperitur in pluribus et diversis oportet in illis pluribus reperiri aliquid aliud realiter additum tali communi per quod ab invicem differunt, alioquin secundum idem convenirent et differrent,—dicendum est quod quando aliquid unum secundum rem reperitur in pluribus ab invicem distinctis oportet esse aliquid additum in singulis; sed hoc non est possibile in creaturis ubi est aliquid commune solum secundum rationem et intellectum, id est ubi pluribus non est aliqua una res communis sic quod indivisa in pluribus reperiatur, sed solum est unus conceptus, quo scilicet res quae plurificatur secundum esse reale in diversis apprehenditur per abstractionem a contrahenti-

cod. P¹
fol. 101 Va

cod. C¹
fol. 47 Ra

¹ forma C. — ² om. C. — ³ Burnelli *Corr.* 2 a m. C. — ⁴ etiam C. — ⁵ quo P. — ⁶ sicut P.

bus ipsum sub ratione communi et indistincta. In talibus enim non oportet quod ad hoc quod quae sic conveniunt in communi inter se differant, quod aliqua res addita intelligatur quae compositionem realem faciat; nam res rei addita compositionem facit. Sed res secundum esse determinatum et contractum quod habet in se extra intellectum et secundum quod habet conceptum absolutum et abstractum dicto modo, non sibi invicem adduntur ut res facientes aliquam compositionem, ut declaratum est prius. Si ergo quaeratur in quo conveniunt individua, responderi potest secundum praedeterminata quod in uno conceptu quo natura quae singulariter et determinate existit in individuo simpliciter et indeterminate ut per indifferentiam se habens respectu omnium individuorum intelligitur; et si quaeratur in quo vel quo differunt, dicendum est quod se ipsisive in formis et materiis suis substantialibus realiter ab invicem divisas et distinctas, licet ad hoc exigatur quantitas dicto modo. Unde, cum dicunt doctores sancti et philosophi, ut postea induitur, quod differunt accidentibus, potest dici quod hoc dicitur non quia essentialiter et formaliter non differant suis naturis substantialibus, ut dictum est, sed quia illa distinctio magis per ista manifestatur et quia etiam quantitas in ratione causae materialis in materialibus necessario exigitur dicto modo.

cod. P.
fol. 110 V

Ad illud autem quod arguitur quod quantitas non potest esse causa individuationis, cum quantitas sit quid natura posterius ipsa substantia individua; quia, sicut arguitur communiter quod accidentia non videntur habere rationem alicuius causalitatis in individuatione, eo quod magis per substantiam tanquam per id quod est natura prius et in quo existere et¹ subsistere habent individuantur; et etiam sicut arguitur quod modus realis, eo quod, si est aliquid in rerum natura, est quid posterius natura quam sit ipsa natura substantiae individuae, non potest ex illo habere rationem suppositi vel individui, ita etiam videtur posse argui de quantitate; — ad hoc patet solutio ex iam dictis. Verum est enim quod oportet quod quantitas sit quid prius materia et forma in quantum intelligitur habere aliquam rationem causalitatis in individuatione. Sed in substantia individua potest considerari et ipsa subsistentia eius quod respicit rationem suppositi, id est rei in se existentis et alteri in existendo non imitantis, et quantum ad hoc omne accidens et omnis modus realis qui potest poni est quid posterius substantia individua. Ideo ad rationem suppositi nihil tale potest habere aliquam rationem causalitatis; immo hoc convenit omni substantiae ex se sive ex ipsa natura sua. Sed praeter subsistentiam in substantia individua adhuc considerari potest divisio eius ab alio eiusdem rationis et si sic quidem consideretur suppositum, scilicet ut existit divisum ab alio eiusdem rationis, cum forma substantialis de se non habet existere divisa in plures formas eiusdem rationis nec etiam hoc habet materia de se, sed hoc convenit quantitati per se vel secundum se, scilicet

cod. A.
fol. 110 Rb

¹ habetur C. — ² determinata PC. — ³ om. C. — ⁴ vel P. — ⁵ etiam C.

esse divisibile vel esse id unde aliquid natum est esse divisibile in partes tam materiales quam formales secundum substantiam eiusdem rationis, prout patet ex diffinitione quantitatis praeallegata in quinto Metaphysicae, tunc dicendum est quod ad hoc quod aliqua substantia singulariter sit sic indivisa in se et divisa ab alio non sufficit esse materiae et formae substantialis secundum se; sed oportet adesse quantitatem causantem divisionem qua quidem ipsa materia extenditur et divisibilis est et ex hoc quicquid in ipsa recipitur quod ex eius potentia educitur; et reducitur ista causalitas ad genus causae materialis, quia est dispositio in materia qua materia habet potentialitatem ad diversitatem partium secundum substantiam et ad receptionem diversarum formarum secundum substantiam quas oportet etiam dividi, cum in materia divisa recipiuntur quae ex se non habent huiusmodi divisibilitatem.

cod. P
fol. 102 Ra

Cum ergo dicitur quod quantitas est accidens et sic posterius, dicendum quod dimensiones non dicuntur praesupponi in materia ut quid prius natura et simpliciter quam ipsa materia vel etiam ¹ forma receptibilis in ea in entitate eis secundum substantiam et simpliciter debita, sed sic ut sint priores naturaliter quam materia in esse divisibili ipsius materiae sive in esse huius quod est materiam habere simul plures partes eiusdem rationis. Prius enim natura est materiam ² esse quantam quam habere plures partes eiusdem rationis; prius tamen natura est simpliciter materiam esse materiam quam ipsam esse quantam et sunt etiam priores naturaliter ipsa forma introducenda in quantum materia supponitur formae non ut subiectum eius simpliciter, sed ut subiectum ³ plurimum formarum quod est ei per quantitatem. Ita etiam intelligendum est de dimensionibus existentibus in individuo iam existenti in sua ⁴ individuatione respectu totius substantiae compositae ex materia et forma substantiali. Nam, cum dimensiones determinatae et quantitas simpliciter sint causa in hoc quod est substantiam esse divisibilem et actu divisam in plures partes eiusdem rationis, necesse est eas praesupponi et esse priores naturaliter quantum ad hoc esse divisibile substantiae et esse actu divisum; substantia autem composita naturaliter prior est in ratione subiecti et causae materialis etiam determinata quantitate quae est in ea. Nec est inconveniens quod secundum illud esse cuius accidens est causa sit prius naturaliter ⁵. Ubique enim naturaliter causa prius est quam effectus; et sic individuum in genere substantiae naturaliter prius est id quod est secundum substantiam quam id ⁶ quod est secundum esse divisum, et prius est illud esse substantiam simpliciter quam esse substantiam sic divisam; sed naturaliter prius est substantiam individuum esse quantam et extensam per quantitatem quam esse divisibilem secundum partes eiusdem rationis etiam secundum substantiam.

cod. C
fol. 47 Rb

Haec autem non possunt adaptari ad modum a ¹ quo secundum aliquos

cod. P
fol. 102 Rb

¹ *add. C.* — ² *naturam C.* — ³ *om. C.* — ⁴ *individuo — sua] om. C.* — ⁵ *Idem, C.* — ⁶ *om. C.*

dicitur aliquid habere rationem suppositi, ut per se patet; et ideo per hanc distinctionem non potest defendi dicta positio. Per hoc autem quod dicitur quod accidens est prius natura secundum rationem causae formalis, in quantum formaliter extendi et dividi habet substantia per ipsum, non ponitur quod ipsa substantia et secundum materiam et secundum formam realiter non dividatur; sed quod sic dividi non habet nisi in quantum quantitate informata est.

101 V.
101. 11. 13 V.

Ex hoc etiam non sequitur quod quantitas cedat in rationem causae formalis in ratione individuacionis, immo ipsa forma substantialis, licet habeat quantitas rationem causae formalis in substantiam esse divisibilem et extensam; quia, licet id entitatis quod habet quantitas sit posterius natura quam id entitatis quod habet substantia singularis, tamen, ut dictum est, id divisibilitatis quod habet quantitas in partes eiusdem rationis est prius naturaliter quam dividi et extendi substantiae, ut dictum est; et sic quantitas dicto modo est prius natura quam substantia, licet etiam id entitatis quod habet quantitas sit posterius natura tota substantia composita. Tamen sub ratione esse divisibilis et extensi prius natura est materiam extendi et dividi quam formam et ideo cedit in rationem causae materialis, non formalis dicto modo.

QUAESTIO VI.

Utrum unum et idem sic possit differre a se ipso quod possit reali relatione referri ad se ipsum.

Post hoc ad secundum arguitur quod unum et idem possit sic differre a se ipso quod reali relatione possit referri ad se ipsum, quia movens et motum sive activum et passivum realiter ad invicem referuntur; sed aliquid unum et idem vere movet se ipsum sive vere agit se ipsum de vera potentia ad verum actum se ipsum transmutando; ergo et cetera. Maior patet. Minor declaratur; quia intellectus factus in actu per actualem notitiam principiorum adhuc vere est in potentia quantum ad actualem notitiam conclusionum; sed, prout videtur dicere Philosophus, secundo Physicorum, intellectus factus in actu secundum actualem notitiam principiorum se habet in duplici genere causae respectu cognitionis conclusionum, scilicet in genere causae materialis in quantum talis notitia sit in ipso intellectu ut in subiecto, et in genere

1 substantia C. — 2 natura quam] quam natura C. — 3 om. C. — 4 om. C. — 5 dicendum C. — 6 sic C. — 7 sed prout = conclusionum] om. C. — fit V.

causae efficientis in quantum eadem notitia fit ¹ ab | ipso intellectu ut ab agente, prout etiam consuevimus dicere quod intellectus factus in actu secundum cognitionem principiorum educit se ipsum in actu secundum cognitionem conclusionum ; ergo et cetera.

cod. P.
fol. 102 Va

Contra. Secundum Hilarium, unum et idem non potest esse simile sibi ipsi ; ergo eadem ratione etiam secundum alias relationes unum et idem non potest referri ad se ipsum.

Respondeo : circa hoc est intelligendum quod, quia quaestio quaerit generaliter utrum unum et idem realiter sive relatione reali possit referri ad se ipsum, unum autem dicitur multipliciter ², ideo distinguendum est de uno et quantum ad praesens sufficit. Potest accipi unum sic quod dicat indivisionem omnino realem ita quod unum sit illud quod in se est omnino simplex et omnem pluralitatem partium et essentialium et quantitativarum excludat ut circa ipsum vel in ipso non possit poni aliqua diversitas realis, sed solum secundum rationem ; alio modo dicitur unum quod in se complectitur plura essentialiter differentia, sunt tamen unum in esse vel subiecto sicut compositum ex materia et forma substantiali vel ex substantia et accidente ; tertio modo, dicitur unum quod in se complectitur plura non solum essentialiter differentia, sed etiam subiecto et situ, sicut quodlibet corpus quod ratione quantitatis extendentis habet plures partes extra se invicem ³.

Potest ergo quaestio determinari ad unum primo modo ; et tunc est dicendum quod illud quod sic est unum nullo modo reali relatione potest referri ad se ipsum, quia de ratione relationis per se est subiectum suum ad aliud referre. Hoc etiam patet ratione oppositionis quam important relationes oppositae ; relationum enim est relata distinguere, ut in divinis, vel distincta supponere. Cum ergo sit duplex genus relationum — sunt enim quaedam relationes secundum rem et quaedam secundum rationem — quando autem est relatio secundum rationem ex utraque parte sicut contingit in relatione qua idem refertur ad se ipsum relatione identitatis, oportet quod sit distinctio saltem secundum rationem relatorum ; et si tollatur distinctio secundum rationem relatorum, | tollitur secundum rationem ipsarum relationum ; ergo similiter quando est relatio secundum rem, ex utraque parte oportet quod sit realis distinctio relatorum ad invicem ; et si tollitur realis distinctio relatorum, tollitur necessario realis distinctio relationum.

cod. P.
fol. 102 Vb

Haec patent per Philosophum qui dicit in libro Praedicamentorum : ad aliquid enim talia sunt vel dicuntur quaecumque hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur, ut duplum, id quod est alterius dicitur vel quomodolibet ad aliud ut simile ad aliquid dicitur. Ubi dicit Simplicius : Philosophus dicit ad

¹ sit C. — ² multiplex C. — ³ *In unum praesentis quaestionis usque ad extra se invicem, in margine scripsit aliam m. C.*

cod. V
fol. 110 Va

aliquid dicuntur et cetera, quia non est una substantia animal est ita et quae ad aliud in uno sunt, sed in pluribus. Quae enim ad invicem non sunt unum; quae enim ad aliquid secundum multitudinem habentium habitudinem et ad invicem dictorum multa necessario erunt. Subsistentia enim habitudini et in quibus habitudo consideratur multa sunt; proprium enim habitudinis subsistere in pluribus. Sed ubi est unum et idem omnino secundum rem indistinctum, talis pluralitas realis relativorum non reperitur, ut per se patet; ergo nec pluralitas relationum realium. Ergo, licet quis lingua possit dicere quod unum et idem possit referri ad se, non video tamen quomodo hoc possit apprehendere intellectus, quia hoc statim refugit tanquam id quo manifeste impossibilia implicantur, sicut patet inducendo. Hoc etiam patet discurrendo per singulos modos relatorum.

cod. C
fol. 47 Va
cod. P
fol. 103 Ra

Sed specialiter prosequendum est propositum quantum ad illum modum relativorum quomodo aliqua referuntur ad invicem secundum potentiam activam et passivam in quibus maxime aliqui conantur ostendere hoc esse possibile, scilicet quod unum et idem hoc modo referatur ad se ipsum. Sed hoc non potest uni et eidem secundum idem reale convenire propter manifestam oppositionem et repugnantiam actus et potentiae: quae nec in corporalibus nec in spiritualibus possunt eidem simul secundum unum et idem secundum rem inesse vel convenire, sicut etiam nec alia quae contradictionem includunt. Si ergo aliqua potentia animae sit aliquid unum et simplex secundum rem, tunc ex comparatione eius ad se ipsum vel aliquid aliud poterit dici referri ad se ipsum vel ad aliquid aliud relatione secundum rationem, non autem reali; ipsa enim a se ipsa propter talia non differt realiter; ergo sola ratione. Non est enim nisi duplex differentia aliorum: vel secundum rem vel secundum rationem, licet differentes sint modi secundum rationem differendi. Ex hoc ergo quod voluntas comparatur ad aliquid differens a se, puta ad suam operationem, bene contingit realis diversitas compositi ex ipsa et illa, sed in ipsa ex hoc nulla realis diversitas nec rerum absolutarum nec respectivarum habet esse. Praeterea talis realis diversitas quae est inter voluntatem et suam operationem non sufficit ad hoc quod etiam inter eas sit talis relatio, quia inter subiectum et formam vel actum non est aliqua realis relatio. Ergo multo minus ex habitudine voluntatis ad se ipsam, in qua nulla est diversitas realis, poterit sumi diversitas relationum realium in se ipsa et ad se ipsam.

Item, quomodo dicitur sumi talis diversitas relationum realium ex habitudine voluntatis ad illud unum? Non enim ex hoc quod illud est quasi medium quo voluntas sic vel sic, scilicet sub ratione activi et passivi, se ipsam respiciat vel ad se habitudinem habeat, sicut contin-

¹ hoc possit] possit hoc C. — ² om. C. — ³ unde PC.

git in perfectione quae est motus mediante quo agens et patiens se respiciunt et ad invicem referuntur, cum tamen non videatur aliter posse sumi haec diversitas relationum. Nam, cum motus vere sit in uno, scilicet in passo subjective et ab alio, scilicet ab agente effective, cum haec sint extrema realia et medium reale, poterit ita esse. Unde ex hoc circa ¹ unum et idem intelliguntur duo quidem reales modi essendi, scilicet circa ipsum motum super quo fundantur duo praedicamenta quae sunt actio et passio quae etiam duae res ² dicuntur, quod tamen nequaquam contingeret nisi passivum et activum realiter differrent, ita quod praeter reales modos essendi ipsius motus intelligi possunt duae relationes reales extra rationem illorum modorum in ipsis, scilicet activo et passivo, realiter differentibus fundatae ³; nec enim illa realis relatio quae dicitur esse in motu, ut est in passo et secundum quam sumitur circa motum praedicamentaliter quod dicitur passio, est qua ipse motus realiter ad ipsum passivum referatur, sed nec est illa ⁴ qua passivum ut in eo est talis motus ab agente ad ipsum agens refertur. Immo, cum relatio sit in relato, relatio quam videtur importare ipsa actio circa motum non est qua agens referatur ad motum vel ad passum, sed est quidam modus essendi ipsius motus secundum quod est aliquid ab agente et etiam relatio quam videtur importare ipsa passio circa motum non est qua patiens referatur ad ipsum motum vel actum, sed est quidam modus essendi ipsius motus secundum quod est aliquid in passo. Unde actio et passio circa motum non dicuntur res quae sunt proprie relationes; sic enim essent de praedicamento relationis; sed sunt quidam modi essendi eiusdem rei convenientes ei ut comparatur ad diversa. Sed in voluntate, cum sua operatione non sunt nisi duo, ideo neutrum illorum potest habere rationem medii secundum rem. Si ergo sit medium solum secundum rationem, erunt etiam relationes et relata differentia secundum rationem.

cod. P
fol. 103 R^b

cod. V
fol. 111 R^a

Item, si in voluntate una secundum rem fundarentur duae relationes reales ex habitudine eius ad hanc suam unam operationem, in ipsa operatione etiam essent quidam duo modi essendi reales in habitudine ad ipsam voluntatem et diceretur actio ut a voluntate ut activa et passio ut in voluntate ut passiva, quod nequaquam potest esse verum; quia isti ⁵ reales modi et ista duo praedicamenta diversitatem realem inter agens et patiens requirunt et relationem eorum realem.

Item, si voluntas ut activa et passiva realiter refertur ad se ipsam mediante actu volitionis, eo scilicet quod actus volendi in sua entitate et actualitate dependet a voluntate a qua habet esse quod est secundum suam actualitatem ut a movente et actualitatem dante, qui etiam actus

cod. P
fol. 103 V^a

¹ ex — unum] circa unum ex hoc P. — ² res dicuntur] dicuntur res C. — ³ fundate PC. — ⁴ est illa] illa est C. — ⁵ illi C. — illa C.

cod. C
fol. 17 V^b

volitionis est in eadem voluntate ut in subiecto quasi patente et recipiente, videretur quod actus volitionis ad aliquid extrinsecum ut ad suam causam a qua habet huiusmodi actualitatem non dependeret nec ad illud relationem realem haberet, scilicet ad obiectum. Nunc autem non invenitur quod volitio aliquam realem relationem proprie habeat ad voluntatem cuius ut subiecti est perfectio, immo potius ad obiectum cuius est quasi quaedam impressio; nam, sicut se habent perfectiones aliarum potentiarum ad referri, ita videtur se habere perfectio voluntatis. Sicut ergo, secundum Philosophum quinto *Metaphysicae*, scientia refertur ad scibile realiter sicut mensuratum ad mensuram, ita et volitio ad volibile. Quod enim hoc dicatur de uno actu et non de alio non videtur rationale; et quod scientia realem relationem¹ habeat ad scibile, non autem volitio ad volibile, videtur irrationale. Sed volitio non videtur habere relationem realem ad volibile nisi ut ad movens et aliquo modo agens in quantum dat formam et speciem ipsi actui voluntatis. Nec tamen crit inter ea relatio activi et passivi, sed quasi mensurae et mensurati; quia, secundum modum tertium relationum, mensura et mensuratum non sumuntur secundum rationem quantitatis, quia hoc ad primum modum pertinet, sed secundum mensurationem esse et veritatis. Veritas enim scientiae mensuratur a scibili, quia ab eo quod est res intellectus est verus; et bonitas volitionis a bonitate finis vel obiecti; ab eo enim quod finis bonus est actus etiam voluntatis bonus est. Quod tamen aliqui (1) nimis irrationabiliter negant dicentes quod, licet scientia mensuratur a scibili, non tamen volitio a volibili, sed solum a libertate vel a libero arbitrio voluntatis. Hoc autem improbare leve est et est alibi (2) reprobatum. Non debet ergo quaeri modus quo voluntas per volitionem ad se ipsam sub ratione activi et passivi referatur mediante huiusmodi perfectione, sed quomodo ipsa voluntas mediante huiusmodi operatione ad ipsum volibile referatur; et sic id quod secundum rationem activi aliquo modo se habet respectu volitionis propriae, cum in talibus idem sit activum et mensura, non debet poni in eo in quo est volitio subiective, sed in alio.

cod. P
fol. 103 V^b

Item, si ipsa volitio etiam realiter differens non referatur realiter ad ipsam voluntatem, ut dictum est, multo minus ipsa voluntas ex habitudine ad ipsam ullam² realem differentiam habebit in se ipsa ratione cuius ad se ipsam realiter referetur. Sic igitur patet quod secundum primum modum unius nihil unum est quod ad se realiter referatur.

¹ realem relationem] relationem realem C. — — nullam FC.

(1) Henricus de Gandavo *Quod. II*, XIII, q. 10 (t. II, fol. 532 V in fine). — (2) *Quod. II*, VI, q. 6 (p. 149 et 147).

Quantum autem | ad secundum modum unius videtur posse ¹ dici quod unum et idem possit referri ad se ipsum secundum rationem activi et passivi. Nam, cum de ratione activi et passivi sit quod unum sit actuale et aliud potentiale, quia quicquid agit, agit secundum quod est in actu et quicquid patitur, patitur secundum quod est in potentia et similiter cum agens debeat ² contingere patiens, — nam, secundum Philosophum, primo de Generatione, omne agens agit se ipso vel medio; unde agens et patiens non approximata sibi ipsis non sunt innata facere et pati; et ideo quod immediate suscipit actionem agentis oportet quod immediate attingatur ab agente, — quamvis autem unum et idem secundum rem simpliciter non possit esse actuale et potentiale respectu eiusdem et tangens et tactum, tamen aliquod ³ unum compositum ex pluribus differentibus secundum essentiam secundum unam partem sui potest esse activum alicuius in se et secundum aliam partem passivum, quia sic possibile et actuale, tangens et tactum non fundantur super idem reale. Sicut videmus in animali composito ex corpore et anima, quae sunt partes essentielles unius compositi per se, quod anima movet corpus, et in corpore mixto in quo sunt calidum et humidum quae sunt partes accidentales unius compositi quod est ens per accidens, quia ibi unum habet rationem activi et aliud passivi, | quia calidum consumit humidum in quo est, similiter etiam ⁴ mixtum corrumpitur a se, ut videtur velle Philosophus, tertio Physicorum; sic etiam ponitur quod aliquid existens in actu secundum aliquid quod virtute continet aliquid ulterius ad quod subiectum manet in potentia, illud secundum aliquid quo iam est in actu potest se ipsum deducere ad actum, scilicet ad illud ad quod est in potentia, ut existens sub perfectione una faciat se ipsum sub alia. Et ponitur exemplum in corporalibus et spiritualibus. Videmus enim quod aqua qualitercumque sit facta calida ab alio se ipsam infrigidat, quod patet: quia frigidior fit quam continens et sic continens non videtur eam infrigidare. Illud enim quod dedit aquae talem naturam dedit ei virtutem ut, cessante impedimento, ab ea talis qualitas flueret. Ita etiam in aliis; quia etiam grave, impedimento remoto, movet se ipsum et etiam semen in ⁵ generatione alicuius ex semine movet se ipsum. Item sic dicitur quod voluntas mota et facta in actu volendi finem ab objecto quod est finis ⁶ et intellectus motus et factus in actu cognitionis principiorum ab objecto quod est | quasi primum verum movet se ipsum sive facit se ipsum ad actum volendi ea quae sunt ad finem per volitionem finis sive per finem volitum et ad actum cognoscendi conclusiones per cognitionem sive per principia iam cognita. Ex hoc enim quod aliquid habet id quod est principale iam habet aliquo modo etiam id quod annexum est; et sic, cum voluntas habet

cod. V
fol. 111 R^b

cod. P
fol. 104 R^a

cod. C
fol. 48 R^a

¹ videtur posse] posse videtur C. — ² debet C. — ³ aliquid PC. — ⁴ et C. — ⁵ om. C. — ⁶ est finis] finis est C.

quod est principale, scilicet velle finem, iam habet in virtute annexum, scilicet velle id quod est ad finem; et illud quod causat principale, hoc etiam ¹ quodammodo dicitur causare annexum; et secundum hoc voluntas per actum volendi finem virtute finis potest se educere ad actum volendi ea quae sunt ad finem. Ita etiam potest in intellectu et in aliis adaptari.

cod. P.
fol. 104 R^b

Sed quod unum et idem isto modo non possit esse activum et passivum et referri realiter ad se ipsum secundum has rationes, patet ex supradictis rationibus; quia illud quod est unum subiecto indivisum, licet plura essentialiter distincta contineat ita quod ratione unius illorum habeat rationem activi respectu alicuius alterius et ratione alterius habeat rationem passivi respectu cuiusdam alterius, quia tamen illud totum per se est activum et per se passivum est, licet non ratione totius respectu eiusdem sive respectu sui ipsius non potest esse activum et passivum quia, cum totum sit activum per se, licet ratione unius partis, et totum etiam per se sit passivum respectu illius respectu cuius dicitur esse activum et passivum, sequatur secundum istam positionem quod idem secundum idem sit activum et passivum; quod non sequitur si totum ponatur activum respectu alterius et totum passivum ab alio, quia totum aliquid esse frigidum in actu et sic potens ² inrigidare aliud et totum illud esse calidum in potentia et sic potens ³ calidari ab alio, non repugnat; sed totum esse calidum in actu et calidum in potentia, quod est ponere si aliquid unum et idem subiecto possit ⁴ se ipsum facere calidum vel frigidum, omnino repugnant.

cod. A.
fol. 111 Va

Nec valet quod distinguitur de actualitate virtualiter et formaliter; nam illud quod est aliquale virtute, non formaliter, non dicitur tale nisi quia habet proprietatem secundum quam potest facere aliquid aliquale, et quia effectus aliquam similitudinem habet ad causam; ideo etiam proprietas qua fit talis effectus est aliquo modo talis, sed non formaliter, quia non secundum univocam sed analogam rationem; propter quod etiam tale agens dicitur aequivo- cum vel analogum. Sed omne illud quod est formaliter tale quale facit aliquid, cum hoc etiam est virtute tale, in quantum scilicet habet efficaciam ut tale faciat aliquid quale ipsum est in actu, sed cum hoc fit secundum eandem rationem univocam, ideo etiam dicitur agens univocum. Hoc ergo videtur universaliter verum de quolibet activo respectu passivi et e converso; ⁵ quia illud quod est potentia aliquale debet esse abiciens actum secundum quem aliquid est actu tale quo possit fieri id quod est in potentia tale in actu et e converso; unde, sicut calidum formaliter, quod simul etiam est calidum virtualiter, non potest esse passivum respectu caliditatis quam potest facere, quia causalitas formae quae est in aliquo subiecto respectu illius

cod. P.
fol. 104 Va

¹ et C. — ² illud tantum *add.* PC. — ³ *om.* C. — ⁴ potest C. — ⁵ inrigidare — potens] *dis* P. — ⁶ quod V. — ⁷ etiam *add.* P.

subiecti non est nisi ipsum subiectum secundum totam suam virtutem informare et perficere, non autem aliquid in illo efficere: sed causalitas existens in uno subiecto respectu alterius subiecti est illud posse tale facere quale ipsum est; et, sicut inducta caliditate formali, cessat omnis ratio causalitatis activae respectu illius in quo est inducta caliditas, non autem ratio causalitatis formalis in eodem. — quia ad nihil aliud per se ordinabatur actio efficientis, sed non cessat ratio causalitatis activae respectu alterius quod habet aliquam potentialitatem respectu illius, — ita etiam est dicendum de quacumque perfectione quae talis dicitur virtute quale est aliquid in potentia ut nunquam forma habeat rationem efficientis respectu illius respectu cuius habet rationem formae, alioquin non erit distinctio realis inter causas efficientes et formales. Immo, ut frequenter dixi, dicitur quod unumquodque facit se de potentia in actum, quia dicitur quod aliquid prius est tale in actu virtute quale postea facit se ipsum formaliter; non est enim haec differentia activorum univocorum et aequivocorum quod unum agat in se et aliud in aliud a se.

Cum ergo aliqui dicunt quod immo hoc est possibile, quia verum est quod potentia est contraria actui, sed illi qui est complementum ipsius potentiae; talis enim actus, cum res est in potentia ad illum, non est idem cum re quod est in potentia ad aliquem actum secundum unam rationem eius; potest esse in actu sub illo secundum aliam rationem eius secundum ¹ quam talis actus natus est produci ab illo uno ² secundum rem; et secundum hoc non est inconveniens | quod id quod est in actu aliquo secundum unam eius rationem se ipsum ut est in potentia ad eundem actum secundum aliam rationem deducat de potentia ad actum; — sicut si sol, cum hoc quod est calidus virtute potens in alio causare calorem formalem, esset etiam in potentia ad actum huiusmodi caloris formaliter sumpti, se ipsum prout est actu et virtute talis qualis est in potentia et ut fiat talis secundum formam se ipsum secundum formam caloris de potentia calido faceret actu calidum per virtutem caloris quam habet in virtute et secundum quam dicitur aliquo modo actu calidus, sed per aliam rationem, et esset calor forma vel actus qui est complementum ipsius potentiae secundum quam sol diceretur potentia calidus et illi potentiae contrarius nec possent simul esse, sed ³ actus quo sol est virtute tale huic ⁴ calori formali nec potentiae ad illum contrariaretur sed simul esset cum utroque, quia est alterius rationis; — et ista nituntur sic dicentes applicare ad voluntatem, volentes per hoc declarare quomodo voluntas potest seipsam de potentia volente facere actu volentem.

Sed planum est quod, sicut illud ⁵ per quod talia finguntur, impossibile apparet esse in sole, scilicet quod se ipsum educat de potentia calido

cod. C
fol. 48 R^b
cod. P
fol. 104 V^b

¹ sed C. — ² illo uno | uno illo C. — ³ secundum C. — ⁴ hoc V. — ⁵ apparet esse in sole] add. P.

cod. V
fol. 111 V^b

cod. P
fol. 105 R^a

actu calidum; immo calidum quod efficit in alio producit per virtutem activam ratione cuius dicitur calidus virtute et ideo haec dicuntur de sole sub condicione, et ponendo non solum impossibile sed impossibilia, ita etiam impossibile est in omnibus aliis. Quod autem ponantur impossibilia sic dicendo in sole et consimiliter in omnibus aliis patet; nam dicitur quod actus qui est completivus potentiae et illa potentia repugnantiam habent nec simul sunt; sed constat quod, si calor cuiuscumque condicionis non existens in sole in ipso causari deberet quocumque agente, totus sol et quicquid esset in sole ante adventum talis caloris esset subiectum unum susceptivum talis caloris, et sic talis calor esset completivus potentiae solis secundum substantiam et secundum omnes dispositiones suas in ipso existentes; non potest enim intelligi quod calor superveniens subingre¹ deretur quasi inter substantiam solis et eius dispositiones praecedentes, sic quod periret substantiam solis sine dispositionibus praecedentibus, — ex quo enim est unum subiecto secundum se totum est in potentia ad omnia quibus esse potest perfectibilis; ergo illud quo dicitur calidus actu virtute esset subiectum caloris formalis et illum etheret non solum in substantiam ipsius solis, sed etiam in se ipsum quia per se in totum compositum. Et hoc adhuc est manifestius in voluntate in qua non ponuntur plura secundum rem, sed solum secundum rationem ad hoc quod dicatur activa et passiva respectu unius actus volitionis. Constat enim quod ipse actus volitionis qui perficit ipsam voluntatem sic perficit eam quod non remanet in ea aliqui quod non perficiatur per ipsam; et sic non est in voluntate aliquid quod non sit potentia quae completur per actum volitionis. Dicere enim quod ipse perficiatur actu volitionis non secundum rationem qua illum efficit, sed secundum aliam, istae rationes nihil faciunt ad hoc nisi fundentur in diversitate reali; res enim est quae perficitur vel quae agit, non ratio. Frustra ergo per talia nituntur praedicta inconvenientia, scilicet quod idem possit agere in se ipsum et referri ad se ipsum, quasi pertinaciter declarare.

Non est ergo tenendum quod inter praedicta agentia modo praedicto differentia inveniatur, sed in hoc differunt quod unum, scilicet univocum facit sibi simile in specie, non autem aliud; sed omnino in hoc conveniunt quod quodlibet est activum in aliud et distinctum², non autem in se ipsum.

Si autem dicatur quod totum non est per se activum nec totum est per se passivum, sed una pars est activa et alia passiva, hoc non potest poni nisi in distinctis subiecto; nam illud quod est calidum et humidum, cum ubique sit tale, non potest poni quod aliquid agat in humidum quin agat etiam in calidum, quia nec potest poni quod agat in humiditatem sed in totum compositum quod, sicut est humidum, ita etiam est calidum, licet

¹ et C. — ² distinctivum P. — quod *alia* P.

caliditas non sit humiditas ; nec etiam agit in materiam, quia illa per se non est subiecta actioni, sed ut est sub contrario ; ita etiam | anima non potest ^{cod. P} ^{fol. 105 R^b} movere corpus quod informat ut ipsa sit movens tantum, quia, cum fiat ex eis unum per se et in esse, oportet quod totum sit per se movens et totum per se motum, quod tamen non potest contingere respectu eiusdem. Hoc etiam patet per aliam condicionem activi et passivi ; quia tangens et tactum oportet esse divisa essentialiter subiecto ; quia, sicut in tactu mathematico oportet quod tactum non habeat quantitatem eius a quo tangitur, ita etiam in tactu | virtuali vel naturali oportet quod tactum non habeat qualitatem vel ^{cod. C} ^{fol. 48 V^a} virtutem tangentis. Cum ergo calidum et humidum sic ¹ sint ² coniuncta quod illud idem indivisum ³ quod habet humiditatem habet etiam caliditatem, habens humiditatem non potest tangi virtualiter a caliditate quam etiam habet ; non enim debet dici quod caliditas sive essentia caliditatis per se ipsam tangat humiditatem sive essentiam humiditatis, sed quod calidum ratione suae caliditatis tangat humidum ratione suae humiditatis ; et sic, si idem indivisum secundum subiectum ⁴, licet divisum secundum essentiam sit calidum et humidum et tangat se humidum per ipsum calidum, idem secundum idem tanget se ipsum. Et per istum modum potest in omnibus aliis adaptari, quia universaliter in omni composito ex subiecto et accidente vel materia et forma non potest dici materia tangi proprie a forma vel subiectum ab accidentibus nisi sic quia, sicut quae tangunt se aliquo modo ununtur, licet non in subiecto et in esse, ita etiam forma et perfectio quaecumque unitur subiecto in ratione causae formalis sive actus et perfectionis ; ex quo sequitur quod non in ratione causae efficientis et agentis. Cum enim omnia accidentia quae sunt in uno subiecto ordine quodam habent subiectum perficere, nullo modo unum agit in aliud, nec etiam per ipsum totum agit in se ipsum, sed unum quasi alio mediante subiectum perficit ; et sic etiam quodammodo se perficiunt formaliter, sed non agunt vel corrumpunt efficienter.

Et ideo relinquitur quod solum secundum tertium modum unius unde et idem potest referri ad se ipsum et esse | activum et passivum respectu | sui ipsius, sed non per se et immediate, sed per accidens et ex consequenti. Nam illud quod habet plures partes subiecto distinctas secundum unam illarum poterit esse in potentia ad aliquid secundum quod est in actu secundum aliam, et tunc per unam illarum partium per se agit in aliam ; et quia sunt partes unius totius, ideo etiam per accidens totum agit in se ipsum. Et sic etiam declaratum est alias (1) quomodo aliquid movet se ⁵, quia anima movet corpus in quantum una pars determinata in qua principaliter et per se residet aliqua

¹ sit PC. — ² sicut PC. — ³ indivisibiliter PC ; vel indivisibiliter *scrips. in marg. alia m. V.*
— ⁴ substantiam P. — ⁵ om. C.

(1) *Quodl. VI, q. 7, p. 159 et ss.*

virtus animae motiva per illam movet aliquam partem determinatam et mediante illa aliam, et sic deinceps.

Et quia etiam illa pars primo movens est pars totius moti, ideo etiam in toto movetur et sic movet se per accidens et refertur ad se ipsum ut movens et motum, sed per accidens.

Ad quaestionem ergo dico quod unum et idem et indivisum vel indistinctum subiecto non potest realiter referri ad se ipsum; immo etiam illa quae realiter referuntur oportet sic differre quod etiam sint plura supposita in actu vel saltem in potentia, ut sunt duae partes quantitativae eiusdem totius, alioquin non haberetur unde poneremus distinctionem realem personarum in divinis, videlicet si duae relationes reales oppositae possent in eodem supposito esse; nam, cum sit ibi fundamentum omnino indistinctum quod non refertur, si etiam subiecta, ut ita dicam, quae referuntur non essent necessario realiter distincta, possent esse in divinis plures relationes reales absque pluralitate suppositorum relatorum. Unde, sicut huc usque tenuerunt doctores et antiqui et moderni, de relationum ratione praecipue per se oppositarum quales sunt quae funtuntur super vim activam et passivam est vel distinguere relata realiter, immo etiam supposita constituere et referre ea ad invicem, ut patet in divinis, vel iam distincta et constituta supponere et ea referre, ut contingit in creaturis. Quod enim oppositio relationum divinarum maiorem diversitatem vel distinctionem requirat quam creaturarum non videtur rationale¹ et ideo usque nunc solebat dici et in scriptis magistrorum antiquis et novis ponitur quod ex infinitate et illimitatione divinæ essentiae contingit quod in ea omnino indivisa fundentur plures relationes, quae tamen ipsam unam essentiam referre non possunt, sed cum ipsa constituunt plura supposita relativa realiter distincta, quae etiam huiusmodi relationibus realibus ad invicem realiter referuntur; in creaturis autem propter earum limitationem et realem ab invicem dependentiam oportet plures relationes reales fundari in rebus pluribus absolutis sive re absoluta differentibus et supponere supposita distincta in quibus sint naturae diversae super quas diversae relationes fundantur, et ipsa supposita ad invicem realiter referuntur. Haec est etiam² sententia doctorum antiquorum []. Nam, sicut dicit Boetius, de Trinitate versus finem: quoniam nulla relatio ad se ipsam referri potest — commenta[tor]: quoniam nulla relatione aliquid ad se potest referri, sed semper³ aliud et aliud — facta quidem est trinitatis numerositas in eo quod est praedicatio relationis; idem ergo Pater qui Filius non est; tamen idem Deus est Pater et Filius; servata vero est unitas in eo quod est indifferentia eius []. Quod secundum se dicitur et ita sane sciendum⁴: non potest [] esse talem relativam praedicationem ut semper ad differens praedicetur, sicut servus ad dominum, id est ad differens

cod. P
fol. 105 Vb

cod. C
fol. 48 Vb

¹ motivae C. — ² rationabile 2^a m. C. — ³ om. C. — ⁴ per 2^a m. C. — ⁵ om. C. — ⁶ sumendum ? C. — ⁷ propter P V.

essentialiter ; oportet tamen quod semper ad differens supposito, licet non natura, et hoc solum in divinis ; vel supposito et natura, ut in creaturis. Unde subdit : et in hac Trinitate similis est relatio ¹ Patris ad Filium ut eius quod est idem ad id quod est idem ; quoniam, sicut in eo quod est idem realiter non impedit relationem secundum rationem identitas realis eiusdem ad se ipsum, ita Patris ad Filium non aufert haec unitas | qua unus Deus sunt relationem realem eorum ad invicem, quod non potest contin|gere in creaturis, scilicet quod aliqua non realiter et secundum essentiam inter se distincta realiter ad invicem referri possunt, licet possunt referri relatione secundum rationem, ut praemisit. Unde subdit : id autem non potest inveniri in cunctis aliis rebus ; commenta|tor] : id est, nullae aliae res sunt in quibus hoc possit inveniri, scilicet quod sicut indivisae realiter ² ad invicem realiter referantur. Et subdens causam dicit : hoc facit cognata caducis rebus alteritas ; commenta|tor] : non enim sine illorum in quibus sunt alteritate diversa sunt a se quaelibet subsistentia, nec nisi hac alteritate diversa possunt ad se invicem referri et cetera ; ergo illa secundum quae aliqua referuntur realiter ad invicem in creaturis oportet fundari in diversis absolutis realiter et essentialiter distinctis, et cum hoc oportet illa quae per relationes referuntur esse supposita et subiecta realiter ab invicem distincta. Ergo vel dicendum quod illud quod est unum subiecto non potest esse vere activum et passivum respectu sui ipsius sive productivum ³ alicuius actus in se ipso ad quem de se est in potentia, vel oportet dicere quod vere agere in se ipsum et vere pati a se ipso et vere producere aliquem actum in se ipsum de vera potentia reales relationes non important.

cod. P
fol. 106 Ra
cod. V
fol. 112 Rb

Patet etiam, quod si haec vera sunt, quod voluntas non refertur realiter ad se ipsam secundum activum et passivum sive intelligatur nuda ut respectu primi actus volendi finem sive iam sub aliquo actu et in potentia respectu alterius ; ita de intellectu ; ita etiam de gravibus et de aqua calida specialiter. Tamen quantum ad aquam calidam mirabile est quod propter hoc quod frigidior sit quam continens ponitur quod non ab alio, sed a se ipsa fit frigida, cum ⁴ in tempore frigido aliqua non frigida in tanto gradu secundum suam proprietatem fiunt frigida multo magis quam sit ⁵ continens. Et e contra, de natura sua frigida fiunt calida multo magis quam continens tempore calido, | ut patet de aliquo lapide qui in aestate virtute radiorum solis fit multum calidior quam sit aer continens. Et tamen manifestum est quod naturaliter frigidum praesente calido non facit se aliquo modo calidum. Similiter etiam nec naturaliter calidum facit se aliquo modo frigidum praesente frigido ; sed haec contingunt propter dispositionem susceptivi ⁶ in quo fortius et melius potest recipi calor vel frigus quam in aere raro.

cod. P
fol. 106 Rb

¹ om. C. — ² et m. add. in marg. V. — ³ productionem PC, productum V. — ⁴ tamen PC. — ⁵ sic PC. — ⁶ susceptum C.

Unde non bene dicunt qui (1) dicunt quod aqua potest se movere per accidens removendo prohibens, scilicet caliditatem, sicut lapis; nam, cum loquimur de impedimento, proprie non intelligimus id quod formaliter est in impedimento ut in subiecto; unde ipsum ubi quod est esse sursum non dicimus impediens lapidem esse deorsum, sed aliquid resistens exterius, quo remoto, statim in instanti grave se ipso habet esse deorsum; unde qui illud resistens amovet movet grave per accidens et, cum ipse lapis etiam movendo medium et scindendo amovet suum impedimentum, sic etiam² movetur a se ipso per accidens. Sed haec non possunt aquae calidae adaptari et ideo nec per se nec per accidens est causa effectiva suae frigiditatis, sicut potest dici de lapide qui per accidens causa est sui descensus.

cod. C
fol. 49 Ra

Ad argumentum est dicendum quod potentia animae sive intellectus sive voluntas facta in actu secundum aliquod obiectum non est nata se ipsam per se facere in actum secundum aliud. Est enim supponendum quod potentia animae, scilicet voluntas et intellectus pro obiecto non respicit aliquid unum secundum rem determinatum; sed omne ens potest habere rationem obiecti sub una ratione, licet non univoca; nec est differentia intellectus in comparatione ad sua obiecta hoc quod respectu unius se habeat ut in passiva potentia quae reducit in actum ab alio sub ratione obiecti etiam movente, et respectu alterius sit activa, quia se educit ad actum cognoscendi illud; immo est etiam³ differentia quantum ad ordinem reductionis in actum secundum diversitatem obiectorum ut quasi ordinatorum agentium quorum unum non agit nisi alio praesupposito et in virtute eius. Unde, sicut ordo est in formis materialibus⁴ et in potentiis materiae non quod primo fiat sub una et postea mediante illa ipsa materia vel compositum faciat se sub alia, sed sic quod non potest per agens fieri sub posteriori nisi prius habeat esse sub priori, ita est in proposito applicandum et ad intellectum et ad voluntatem. Unde pro tanto intellectus factus in actu secundum principia dicitur se facere in actum secundum conclusiones, quia termini conclusionum propter ordinem quem habent ad terminos principiorum non movent intellectum nisi per applicationem principiorum ad conclusiones et sic movent termini conclusionum in virtute terminorum principiorum et sic quasi movens cuius virtus reservatur in posterioribus dicuntur principia in virtute luminis intellectus agentis; et ita in voluntate respectu finis et eorum quae sunt ad finem intelligendum est esse.

cod. P
fol. 106 Va

cod. V
fol. 112 Va

¹ nam P. — ² et C. — ³ quae C. — ⁴ om. P. — ⁵ sic 2^a m. C. — ⁶ terminorum principiorum] principiorum terminorum C.

(1) Henricus de Gandavo, *Quaest.* XI, q. 5 (11. fol. 253)

QUAESTIO VII.

Utrum essentia angeli sit composita ex genere et differentia.

Deinde circa pertinentia ad quasdam substantias et quasdam eorum proprietates specialiter quaerebantur quaedam pertinentia specialiter ad naturam intellectualem sive angelicam et quaedam pertinentia specialiter ad naturam rationalem sive humanam. Circa pertinentia ad naturam angelicam specialiter quaerebantur duo, unum pertinens ad eius essentiam et unum pertinens ad eius mensuram.

Primum horum erat utrum essentia angeli sit composita ex genere et differentia. Secundum utrum esse omnium sempiternorum sive angelorum mensuratur una mensura.

Ad primum horum arguitur quod essentia angeli sit composita ex genere et differentia, quia omnis species contenta sub aliquo genere est constituta sive composita ex genere et differentia; sed angelus est quaedam species in genere; ergo et cetera.

Contra: ubicumque invenitur compositio ex genere et differentia, cum differentia importet actum et formam, quanto aliquid constituitur vel componitur ex pluribus differentiis tanto est perfectius et e converso, sicut patet in istis materialibus. Sed in angelis quanto aliquid est simplicius tanto perfectius; ergo compositio quae est in angelis non est ex genere et differentia.

cod. P.
fol. 106 Vb

Respondeo: circa hoc est intelligendum quod idem est quaerere utrum in angelis sit compositio ex genere et differentia et utrum sint in genere substantiae quasi univoce cum aliis substantiis corporalibus.

Non enim videtur omnino certum quod substantia univoce praedicetur de illis et corporalibus et per consequens, quamvis in istis corporalibus sit compositio ex genere et differentia, non propter hoc sequitur quod sit compositio ex genere et differentia in angelis. Si tamen unitate essent in genere cum corporalibus bene sequeretur; sed hoc non est manifestum, scilicet quod substantiae immateriales univoce sint in genere cum corporalibus. Quamvis enim substantia importet modum quandam essendi quasi communem, scilicet modum in se existendi et non in alio ut in subiecto qui etiam convenit Deo et creatis omnibus substantiis, patet tamen quod ex hoc non sequitur quod dicat unum genus univocum, alioquin etiam Deus esset in genere. Item, cum etiam accidens in communi importet quandam quasi communem modum essendi, scilicet esse in

alio, tamen ex hoc non habetur ¹ una ratio unius generis, sed distinguuntur diversa genera etiam generalissima secundum diversos modos essendi in alio; et ita forte videretur alicui quod secundum diversos modos essendi ² et subsistendi in se possent sumi diversa genera substantialia.

Sed, quia modus et distinctio praedicamentorum non est res multum manifesta et quia sumitur secundum quosdam modos essendi rerum secundum quos diversimode intelliguntur et significantur res et naturae diversorum praedicamentorum, haec autem magis quamdam probabilitatem quam evidentem certitudinem praebent, ideo perscrutationem talium relinquendo et supponendo quod solum sunt decem genera praedicamentorum et solum unum genus substantiae, ut philosophi supposuerunt, ad videndum veritatem quaesiti primo considerandum quid nomine generis sit intelligendum, ut ex hoc videatur quomodo angeli sunt vel non sunt in genere. Deinde, ne videantur angeli dicere puros actus cum exclusione omnis potentialitatis si nullo modo ponantur in genere, distinguendum est de genere et declarandum quod secundum unum modum generis sunt aliquo modo in genere ponendi.

cod. C
fol. 49 R^b

cod. P
fol. 107 R^a

Quantum ad primum est intelligendum quod ad rationem generis vere et proprie sumpti pertinet quod importet unitatem et convenientiam secundum rem.

cod. V
fol. 112 V^b

Ad cuius declarationem supponenda sunt aliqua: primo quidem, quod unitas generis est alia ab unitate analogiae; nam patet, secundum Philosophum, quinto *Metaphysicae*, quaedam sunt unum proportionem vel analogiam, quaedam sunt unum genere, quaedam unum specie, quaedam unum numero; et se habent omnia haec per ordinem, quia primum est sine secundo et non e converso, et sic deinceps.

Secundo, supponendum est quod genus est unum in pluribus unitate univoca, quod etiam ex dicto eodem Philosophi manifestum est; nam, si est alia unitas generis ab unitate analogiae, cum sit quid commune multis, non potest habere aliam unitatem quam unitatem univocam.

His autem suppositis, patet propositum quod nomine generis intelligitur aliquid quod solum est in convenientibus secundum rem sive quod genus importat communitatem plurium in quibus est aliqua unitas secundum rem. Illa enim quae solum conveniunt in unitate analogiae et proportionis cuiusdam non conveniunt in unitate generis, ut patet ex prima suppositione. Sed ita videtur esse in omnibus quae non conveniunt in aliqua una re quae, quantum est de se, nata est esse in omnibus, scilicet quod non conveniunt nisi in unitate analogiae; ubi enim non est aliqua unitas et convenientia plurium secundum unam rem non est convenientia eorum nisi secundum quandam analogiam et proportionem inter se. Cum ergo sit alia unitas generis et analogiae, ergo in illis quae non

¹ habeatur C — ² in alio et ita — modos essendi] om. P. — ³ diversi C.

conveniunt in una re, sed tantum habitudinem et proportionem aliquam habent inter se, est unitas analogiae, non ergo unitas generis.

Item, eisdem suppositis, arguitur idem sic: nam genus est vere nomen univocum ad ea quae sunt in genere, ut patet per secundam suppositionem; sed ea quae non | conveniunt in aliquo uno secundum rem non possunt habere aliquod unum nomen commune univocum; sed ex eo quod habent aliquam habitudinem et proportionem vel analogiam inter se bene habent aliquod commune nomen non pure aequivocum, sed analogum; alioquin, si non requireretur unitas realis alicuius unius rei ad unitatem nominis univoci, sed sufficeret quod res essentialiter distinctae in nulla una re convenientes haberent aliquam habitudinem et proportionem vel analogiam inter se ad hoc quod eis unum nomen commune univocum imponeretur, tunc omnibus entibus posset esse unum nomen commune univocum, scilicet ens, et sic substantia posset dici nomen univocum Deo et aliis. Hoc est ergo unum ad rationem generis pertinens: convenientia secundum rem eorum quae in genere sunt.

cod. P
fol. 107^o R^b

Ex quo statim apparet una ratio quare angeli non videntur esse in genere. Propter hoc enim videtur quod genus solum sit in corruptibilibus in quibus est aliquid unum in quo omnia realiter conveniunt, scilicet materia, quae quidem quantum est de se est ¹ una in omnibus et ratione illius omnia sunt quodammodo unum et ideo etiam ² ordine quodam sunt omnia ad invicem transmutabilia per illam, ita quod equus est asinus in potentia remota et e converso. Et hoc videtur intentio Commentatoris et Philosophi, decimo Metaphysicae, ubi dicitur quod corruptibile et incorruptibile non sunt in eodem genere eo quod non important contrarietatem circa unam et eandem potentiam secundum rem, immo potentiam quam incorruptibile universaliter includit corruptibile totaliter excludit; propter quod dicitur ibi quod nomen congregans illa est nomen aequivocum. Sed nomen generis est nomen univocum; ergo et cetera.

Item, hoc idem videtur propter quandam aliam rationem quae sumitur ex alio importato nomine generis. Quamvis enim genus et differentia et species non dicunt res diversas, sed unam et eandem, dicunt tamen diversas rationes circa illam sive significant unam et eandem rem sub alia | et alia ratione. Hae autem rationes sunt secundum | quod concipitur sub ratione indeterminati et potentialis, determinabilis autem secundum aliquam formalem actualitatem, scilicet per differentiam speciem constituentem et sic concipitur sub ratione qua convenit ei intentio generis. Ex quo iterum videtur quod angeli non sunt in genere. Illud enim quod est in genere tanquam species debet esse tale quid quod ³ de ipso, prout secundum se ipsum intelligitur, formentur ⁴ plures conceptus in intellectu ordinate dicto modo se habentes. Sed | videtur quod, secundum Philosophum et Commentatorem, de separatis non possunt formari tales con-

cod. C
fol. 49^o V^a
cod. P
fol. 107^o V^a

cod. V
fol. 113^o R^a

¹ om. PC. — ² om. C. — ³ quasi PC. — ⁴ formantur P.

ceptus distincti cum secundum se ipsa intelliguntur, quia nec in ipsis est processus in cognitione ab indeterminata cognitione «si est» ad «quid est», ut ad cognitionem eorum sub ratione determinata, sed simplici intuitu totaliter mente attinguntur et apprehenduntur vel totaliter ignorantur, id est de ipsis in se ipsis nulla cognitio indeterminata habetur; et sic non videtur quod de ipsis possunt formari diversi conceptus dicto modo differentes; quare etiam ¹ non erunt proprie in genere. Quia enim sensibilia individua per se non apprehenduntur ² intellectu, sed sub ratione abstracta, ideo id quod de ipsis ab intellectu per se apprehenditur apprehenditur sub ratione communi et communi conceptu; ergo e contra, si separata per se et secundum se ipsa in sua propria entitate, ut sunt in se ipsis, apprehenduntur, non est eorum aliquis conceptus communis; et sic in natura angelorum non solum non est accipere commune quod est genus, sed nec etiam commune quod est species. Hoc etiam videtur per Philosophum, septimo et secundo Metaphysice ³, dicentem quod separata non habent diffinitionem; diffinitio autem est sermo compositus ex genere et differentia; quare et cetera. Secundum ipsum enim in eis non est quaestio nec doctrina, sed alio modo cognoscuntur, ut dictum est.

cod. P
fol. 107 Vb

Item, quod in simplicibus talibus non sint ⁴ tales diversi et distincti conceptus vel diversi actus cognoscendi, sed unus simplex, patet per Philosophum et Commentatorem, tertio de Anima, ubi dicitur quod aliud est magnitudo et magnitudinis esse et caro et carnis esse. Commentator: id est, individuum est aliquid et intentio per quam est ens, sed quidditas et forma eius, est aliud, appellans hic formam et quidditatem rem secundum quod ut obiectum per se intellectus apprehenditur et ut abstractum a condicionibus contrahentibus. Deinde dicit quod haec diversitas contingit in omnibus compositis ex materia et forma, non autem in rebus simplicibus, quia in illis quidditas et essentia est idem quod ipsum simplex, quia quidditas in eis non est in materia. Deinde subdit: et cum entia sensibilia dividuntur in duplex esse, scilicet in hoc singulare et suam formam, et necesse est ut virtus comprehensiva comprehendat ea per duas virtutes, quando comprehendit utrumque istorum per se, scilicet formam singulariter et individuum singulariter, per unam vero virtutem secundum diversam dispositionem quando comprehendit alietatem quae est inter has duas intentiones. Comprehendit enim intellectus formam per se, individuum autem mediante sensu. Quia enim istas formas non comprehendit intellectus nisi in materiis, ideo comprehendit eas per dispositionem quae diversificatur.

Ex istis patet quod in separatis non est accipere aliquam cognitionem eorum sub ratione formae, ita quod eius ut sic sit conceptus communis et indeterminatus et alia cognitione cognoscuntur sub ratione determinata et singulari,

¹ om. C. — ² in add. P. — ³ in marg. 2^a m. C. notant. Aristoteles 7 et 11. — ⁴ sunt C. —
⁵ hanc PC.

sed una simplici intuitione cognoscuntur. Et ex hoc videtur quod non solum non sit ibi ratio generis et speciei differentes secundum rationem circa eandem rem, sed nec ratio speciei et ratio individui vel singularis, sicut est in materialibus. In materialibus enim differt individuum a natura speciei sicut res singulariter in se existens et ut sic nata apprehendi a sensu a se ipsa ut intellecta sub ratione conceptus communis et speciei; in immaterialibus autem non sic. Sed secundum esse quod habent in re in se ipsis secundum illud et sub eadem ratione intelliguntur nec aliter habent esse quam sicut intelliguntur ¹; sed materialia intelliguntur universaliter; non sic | autem existunt, sed singulariter.

cod. P
fol. 108 R^a

Ex istis ergo videtur quod angeli non sunt proprie in genere nec cadunt cum aliis substantiis sub divisione substantiae ut alicuius unius nominis | univoci, sed analogi tantum. Unde dicit Simplicius, capitulo de Substantia: divisio qua dividitur substantia in corpoream et in ² incorpoream quibus nihil videtur commune merito reprehenditur si accipiantur haec ut secundum unam coelementarem contradictionem, et communem ut omnino indifferens; sed si tanquam existente et in abstractione communicate | copulata sunt omnia et post distinctionem unita manent, non est inconveniens. Ex istis dictis Simplicii videtur quod non est ³ aliqua unitas et communitas istorum nisi secundum analogiam et attributionem vel proportionem. Ergo videtur quod angeli cum sint incorporei et non sunt in genere substantiae cum aliis in nullo genere videntur esse per consequens. Item Avicenna, quinto Metaphysicae, dicit quod in eo cuius essentia est simplex fortasse intellectus ponet in se ipso hos respectus, scilicet secundum quos sumitur ratio generis et differentiae et speciei; in esse autem eius nihil est quod discernatur esse genus.

cod. C
fol. 49 V^b

cod. V
fol. 113 R^b

Sed, quia non videtur conveniens ponere angelos omnino extra genus, quia hoc videtur soli Deo convenire eo quod ratione suae actualitatis penitus omnem potentialitatem et limitationem omnem excludit, quia etiam non ponimus angelos esse substantias tantae actualitatis et simplicitatis sicut ponebant philosophi substantias separatas quas omnes quasi quosdam Deos ponere videbantur, ideo sunt a nobis angeli aliquo modo in genere collocandi.

Sed, quia non possunt omnino proprie et uniformiter poni ⁴ in genere eodem in quo sunt materialia corruptibilia ⁵, nec tamen consueverunt distingui plura genera quam decem quorum unum est substantia, nec ponitur quod sint plura genera substantialia sicut sunt plura accidentalialia, oportet angelos eo modo quo habent esse in genere poni in eodem genere substantiae cum aliis tam corruptibilibus quam incorruptibilibus; | et ideo consuevit distingui de genere quod uno modo dicitur genus naturale vel reale, alio modo logicum vel rationale; et tunc ⁶ solet dici quod angeli sunt in eodem genere cum aliis quantum ad ratio-

cod. P
fol. 108 R^b

¹ nec aliter — intelliguntur] *om.* C. — ² *om.* C. — ³ *bis* P. — ⁴ *om.* C. — ⁵ corruptibilia *poni add.* C.; *poni add.* P. — ⁶ et tunc] *item* C.

nem generis logici, non autem naturalis. Et ideo ad videndum quomodo angeli possunt poni in eodem genere saltem logico cum aliis est considerandum quomodo differant¹ illae rationes generis et deinde quomodo ea quae sunt de ratione generis logici possunt in angelis reperiri.

Quantum ad primum est intelligendum quod de ratione generis est quod totum illud quod dicit species sub ratione actualis et determinati per formam quam importat differentia dicat genus sub ratione² potentialis et indeterminati determinabilis per actualitatem formae quam dicit principaliter differentia.

Ex quo patet quod illud in quo potest sumi ratio generis et differentiae debet potentialitatem aliquam importare cum aliqua actualitate sive debet importare³ rem quae possit accipi sub ratione potentialis et indeterminati et sub ratione actualis et determinati per aliquam actualitatem determinatam; et res multae in quibus potest reperiri potentialitas aliquo modo una in qua aliquo modo omnes conveniunt et in quibus sunt actualitates diversae quibus ab invicem differunt possunt dici esse compositae ex genere et differentia et esse in genere uno.

Ubi autem ex parte rei invenitur vera potentia quantum est de se respectu multorum una secundum rem et indeterminata, sed omnibus illis communis per privationem determinationis et actualitatis, scilicet ipsa materia prima et per multa ab illa realiter differentia, scilicet actualitates diversarum formarum, ordine quodam determinabilis, ibi invenitur aliqua unitas secundum rem; et sic omnibus eis est aliquid dicto modo realiter commune circa quod important diversa entia diversas actualitates illud diversimode determinantes et ex hoc diversa composita actualia et completa con stituentes in eis. Ergo in quibus hoc invenitur potest ratio sumere unitatem et communitatem rationis ex unitate et communitate rei⁴ sic diversimode perfectibilis. Et hoc dicitur communitas generis, non quia sumatur ab illa re potentiali quae est materia sic communis secundum se, sed a toto composito ex ipsa et forma qua perfectibilis est absque cointelectu alicuius formae determinatae qua⁵ specificabilis et determinabilis⁶ est.

Et ex diversitate realium actualitatum formalium respectu differentiae unius potentiae ordinarum potest intellectus sumere rationes diversas diversarum differentiarum illud totum sive compositum dicto modo sub ratione indeterminati sumptum determinatarum⁷ et completivarum, ut patet descendendo ad materialia quae communicant in materia.

Ubi autem ex parte rei intra eius essentiam non est accipere veram potentiam et substantialem in qua multa entia perfecta communicant et veram actualitatem per quam multa ad invicem specialiter differant, sed unum et idem

cod. P
fol. 108 Va

cod. V
fol. 113 Va

cod. C
fol. 50 Ra

¹ differunt P. — ² actualis — sub ratione] om. C. ; determinati et actualis — ratione] add. 2^a m. C. — ³ interminati P. — ⁴ cum aliqua — importare] om. C. ; sive debet importare in marg. 2^a m. C. — ⁵ ex unitate — rei] om. P. — ⁶ et determinabilis om. P. — ⁷ determinatarum 1^a m. C.

secundum rem secundum diversas rationes consideratum accipiatur sub una consideratione secundum rationem indeterminati et potentialis et sic sub ratione generis, et id ipsum sub alia consideratione accipiatur secundum rationem determinantis et sic sub ratione differentiae et sub alia secundum rationem determinati et sic sub ratione speciei, ita etiam quod multa talia simplicia secundum rem et cum materialibus realiter compositis et inter se etiam communicant secundum rationem cuiusdam potentialitatis quae in eis consideratur non quidem secundum unitatem realem, quia talis non est in eis, sed secundum quandam unitatem analogiae et proportionis; puta quod, sicut in materialibus est aliquid unum ens compositum ex pluribus rebus, scilicet potentia et actu, et sic secundum diversa est ibi actuale et potenziale, ita etiam in separatis est accipere unum et idem secundum rem sub ratione potentialitatis et sub ratione actualitatis; et sic etiam omnia conveniunt in ratione potentialitatis sic quod unumquodque secundum se potentialitatem includit | in quantum non est ens

cod. P
fol. 108 Vb

primum quod sit actus purus, sed est ens per participationem ex se non habens entitatem vel esse in actu sed in potentia tantum, licet diversimode secundum diversitatem naturarum entium simplicium et compositorum. In talibus autem non potest ratio sive intellectus sumere unitatem et communitatem rationis ex unitate et communitate rei quae possit habere rationem unius generis, sed ¹ oportet quod hoc fiat ex aliqua unitate in modo consimili essendi et intelligendi et etiam praedicandi, ut videbitur.

Et, quia naturalis est artifex realis, ideo quando rationi ² generis et differentiae respondent ex parte rei praedicta illa, dicuntur habere rationem generis et differentiae realis sive naturalis quod pro eodem accipitur. Quia vero logicus est artifex rationalis, ideo quando rationi generis et differentiae praedicta secundum rem non respondent ex parte rei, sed ex ratione vel secundum rationem solum, talia dicuntur habere rationem generis et differentiae logici. Et bene videtur dici tale genus solum logicum, non reale vel naturale, eo quod entia logicalia sunt entia rationis. Nunc autem genus et differentia et species sic accepta solum videntur entia esse rationis. Propter quod Avicenna loquens de istis in quibus sunt hae intentiones modo logico, quinto Metaphysicae suae, dicit, ut tactum est, quod in eo cuius essentia est simplex fortasse intellectus ponet in se ipso hos respectus, scilicet secundum quos sumatur ratio generis et differentiae vel speciei; in esse autem eius nihil est quod discernatur esse genus.

His igitur ³ visis, patet primum, scilicet quomodo differunt genus logicum et genus naturale. Hoc igitur ostenso, videamus de secundo, scilicet quomodo ea quae sunt de ratione generis logici possunt in angelis reperiri. Sciendum est igitur quod, quia ratio generis semper ⁴ sumitur a ratione potentialitatis, in quantum dicit naturam rei sub ratione indeterminati ut per aliquam actualitatem

¹ si P. — ² rationem PC. — ³ om. C. — ⁴ om. C.

cod. P
fol. 106 Ra

determinabilis, propter quod oportet quod illud in quo potest accipi ratio generis sit tale quod non sit actus purus respectu nullius, aliquam potentialitatem et defectibilitatem habens ut per aliquam determinatam actualitatem determinabilis, — unde in Deo nulla ratio generis potest accipi, — ne ista ratio sit cassa, oportet quod in re sit unde talis modus potentialitatis accipi possit. Etsi quidem sit [†] res talis quod realiter sit ibi potentialitas realiter distincta ab actu intra essentiam, in illo potest [†] accipi ratio generis realis vel naturalis, ut patet in corruptibilibus. Si autem in una essentia simplici oportet utraque accipi, est ibi ratio generis logici, ut ex iam dictis patet.

cod. V
fol. 113 Vb

cod. C
fol. 50 Rb

Verumtamen, quia videretur ratio esse cassa nisi illud quod in sua natura non includit compositionem secundum rem haberet eam saltem annexam, et ideo, ut dicitur a quibusdam, cum in angelis non sit compositio intra essentiam eorum ex materia | et forma, oportet, quod si sit genus in eis, quod cum aliquo respectu cuius habeant potentialitatem compositionem faciant. Et ita esse dicunt. Quia enim natura angelica compositionem facit cum suo esse et cum suis proprietatibus et accidentibus, in angelis videtur debere poni genus ratione talis potentialitatis, quia, licet natura in eis sit simplex, habens tamen naturam, est compositum; quae compositio poterit correspondere compositioni secundum rationem ex genere et differentia; et sic, si consideretur ipsa natura angeli secundum quod est potentialitas quaedam respectu suarum posteriorum perfectionum quibus perficitur, sic ex ea sumitur ratio generis, quia in hoc omnes angeli conveniunt quod natura ipsorum est in potentia ad posteriores perfectiones. Si autem consideretur ipsa natura ut est actualitas quaedam in determinato gradu naturae et entitatis a qua natae sunt fluere tales proprietates secundum determinatum gradum per modum nobilitatis, sic ex ea sumitur ratio differentiae; nam secundum hoc inter eos attenditur distinctio quod sunt in alio gradu naturae a qua natae sunt fluere proprietates secundum alium et alium gradum.

cod. P
fol. 107 Rb

Sed videtur, quod etiam si in angelis debet genus poni, quod non sic debet ratio generis et differentiae in eis accipi. Primo, quia ratio generis et differentiae sumi debet ab eo quod ad rei essentiam pertinet et ratio generis a potentialitate non accidentali sive respectu accidentalium perfectionum et differentia ab actualitate essentiali. Cum ergo potentialitas angeli respectu suorum accidentium et etiam actualitas ipsorum accidentium non sint huiusmodi, videtur quod ab illis non convenienter ratio generis et differentiae sumatur, licet forte per hoc aliquo modo manifestari possit et cognosci ratio potentialitatis et actualitatis intra naturam angeli a qua dicitur posse sumi ratio generis et differentiae sicut in materialibus. Ex eo enim quod in homine est potentia ad sentire in quo convenit cum brutis et ad

[†] si P. — [‡] sic si | si sic C. — [§] sicut P.

intelligere in quo differt ab eis non sumitur ratio generis et differentiae; sed ex istis proprietatibus quae de ipso apparent devenimus in cognitionem potentialitatis et actualitatis essentialis sive essentiae ipsius hominis sub duplici ratione, scilicet sub ratione potentialitatis communis et sub ratione actualitatis specialis. Secundo quia, si in aliquibus substantiis separatis esset actualitas substantialis sine accidentali et cum essent distinctae secundum diversos gradus actualitatum et perfectionum quod requirit diversitas in entibus sicut diversitas numerorum in eis, nullo modo posset aliqualis ratio generis reperiri. Quod tamen non videtur conveniens, cum hoc sit proprium soli primo enti a nullo dependenti et respectu nullius potentialitatem habenti a quo omnia alia dependent et respectu cuius potentialitatem habent quantumcumque etiam sint in sua essentia simplicissima per privationem | plurium rerum realem compositionem facientium. Propter quod in angelis nullam compositionem intra suam essentiam habentibus, licet habeant compositionem cum accidentibus suis, tamen a potentialitate quam respectu huius ¹ compositionis habent non debet sumi ratio generis.

cod. P
fol. 109 Va

Et ideo videtur dicendum quod, cum ratio generis debeat poni in quacumque creatura quantumcumque nobili sub Deo, sic videtur ponenda, quod diversae rerum species gradatim naturam et perfectionem entis possident ita quod una species super aliam aliquem gradum perfectionis adiicit respectu cuius alia carens tali gradu et actualitate quandam imperfectionem et potentialitatem ² dicitur habere. Ratio ergo determinatae speciei quam complet differentia consistit in hoc quod in determinato gradu entis collocatur; ratio vero generis sumitur ex eo quod, cum natura sua secundum se sit quid imperfectum propter limitationem suae entitatis | et deficiens ab actualitate pura ³ et sic ut recedens ab illa actualitate respectu illius quandam potentialitatem includit, sicut ex eo quod illa eadem natura respectu imperfectioris ab eo deficientis actualitatem quasi suam ⁴ potentialitatem determinantem includit et secundum hoc in uno et eodem quantumcumque simplici et perfecto creato, tamen poterit accipi ratio potentialitatis et indeterminati et ratio actualis et determinantis ex quibus sumi poterit ratio generis et differentiae eo modo quo in simplicibus substantiis sumi potest. Sed non est accipere in eis huiusmodi rationes prout sufficiunt ad rationem generis et differentiae naturalis, ut dictum est. Sed nec hoc quod dictum est videtur sufficere ad ponendum rationem generis logici in angelis, quia in illis quibus | non convenit diffinitio quae est sermo compositus ex genere et differentia logicis non videtur esse genus et differentia, sed secundum Philosophum et Commentatorem, septimo et octavo Metaphysicae, simplicia entia separata non diffiniuntur | nec in eis est cognitio procedens a « si est » ad « quid est »,

cod. V
fol. 114 Ra

cod. C.
fol. 50 Va

cod. P
fol. 109 Vb

¹ huiusmodi PC. — ² quandam — potentialitatem] om. P. — ³ puri C. — ⁴ suam potentialitatem] potentialitatem suam P.

ut praeallegatum est. Unde, secundum eos, in eis non est quaestio et doctrina, sed modo simplicis apprehensionis totaliter cognoscuntur. Et hoc videtur ratione¹, quia illud cui convenit genus et differentia quibus est diffinibile² est tale quod de ipso etiam secundum se ipsum formantur plures conceptus in intellectu ordinate se habentes secundum indeterminatum et determinatum. Tales autem intellectus plures de separatis, cum secundum se intelliguntur, formari non possunt, secundum Philosophum et Commentatorem, sed mente simplici intuitu et conceptu totaliter attinguntur vel totaliter ignorantur; et sic eis non videtur attribui intellectus communis, quia in se ipsis ut sunt secundum se intelligibilia videntur. Cum igitur illa quibus convenit ratio generis et differentiae per se secundum esse singulare eorum non intelliguntur, videtur quod in separatis non possit proprie poni genus et differentia, etiam de genere et differentia logice loquendo, quia constat quod ut sic importent distinctos conceptus et communes circa unam rem, quae non nisi singulariter existit, non tamen in sua singularitate per se et primo intelligitur.

Item, hoc idem alia ratione videtur, quia, ubi non est repetire aliquam unitatem realem, sed solum secundum aliquam habitudinem et similitudinem sive proportionem, non videtur posse imponi aliquod nomen commune vere univocum sed analogum; sed ita videtur esse in omnibus in quibus non est aliqua una natura communis. Hoc autem reperitur solum in materialibus ratione materiae quae, quia quantum est de se una³ numero est in omnibus, ideo etiam omnia quodammodo sunt unum in illa et ratione illius omnia sunt invicem transmutabilia. Ergo videtur quod solum in materialibus sit possibilis vera ratio generis etiam logici. Non enim est ponendum genus naturale vel reale sic in materialibus quod non logicum; immo genus logicum vere est in eis, sed dicitur etiam naturale propter causam supradictam. Et hoc videtur intentio Commentatoris et Philosophi, decimo Metaphysicae, ubi dicitur quod corruptibile et incorruptibile non sunt in eodem genere eo quod non important contrarietatem circa unam realem potentiam; immo potentiam quam corruptibile includit incorruptibile totaliter et universaliter excludit; propter quod dicitur ibi quod nomen congregans illa duo est nomen aequivocum; sed hoc nomen generis logici est nomen univocum; ergo et cetera.

Sed, quamvis secundum ista videatur quod genus et differentia non omnino proprie et perfecte possunt immaterialibus⁴ sicut materialibus convenire, tamen est dicendum quod aliquo modo sunt in genere substantiae, saltem logice loquendo. Sed illa ratio generis communis eis et aliis substantiis non potest sumi ex uno reali, sed sumitur ex aliqua unitate secundum rationem sumpta ex aliqua conformitate quae inter eas invenitur. Ex hoc scilicet quod propter

cod. P.
fol. 110 Rv

¹ rationale corr. 2^a m. C. — ² difficile P. — ³ om. C. — ⁴ om. P. — ⁵ om. C. — ⁶ om. PC. — ⁷ in materialibus.

eorum similitudinem naturalem cum aliis substantiis in suis naturis et in ratione potentialitatis communis et etiam in quodam modo per se existendi habent etiam unum modum praedicandi et quodammodo unum modum intelligendi, ideo nomina communia dicta de materialibus et de immaterialibus habent sufficientem [univocationem ad hoc quod possint habere rationem generis logici ad substantias materiales et immateriales, supposita tamen tali natura in eis quod propter defectum a pura actualitate, ut dictum est, possit in eis accipi ratio actualitatis et potentialitatis, quod non contingit in Deo qui nullo modo est in genere. Et ideo dicit Simplicius, capitulo de Substantia, ut supra allegatum est, divisio qua dividitur substantia in corporeum et ¹ incorporeum, quibus nihil videtur commune, merito reprehenditur si accipiantur haec ut secundum unam coelementarem contradictionem et communem ut omnino indifferens; sed, si tanquam existente aliqua et in abstractione communitate ² secundum quam copulata sunt omnia et post distinctionem unita manent ³, non est inconveniens; et sic communitas generis substantiae ad corruptibilia et incorruptibilia non sumitur [a communitate reali quae sit aliquid unum secundum rem, sicut contingit ubi est vere unum genus reale et naturale, sed ab unitate proportionis et analogiae dicto modo et ab unitate modi praedicandi quem habent nomina communiter de ipsis dicta ratione talis unius modi essendi et modi intelligendi. Ex hoc enim potest eis poni unum nomen commune communitate talis univocationis quae sufficere videtur ad unitatem generis logici, licet maior sit univocatio illius nominis, ut specialiter dicitur de entibus corruptibilibus, et potest illi nomini communi convenire respectu omnium unus modus praedicandi. Omnes enim substantiae habent unum modum praedicandi in quantum praedicantur non ut in subiecto existentes et hoc propter unum modum existendi. Veruntamen hic ⁴ modus existendi nequaquam arguere potest in eis esse rationem generis nisi supposita compositione ex actu et potentia ad eorum essentias pertinentibus. Quae quidem compositio quomodo intelligi debeat etiam in substantiis separatis ex praedictis patet. Et eundem modum intelligendi quantum ad substantias separatas videtur Proclus habuisse, prout patet secunda propositione, ubi dicitur quod omne quod participat ⁵ uno est unum et non unum; quia, ut ibi probatur, omne quod non est ipsum unum, id est primo unum quod est Deus quod est actus primus et purus, est aliquid aliud existens quam unum, eo quod a primo uno non est recedere nisi per accessum in non unum seu in aliquid aliud quam unum; quia omne participans uno non est ipsum unum sive primo unum, sed secundario et per quandam defectum et recessum ab eo. Ergo est unum et non unum, id est non sic unum quin aliquo modo multa, quia est unum uno modo et non unum alio modo. Est enim in entibus sicut in numeris quia, sicut non contingit recedere ab unitate nisi accedendo ad multitudinem et

cod. V
fol. 114 Rb

cod. P
fol. 110 Rb

cod. C
fol. 50 Vb

¹ in *add.* P. — ² communicare PC — ³ maneret V. — ⁴ hoc P. — ⁵ participat C

cod. P
fol. 110 Va

est recedere ab unitate plus et minus, sic in entibus non est | recedere a primo uno nisi accedendo in ea quae multitudinem habent ¹ secundum plus et minus et illa quae sunt magis universalia ² sunt diviniora et in ordine entium superiora. Contingit autem quantum ad aliqua entia perfecta, ut sunt angeli, recedere a primo uno absque multitudine plurium secundum rem essentiam eorum componentium per quae habeant potentialitatem et actualitatem; et hoc contingit in habendo naturam quodammodo median, non per compositionem, sed per assimilationem aliquam secundum unam naturam ad diversa, scilicet ad id quod est superius et actualius et ad id quod est inferius et potentialius. Sicut enim aer dicitur median naturam habere quodammodo inter grave et leve simpliciter, non secundum naturam compositam ex utraque, sed secundum unam simplicem quae respectu ignis levissimi dicitur gravis, respectu terrae gravissimae dicitur levis; ita etiam in natura angeli, recedendo ab actualitate primi et accedendo ad potentialitatem simpliciter habet quodammodo compositionem, non rei, sed rationis ex potentia et actu; non quidem fictae rationis, sed rei convenientem secundum comparisonem ad superius, sicut minus actualis et in hoc potentialioris et secundum comparisonem ad inferius sicut magis actualis. Hoc autem primo enti convenire non potest; et ideo, quamvis sibi competat modus essendi in se qui est modus substantiae, tamen sibi non competit ratio generis.

cod. V
fol. 114 Va

Cum igitur quaeritur utrum in angelis sit compositio ex genere et differentia dicendum quod sic, loquendo de genere logico; et hoc, quia in angelis est potentialitas | et actualitas secundum idem reale sub alia ratione ita quod semper prior species intelligitur determinari per id quod importat perfectionem actualiorem et simpliciozem quam id quo determinatur potentialitas in alio; unde omnes conveniunt in hoc quod est non esse actum purum et sic de se quandam potentialitatem in sua entitate important; | sed differunt in hoc quod diversis gradibus actualitatum et perfectionum secundum aliquem ordinem determinatur huiusmodi communis potentialitas in diversis; et sic, sicut in eis est intelligere compositionem ex actu et potentia, ita in eis est accipere compositionem generis et differentiae (1).

cod. P
fol. 110 Vb

Ad argumentum in oppositum est dicendum quod non videtur quod in separatis eo modo quo ponitur genus et differentia in eis quod quanto est species simplicior tanto est perfectior, immo e converso; alioquin, cum genus sit simplicius quam species, esset perfectius; quod est inconueniens, cum genus dicat quid potentiale et imperfectum et indeterminatum per ipsam differentiam quae dicit actualitatem determinativam | et perfectivam et ideo descendendo secun-

cod. C
fol. 51 Ra

¹ om. P. — ² uni alia P; un alia C. — ³ digniora O.

(1) Hic discordat Henricus et Godefridus, *in marg.*, alia m. C.

dum lineam praedicamentalem quanto aliquid simplicius tanto minus perfectum secundum processum proprium unicuique convenientem in suo latere. Unde, sicut in corporalibus per ordinem se habentibus simplex est imperfectius quam mixtum et mixtum quam vivum et sic de aliis, ita etiam in intelligentiis potest fieri adaptatio. Sed tamen in eis habere rationem maioris numeri et compositionis potest esse uno modo per modum compositionis realis; et sic esse compositius est imperfectius vel per modum unitiois et simplicitatis¹ realis, licet cum plurificatione secundum diversitatem rationis; et sic habere plura non est imperfectionis. Et secundum hoc,-- sicut Deus absque omni compositione potentialis et actualis, quae requiritur in illo quod potest poni in genere, continet plures perfectiones unite tamen, ita intelligentia sibi proxima ex genere et differentia composita modo exposito plures perfectiones continet quam secunda et sic potest intelligi minus simplex secundum unam considerationem prima intelligentia quam secunda in quantum quicquid continet secunda perfectionis et actualitatis continet prima et amplius in uno tamen simplici secundum rem et secundum hoc quodammodo plures differentias complectitur,--posset etiam dici quod dupliciter potest sumi processus rerum: vel secundum | recessum a primo actu; et qui sic imaginantur (1) processum rerum dicunt quod entia simpliciora sunt perfectiora; vel secundum recessum² a prima potentia; et qui sic imaginantur (2) processum rerum dicunt rem quanto compositiorem tanto perfectiorem; et utrobique semper species est perfectior quam genus, licet genus dicat rem sub ratione magis simplici. Sed, quia in incorruptilibus non est sic genus proprie sicut in corruptilibus, ut prius dictum est, eo quod in incorruptilibus non est aliquid unum secundum rem potentiale in quo omnia conveniunt habentia inter se differentias per suas formas speciales secundum diversos gradus dignitatum et actualitatum illam unam potentialitatem perficientes sicut contingit in materialibus, ideo non potest esse processus similis secundum lineam praedicamentalem per divisionem generis suis differentiis in species quantum ad hoc, scilicet quod uniformiter ultimo cadens sub divisione generis utrobique sit similiter perfectum vel imperfectum. Quia enim in corruptilibus sumitur ratio generis, ut dictum est, ab uno vere potentiali, ut perfectibile est per diversas formas ordinate, ideo processus qui habet fieri in illis fit secundum recessum a potentialitate illius³ per accessum ad actualitates diversarum formarum et perfectionum; et quia illud unum potentiale natum est perfici omnibus quodam ordine a prima usque ad ultimam, ideo illae formae sub quibus primo potest esse sunt imperfectiores et potentiales respectu posteriorum; et quia in ordina-

cod. P.
fol. 111 Ra

¹ simplicatis V. — ² a primo — recessum] *om.* P. — ³ et *add.* P.

(1) *In marg.* V: sicut Henricus de Gandavo. *Cfr. Quodl., VII q. 8 (t. II, fol. 262 R)*

(2) *In marg.* V: scilicet frater Aegidius

cod. V
fol. 114 Vb

tis illud quod est perfectius et actualius continet virtute et perfectione id perfectioris et actualitatis quod est in minus perfecto et ultra licet in re simpliciter, ideo, cum per differentias intelliguntur tales gradus perfectionum, patet quod in materialibus id quod continet plures differentias est perfectius eo quod continet pauciores; sed e contra, quia in incorruptibilibus non sic est aliquid unum perfectibile diversis formis secundum diversos gradus — nam enim illa essent corruptibilia et ad invicem transmutabilia — non potest sumi processus ex recessu

cod. P
fol. 111 Rb

ab aliqua vera potentitate ad veram actualitatem differentem; ergo oportet quod accipiatur secundum recessum ab aliqua vera actualitate secundum gradus diversarum et minus perfectarum actualitatum, quae quanto magis recedunt a prima actualitate tanto sunt imperfectiores et potentialiores et quodammodo compositiores, ita tamen quod quicquid perfectionis est in posteriori est etiam in priori et quodammodo amplius, sed magis unite. Sicut enim dicimus quod superiores et perfectiores intelligunt per pauciores species quam inferiores et Deus quasi per unam, ita etiam potest dici quod superiores continent pauciores differentias quam inferiores et in hac divisione et in illa semper ultimo cadens sub divisione plures habet differentias et est compositus.

cod. C
fol. 111 Rb

Sed in una parte illud ultimum cum pluribus differentis est imperfectius et in alia parte ultimum cum pluribus differentis est perfectius, et hoc propter dissimilitudinem processuum quorum unus est recedendo a potentialitate, alius vero recedendo ab actualitate.

Verumtamen, quamvis talis modus procedendi in angelis circa genus angelorum sit conveniens ex parte rei secundum se et secundum eorum realem existentiam, non tamen videtur conveniens secundum considerationem secundum quam in eis ponitur genus; nam, sicut de ratione generis in communi est¹ quod dicat aliquid sub ratione minus perfecta, eo quod sub ratione magis potentiali et determinabili quam species, ita etiam in linea praedicamentali videtur esse de ratione generis subalterni quod dicat quid perfectius quam generalius et quod species eius dicat quid perfectius quam species generis superioris. Ergo, sicut in materialibus fit processus generis secundum rationem verae potentiae quae una est secundum rem in omnibus ut sub ratione formae incompletissimae accipiatur primo et postea sub completiori forma, ita in angelis ubi non est potentialitas una secundum rem, sed secundum rationem debet procedi secundum processum lineae praedicamentalis secundum quod illa potentialitas accipitur ut quid unum secundum rationem vel conceptum determinabile per diversos gradus actualitatum vel differentiarum angelorum, et sic etiam fit huiusmodi processus per² recessum ab huiusmodi potentialitate non sic una existente secundum rem, sed secundum conceptum et rationem, sicut fit in

cod. P
fol. 111 Va

¹ haberet C. — ² compositus P. — imperfectius = est om. P. — generalius = quam] om. P. — sicut] om. C.

materialibus suo modo. Et hoc modo etiam debet dici quod, sicut angeli sunt in genere ¹, angelus superior et ² perfectior est plures habens differentias; magis tamen unitae sunt realiter, quia actualiores quam differentiae quae sunt in angelo imperfectiori et inferiori.

Patet igitur ³ quod illa propositio assumpta in argumento, scilicet quod ubi est compositio ex genere et differentia, quanto species habet plures differentias tanto est perfectior, est aliquo modo universaliter vera et aliquo modo non. Nam secundum quod secundum convenientiam aliquam rationis similiter ponuntur in genere omnes substantiae corruptibiles et incorruptibiles et secundum quod consimiliter in eis proceditur a genere in species, sicut in rebus corruptibilibus species habens plures differentias est perfectior, ita in rebus incorruptibilibus. Secundum igitur quod quid potentiale in omnibus commune intelligimus ut unum secundum rationem intelligendi rationem ⁴ generis omnibus convenire intelligimus; sed secundum quod illud distincte in diversis accipimus rationem generis subalterni vel speciei capimus ita quod si accipiamus ipsum distincte secundum perfectionem generalem ipsum determinantem, tunc consideratur sub ratione generis subalterni; sed, si accipiatur distincte secundum perfectionem distinguentem in speciali, tunc accipitur sub ratione speciei. Ex quo patet quod secundum processum competentem rationi cuius proprium est a communibus ad propria descendere et ab imperfecto ad perfectum, quod indifferenter verificatur dicta propositio tam in materialibus quam in immaterialibus. Secus tamen est secundum processum rei secundum quem in materialibus res incipit ab imperfecto et tendit in perfectum ordine generationis. Sed in immaterialibus ubi talis progressus non potest esse, quia non sunt generabilia nec producibilia in esse ex aliquo potenciali reali, solum est processus secundum ordinem perfectionis per recessum a prima perfectione; in quo processu quanto aliquid est prius tanto est perfectius.

cod. V
fol. 115 Ra

cod. P
fol. 111 Va

Ad argumenta in corpore quaestionis inducta quae ostendunt angelos non esse in genere facile secundum iam dicta est respondere; quia, licet non sint in eis conceptus distincti sic quod aliquid in separatis apprehendatur sub aliquo conceptu ⁵ communi qui accipiatur ⁶ ex hoc quod aliquid reale commune in eis inveniatur et deinde sub conceptu alio speciali, sicut contingit in illis in quibus est genus reale et naturale, est tamen in eis aliquis conceptus communis unus sumptus, non a tali uno reali, sed ab aliqua unitate secundum modum existendi repertum in separatis et materialibus; ex quo sumitur conceptus unus non unitate sic analogica sicut est unitas entis, sed unitate univoca tali quae sufficit ad rationem generis logici; et per hoc potest responderi tam ad auctoritates quam ad rationes superius inductas ad ostendendum quod non sunt in genere.

cod. C
fol. 51 Va

¹ et add. C. — ² om. PC. — ³ ergo C. — ⁴ intelligendi rationem | om. P. — ⁵ accipiatur C.

QUAESTIO VIII.

*Utrum esse omnium sempiternorum sive angelorum
mensuretur una mensura.*

Consequenter ad secundum praedictorum sic proceditur et arguitur quod esse omnium aeviternorum mensuretur una mensura, quia esse omnium temporalium sive transmutabilium mensuratur una mensura, scilicet uno tempore quod est mensura primi transmutabilis, scilicet caeli; ergo esse omnium aeviternorum mensuratur una mensura, scilicet aevi quod est mensura primi aeviterni sive perfectissimi angeli.

Contra. Eius mensura esse unius est mensura esse alterius, cum unum illorum habet causalitatem super aliud et esse unius ab altero dependet, sicut patet in transmutabilibus; sed esse unius aeviterni non dependet ab alio sive ab esse alterius, cum unum super aliud causalitatem non habeat; ergo et cetera.

Respondetur: circa hoc est considerandum quod, sicut per tempus intelligimus mensuram successivam rei cuius esse in successione secundum prius et posterius consistit, qualis est motus, ita per aevum intelligimus mensuram indivisibilem et totam sine successione simul entem rei cuius esse est totum simul, quod tamen est defectibile et potens desinere esse ratione suae potentialitatis qua non est actus purus, sed ab illo ut a causa efficiente et quasi conservante in sua entitate omnino dependet; unde aevum est mensura aeviterni quoad suum modum existendi in simultate quadam defectibili. Tamen, sicut aeternitas est mensura Dei quoad suum modum existendi in simultate absque omni defectibilitate et quia hoc est de ratione mensurae quod sit aliquid in actu quo aliquid natum est cognosci in modo suae entitatis vel durationis, et quia mensura debet habere rationem unitatis et simplicitatis et hoc in tali modo perfectionis quod per eam possint omnia mensurata secundum suos gradus in esse vel duratione comprehendi, sicut Deus est mensura omnium universalis, quia est perfectissimum universaliter quo nihil perfectius esse posset et sic ratione suae omnimode et universaliter perfectionis rationem mesurandi omnia continet, ita videtur quod id quod debet esse mensura entium in aliquo genere determinato debet comprehendere in se virtute perfectiones omnes in illo

cod. P.
fol. 112 Ra

¹ unum C. — ² simultate C. — ³ in *add.* C.

genere possibles et sic debet esse perfectissimum quod natum est esse in illo genere. Unde, si albedo in se non comprehenderet lucem, quae est de ratione et perfectione coloris secundum modum perfectissimum qui natus est esse in genere colorum, non diceretur mensura colorum. cod. V
fol. 115 R^b

Et, sicut etiam si in rerum natura et in actu non esset albedo, nullus alius color esset mensura aliorum, ita etiam videtur quod si esset possibilis simplicior, uniformior et perfectior motus quam sit motus primi orbis, nec ipse nec tempus quo mensuratur esset mensura aliorum motuum. Et ita etiam videtur quod,— cum, secundum quod ab aliquibus dicitur, non sit status in perfectionibus substantiarum separatarum propter infinitam distantiam earum ad perfectionem divinam infinitam, ita quod, quaecumque posita quantumque perfecte accedente ad assimilationem¹ divinae perfectionis, | potest esse perfectior et sic in infinitum, et nunquam erit aliqua simpliciter² infinita, — non potest poni aliqua substantia separata mensura specierum omnium substantiarum separatarum. Et sic videtur dicendum quod non sit ponere aliquod unum aevum quod possit dici mensura esse omnium aeviternorum. Sed, quamvis secundum ista verum esset quod non posset | esse aliquid unum quod esset mensura esse omnium aeviternorum possibilium, esse hoc tamen non impedit quin possit esse aliquid unum mensura omnium existentium. Quia enim non est certum utrum posset esse motus simpliciter perfectior primo motu — quia, sicut non est certum de statu perfectionum in separatis, ita etiam nec de statu perfectionum in omnibus corporalibus, quin scilicet Deus posset facere vel fecisse mundum perfectiora corpora continentem, — quia tamen supponendum est quod universum quod nunc est Deus modo convenientiori et perfectiori instituit qui sibi secundum cursum communem competere potest, ideo quicquid sit de hoc utrum possibilis sit aliquis motus perfectior in hoc mundo motu primi orbis, etiam rebus quae nunc sunt remanentibus, quantum est de potentia Dei absoluta, quia tamen supponitur quod secundum cursum convenientem a Deo huic mundo praestitutum non est perfectior, dicitur quod motus primi mobilis et tempus³ quod est mensura eius est mensura omnium motuum aliorum. Unde ita etiam potest convenienter dici circa angelos sive substantias separatas; et ideo illo dicto non obstante adhuc videtur quod, sicut ponitur una mensura omnium temporalium quae tempus dicitur, ita poterit poni una mensura quae aevum dicitur omnium aeviternorum. cod. P
fol. 112 R^b

Sed videtur aliud obstare, scilicet quod motus primi mobilis habet causalitatem super omnes alios motus qui in suo esse ab illo dependent; non sic autem esse unius aeviterni habet causalitatem super esse alterius. Sed hoc non videtur impedire, quia non debet intelligi causalitas dicta in genere causae efficientis proprie dictae solum; nam sufficit quod illud quod debet esse men-

¹ similationem P. — ² supra *l. m.* C. — ³ temporis C.

cod. P
fol. 112 Va

ura aliorum sit quid simplicius et perfectius sive actualius, ita quod virtute contineat quasi unte quicquid alia continent secundum diversos gradus et divisim, ut patet in albedine respectu omnium colorum et tamen non habet causalitatem super illos dicto modo.

cod. V
fol. 115 Va

Nec videtur valere quod dicitur respondendo ad hanc instantiam de albedine, sic scilicet quod ratio causalitatis secundum genus causae efficientis per se facit ad hoc quod mensura alicuius possit esse mensura aliorum quantum ad durationem; sic autem non est albedo mensura aliorum colorum, sed dicitur mensura cognitionis entitatis et veritatis eorum. Haec, inquam, responsio non valet; quia, si esse albedinis et aliorum colorum consisteret in quodam fieri et successione et haberet illud esse in fieri vel successione colorum esse in subiecto secundum modum et condicionem naturae et perfectionis ipsorum, quomocumque agens vel subiectum se haberet, sicut illud naturae et essentiae quod esset in albedine esset mensura aliorum colorum quantum ad cognitionem entitatis et veritatis eorum, ita etiam illud quod esset mensura fieri et durationis illius albedinis esset mensura durationis aliorum. Sicut ergo ex acceptione et numeratione prioris et posterioris in primo motu et simplicissimo in quo videtur consistere ratio temporis quod dicitur numerus prioris et posterioris, in primo motu contingit secundum quandam attributionem et applicationem aliorum motuum accipi in eis prius et posterius et illa prius et posterius numerare et mensurare per naturam prioris et posterioris in primo motu; ita in proposito videtur. Sicut etiam mensura alicuius motus et durationis eius non differunt secundum rem et essentiam sicut motus et fieri, motus sive duratio motus in suo esse quod est fieri quoddam non differunt, ita etiam mensura esse angeli et durationis eius in illo suo esse realiter non differunt; et ideo illud quod est mensura esse illius est etiam mensura durationis eius. Cum igitur ordo sit in angelis, sicut natura et esse primi potest aliquo modo esse mensura aliorum, ita etiam illud quod est mensura quasi intrinseca esse primi angeli, potest etiam esse mensura quasi extrinseca esse omnium aliorum; et sic potest dici quod unum aevum est mensura omnium aeviternorum. Cum enim aevum realiter non differat ab esse quantum ad illud quod ei convenit de realitate extra, si esse unius est mensura alterius, aevum unius est mensurans esse alterius. Nunc autem non videtur posse negari quin natura unius aeviterni ratione suae perfectionis sit mensura alterius minus perfecti. Sed, si quodlibet habeat proprium aevum, cum unum etiam sit perfectius altero, aevum unius angeli erit mensura aevorum aliorum angelorum.

cod. P
fol. 112 Vb

cod. C
fol. 32 R^a

Quod concedunt aliqui, negantes tamen quod unum aevum sit mensura esse alienius alterius angeli propter defectum causalitatis. Et, quia secundum

¹ secundum P. = s hms P. = et simplicissimo = motu. om. P. = t hms P. = t na = differunt) om. P. = t extrinseca P. = t primi angeli = esse) om. P.

aliam rationem mensurandi mensurat unum aevum¹, aliud scilicet secundum rationem veritatis, entitatis et perfectionis eius, aevum autem mensurat angelum sive esse eius secundum rationem durationis eius et alia est ratio mensurandi sic et sic, ideo dicitur quod, licet unum aevum mensuret aliud per se, non tamen sequitur etiam quod per accidens aevum mensurans aliud aevum mensuret aeviternum mensuratum ab aevo mensurato. Sed hoc videtur inconveniens quantum ad utrumque, quia, ut ostendam, unum aevum non potest mensurare aliud; et si natura unius angeli sit mensura respectu alterius, patebit, ut ostendam, quod mensura esse vel durationis unius sit mensura esse vel durationis alterius. Et haec patent, quia mensura non est proprie mensura mensurae, sicut numerus unus non est mensura numerans alium numerum. Similiter etiam tempus unum non potest dici mensura alterius temporis. Sicut ergo per se loquendo tempus non potest esse mensura nisi motus mobilis, ita nec aevum potest esse mensura nisi esse ipsius aeviterni. Dicere enim quod tempus sit mensura temporis est dicere quod idem sit mensura sui ipsius; unde dicere quod numerus prioris et posterioris in uno motu quod est tempus sit mensura non prioris et posterioris, sed numeri prioris et posterioris in alio motu quod est etiam tempus, hoc est dicere quod numerus numerat numerum; numerus enim non mensurat nisi numerando. Ponatur ergo quod numerus prioris et posterioris in motu caeli accipiatur secundum distantiam a prima usque ad tertiam; item, numerus prioris et posterioris alterius motus proportionatus isti accipiatur etiam secundum distantiam a prima ad tertiam; ergo distantia a prima ad tertiam est mensura distantiae a prima ad tertiam, quod est inconveniens; nihil ergo est dictum quod tempus mensuret tempus. Quia ergo tempus non est nisi prius et posterius numerata in motu sive numerus prioris et posterioris in motu, si ergo numerus prioris et posterioris in motu uno est mensura prioris et posterioris numeratorum in aliquo alio motu, hoc non est aliud quam tempus quod est primo et per se mensura intrinseca unius. Motus est ex consequenti mensura extrinseca cuiuslibet alterius motus cuius quantum ad suum prius et posterius prius motus per suum prius et posterius potest esse mensura. Ita etiam in aevo debet adaptari quod nihil est dictum quod aevum sit mensura alterius aevi et non alterius aeviterni. Verum est tamen quod mensura magis unigena aliquo modo esset aevum primi angeli esse aliorum angelorum si esse unius causalitatem haberet super alterum, quia haberet causalitatem secundum duplex genus causae, scilicet efficientis et formalis. Prima tamen ratio sufficit ad rationem mensurae simpliciter qua ponitur ordo essentialis inter ipsa secundum genus causae formalis propter diversos gradus perfectionum et ex hoc etiam quodammodo diversus ordo ipsorum ad unam causam omnium effectivam.

cod. P
fol. 113 Ra

cod. V
fol. 115 Vb

¹ sic mensura — aevum] *bis* P. — ' si — in motu] *om.* P.

Et per hoc patet responsio ad argumentum in contrarium; quia, licet tempus non esset mensura omnium motuum nisi haberet rationem causalitatis effectivae super eos, non tamen ponitur habere rationem mensurandi praecise ex ratione causae efficientis, sed potius ex ratione causae formalis quam ratione ordinis corporalium et dependentiae eorum ab invicem consequitur etiam ratio causalitatis effectivae. Quod non contingit in angelis secundum genus causae efficientis propter separationem eorum a materia; propter quod non potest aliquid habere causalitatem secundum genus causae efficientis super eos nisi quod in sua actione materiam non praesupponit, scilicet Deus omnipotens. Sed in eis reservatur id quod per se requiritur generaliter ad rationem mensurae, scilicet ordo in ratione causae formalis et perfectionis et cetera. Cum enim de ratione mensurae sit ut sit principium cognoscendi mensuratum, principium autem cognoscendi est actus et forma, ideo mensura; unde mensura non importat rationem causae efficientis sed formae tantum, licet coexigatur in aliquibus etiam ratio causae efficientis; et ideo, licet motus primus cuius mensura est tempus sit causa efficiens respectu aliorum motuum, ex hoc per se non habet rationem mensurae respectu aliorum, nec ex hoc per se est quod tempus quo primo mensuratur primus motus sit mensura aliorum motuum. Immo ex hoc quod est quod simplicius, perfectius, uniformius et actualius, sicut patet per Philosophum, sicut si ea quae mesurantur numero aliquo discreto essent sic ordinata quod unum esset quod perfectius et actualius et simplicius respectu aliorum et essent inter ipsa gradus essentialis secundum perfectiones et actualitates, numerus esset primo et per se mensura primi et perfectius numerabilis et per illud omnium aliorum numerabilium. Nunc autem non est ita; nam in esse numerabili omnia numerabilia aequaliter se habent; nam, licet homo sit ens nobilior asino, non tamen in ratione numerabilis, quia numeratur secundum divisionem quantitatis quae eiusdem rationis est in homine et equo. Et ideo unus est numerus secundum rationem abstractam qui non est passio aliquorum numerorum determinate, sed per indifferentiam se habens ad omnia numerata. Sed, quia in motibus est aliquid unum perfectius et simplicius, ideo cum prius et posterius numerentur in omnibus motibus, numerus ille erit unus et erit quasi passio primi motus et illo omnes alii numerabuntur. Unde similiter in aeviternis; quia est ordo inter ea secundum gradus et perfectionum essentialium et quodlibet eorum mensuratur aevo secundum suum proprium esse, necesse est quod uno aevo mesurante aeviternum simplicissimum et perfectissimum, mesurentur omnia aeviterna, quia in esse aeviterno non aequaliter se habent, sed gradatim secundum ordinem essentialium in ipsis aeviternis.

cod. P.
fol. 113 R^b

cod. C.
fol. 52 R^b

cod. P.
fol. 113 Va

¹ sed formalis = efficientis; *om.* P. — ² numerabilis C.

QUAESTIO IX.

*Utrum intellectus humanus antequam actu intelligat sit talis res
vel natura quod sit secundum se intelligibilis.*

Post hoc circa naturam humanam quaerebantur quaedam pertinentia ad omnes homines generaliter, quaedam pertinentia ad quosdam homines specialiter. Circa primum quaerebantur quaedam pertinentia ad ipsam naturam vel essentiam hominis, et hoc quantum ad id quod pertinet ad ipsam animam quae est substantialis hominis forma, quaedam pertinentia ad ea quae sunt nata ipsi animae accidentaliter vel extrinsecus convenire. Circa primum horum quaerebatur unum, scilicet utrum intellectus humanus, antequam actu intelligat, sit talis res vel natura quod sit secundum se intelligibilis. Et arguitur quod sic ; †
quia illud in quo invenitur ratio primi intelligibilis sive prima ratio intelligendi est intelligibile. Sed in ipso intellectu, etiam antequam intelligat, invenitur ratio primi intelligibilis sive prima ratio intelligendi ; ergo et cetera. Maior patet. Minor declaratur, quia secundum Avicennam, prima ratio intelligendi est ens, sive ens secundum quod est † ens est primum intelligibile. Sed ratio entitatis invenitur in ipso intellectu, etiam antequam intelligat, nam ipsa anima intellectiva non solum est ens quod sit pura potentia sicut materia, sed ens actuale, quia est forma specifica hominis ; quare et cetera.

cod. V
fol. 119 Ra

Contrarium videtur dicere Philosophus et Commentator, tertio de Anima.

Responsio †. Circa hoc est intelligendum quod, cum obiectum intellectus sit ens secundum quod sua actualitate potest esse motivum et informativum intellectus, quicquid est actu ens per se, vel quia est forma et actus simplex per se subsistens, † vel quia, licet † in se contineat ens secundum potentiam sive potentiale, illud tamen est perfectum per actum simpliciter quo totum compositum est ens simpliciter et per se in actu ; omne, inquam, tale potest esse actu intelligibile, nisi forte per accidens, in quantum scilicet secundum esse quod habet in rebus, non existit nisi contractum et determinatum accidentibus designativis, quae non sunt per se obiecta secundum talem modum essendi intellectus. Talia autem sunt omnia singularia materialia secundum esse quod habent ut determinata per hic † et nunc ; ut sic enim sunt obiecta solum sensus,

cod. P
fol. 113 Vr

† om. PC. — † respondeo P. — † quia licet] quodlibet PC. — † hoc PC.

cod. C,
fol. 52 Va

et ideo ut sic non possunt esse per se obiectum intellectus, quia illud quod est per se obiectum alicuius virtutis apprehensivae sensitivae et organicae non potest esse per se obiectum virtutis apprehensivae alterius rationis, quae scilicet est abstracta non utens organo. Illa tamen natura quae sic existit particulariter et divisa secundum tales condiciones accidentales, quia vere est ens in actu aut verum actum importans, per abstractionem a talibus condicionibus virtute luminis intellectus agentis nata est intelligi et considerari ab intellectu secundum se absolute communi et universali apprehensione absque talibus condicionibus. Si ergo intellectus secundum se non sit aliquid intelligibile, aut hoc est quia secundum se nihil est in actu sed est pura potentia ad aliquid esse vel ad aliquem actum, vel quia est actus alicuius compositi perficiens materiam secundum esse particulatum et determinatum per condiciones materiales sive accidentales praedictas.

cod. P
fol. 111 Ra

Sed non videtur repugnare intelligibilitati propter hoc secundum dictum, quia per intellectum intelligimus ad praesens substantiam animae rationalis secundum quod in ea est potentia cognoscitiva quae dicitur intellectus. Nunc autem, ut probatur et a sanctis et a philosophis, ex eius operatione quae non determinat sibi aliquam partem organicam in corpore, oportet quod ipsa secundum suam essentiam sit natura sic immaterialis quod non dependeat in esse suo a materia, quia nec de potentia materiae extensae et determinatae per generationem compositi per se elucitur, nec etiam per corruptionem eiusdem compositi per se corrumpitur, nec in potentia materiae resolvitur; sed est quaedam natura sic abstracta ex se a materia et omnes formas materiales excedens et etiam naturaliter, id est absque miraculo, nata est per se existere sine omni materia, et in hoc cum substantiis separatis quas angelos dicimus conveniens, quamvis etiam cum hoc sic sit ad materiam habens habitudinem sive aliqualem dependentiam, quod nata est in ratione formae convenire ad constitutionem compositi perfecti. Ex quo contingit quod in suo esse separato quandam imperfectionem habet, cum pars perfectiorem modum essendi habeat in toto quam secundum se; in quo deficit a perfectione et actualitate aliarum substantiarum separatarum. Unde licet, perficiat materiam, tamen propter hoc non impeditur eius intelligibilitas; quia sicut in eius esse non dependet a materia, ita nec in eius cognoscibilitate.

cod. V
fol. 116 Rb

Et ideo restat inquirendum utrum hoc ei repugnet propter primum, et videtur quod sic. Quia, cum sint duo genera entium, scilicet materialia quae et¹ sensibilia dicuntur, et immaterialia quae intelligibilia vocantur, sicut in genere materialium est aliquid ens infirmum nihil actualitatis importans, sicut materia prima quae dicitur pure potentia in genere substantiarum compositarum sive

¹ virtutis — obiectum *om. 1^a m. V.* — ² est abstracta] abstracta est C. — ³ praesens *add. marg. 2^a m. C.* — ⁴ etiam P.

materialium, — ita videtur quod debeat esse in genere substantiarum intellectualium. Sed illud quod in finem gradum entitatis tenet in genere intellectualium est natura animae rationalis. Ergo ipsa nihil actualitatis importat, sed est pura potentia in illo genere. Et hoc videtur aliquibus (1) propter auctoritatem Philosophi et Commentatoris in tertio de Anima, ubi dicitur quod intellectus nihil est eorum quae sunt ante intelligere. Et hoc arguitur ratione quia, si ¹ intellectus secundum se sit aliquid intelligibile in actu antequam alia intelligat, — cum, ut dictum est, sit res separata a materia dicto modo, — ergo se ipsam et per consequens alias res immateriales intelligeret antequam alia intelligeret; quod non videtur, quia intelligere est ipsius totius coniuncti. Nos etiam talem actum in nobis non percipimus, immo nec ipsum nostrum | intellectum nec alia etiam separata intelligere possumus, nisi prius materialia per phantasmata intelligamus. Item, arguit Commentator sic: recipiens debet ² esse totaliter denudatum ³ a natura recepti, alioquin idem reciperet se ipsum. Sed intellectus est receptibilis secundum actum intelligendi omnium formarum intelligibilium. Ergo ab omnibus debet esse denudatus.

cod. P
fol. 114 R^b

Sed ista non valent. Non enim potest intelligi in natura entis ⁴ quod aliquid habeat rationem purae potentiae nisi unum solum, sicut nec potest intelligi quod aliquid habeat rationem ⁵ actus puri nisi unum. Nam, cum solus actus et forma distinguat, in eo quod omnem rationem ⁶ actus et formae excludit, nulla potest intelligi distinctio, prout est alibi ⁷ declaratum. Ergo patet quod intellectus non potest importare entitatem quae sit pura potentia, quia tunc non differret realiter a substantia materiae primae, et sic perficeretur substantialiter et non intentionaliter per formas materiales.

Praeterea ⁸, cum intellectus sit forma et perfectio nobilioris naturae, scilicet humanae, et perfectiones aliarum specierum entis non sunt purae potentiae, sed actus simpliciter, quia dant esse simpliciter — pura enim potentia cum pura potentia non facit compositum esse in actu — et essent intelligibiles de se nisi impedirent condiciones materiales; multo magis hoc debet poni de anima humana; quare manifestum est quod intellectus, prout de ipso loquimur, non potest esse potentia simpliciter, sed est actus simpliciter.

cod. C
fol. 52 V^b

Nec valet simile, immo magis est ad oppositum. Nam verum est quod, sicut est aliquid potentiale materiale, immo quod est vere et solum potentia et materia nullo modo actus respectu formarum materialium secundum esse materiale et perfectibile per eas, ita etiam est aliquid potentiale respectu formarum intelli-

¹ om. 1^a m. V. — ² dicitur P. — ³ denudatus PC, et 1^a m. V. — ⁴ in — entis] om. P. — ⁵ purae — rationem] om. P. — ⁶ materiam C. — ⁷ est alibi] alibi est PC. — ⁸ propterea C.

(1) Cf. Sutton, *Quaestiones ordinariae*, q. 21 (ms. Merton coll. Oxoniensis, n. 138): *utrum intellectus animae nostrae qui dicitur possibilis sit de se intelligibilis*.

bilium, id est respectu formarum materialium sub ratione intelligibilis et universalis considerabilium, et sic secundum esse intelligibile illud potentiale percipientium. Sed, prout arguit Commentator, illud quod est in potentia ad omnes intentiones universalium formarum materialium et recipit formas universales et non singulares, est natura cognoscens et formas ipsas distinguens. Materia autem | est receptiva formarum materialium singularium, et particulariter, propter quod eas non cognoscit. Ergo natura intellectus non est natura purae materiae, nec est pura potentia; sed oportet quod sit sic in actu realiter et substantialiter secundum se, quod etiam sit in potentia receptiva formarum materialium secundum esse intelligibile, id est secundum rationem universalis et abstracti.

cod. P
fol. 114 Va

Descendendo igitur et applicando ad propositum est intelligendum quod, quamvis intellectus sit natura sic abstracta quod natus est per se existere sine materia, et cum hoc etiam sic sit materialis quod perficiendo materiam natus est constituere compositum perfectum quod est homo, possumus loqui de intellectu secundum hunc duplicem modum essendi diversimode.

Nam loquendo de ipso secundum primam eius considerationem, sic est quaedam substantia separata et quoddam suppositum, id est quoddam secundum se existens et subsistens, licet non habeat perfecte rationem suppositi et personae. Et sic est dicendum quod etiam est intelligibile quoddam de se, eo quod est actus non limitatus nec contractus secundum condiciones materiales supra-dictas, et est intelligibilis ab aliis substantiis separatis et a se ipso et natus intelligere alias substantias separatas¹, sicut aliae substantiae separatae, scilicet angeli nati sunt intelligere se et alia separata, licet imperfectiori modo haec conveniant animae separatae quam angelis, quia est quid imperfectissimum in genere intellectualis naturae.

cod. V
fol. 116 Va

Loquendo autem de ipsa secundo modo, quia ut sic est pars cuiusdam compositi cuius est per se elicere operationes modo convenienti sibi, distinguendum est, quia istud compositum potest considerari ut continet quantum ad alteram partem corpus animale et corruptibile animae non omnino et perfecte obediens et subiectum, sed aliquo modo impediens ipsam, et hoc pro statu vitae praesentis; vel ut continet corpus spirituale et incorruptibile animae omnino perfecte obediens et ipsum nullo modo impediens, sed potius adiuvans.

cod. P
fol. 114 Vb

Loquendo de ipsa anima primo modo, cum ut sic sit perfectio corporis cuius adminiculo indiget in suis operationibus quae sunt totius coniuncti, ita quod corpus subiectum cooperetur animae in sua operatione, non quidem ut organum in quo exerceatur huiusmodi operatio, sed ut instrumentum aliquod necessarium ad hoc quod ei possit suum obiectum praesentari, sic non est nata intelligere primo et per se aliquid nisi adminiculo sensuum et phantasmatum;

¹ Et a se — separatas? om. C — tamen C

et ideo non est intelligibilis a se ipsa ut sic, nisi in quantum cadere potest aliquo modo sub phantasmate. Et quia non potest habere phantasma proprium¹, oportet quod mediante phantasmate alicuius formae materialis intelligatur, ut sic primo oporteat intelligi aliquod materiale sub ratione universalis; et sic, cum intellectus sit potentia abstracta potens reflecti super suum actum proprium et res per suum actum nata est cognosci et intelligi, ideo ut sic intellectus non est a se intelligibilis antequam aliquid aliud intelligat, sed per actum suum quo primo aliud intelligit potest etiam se ipsum intelligere. Et ideo etiam ut sic coniunctus est intellectus corpori² non potest substantias separatas intelligere secundum se, quia nec illae habent phantasmata; nec etiam actus intelligendi quem intellectus ex phantasmatibus habet est actus eorum proprius, sed est eorum actibus aliquo modo similis. Et ideo, licet se possit cognoscere per suum actum sibi sive suae naturae proprium, non tamen sic potest cognoscere separata, sed tantum per quandam analogiam et attributionem. Et haec quidem vera sunt loquendo de modo intelligendi quem habet intellectus ut coniunctus corpori animali et corruptibili et de actu intelligendi qui est totius coniuncti per se, sic quod et corpus ad hoc cooperatur phantasmata ministrando, et etiam sic sit subiectum illius actus quod totus homo sic per se intelligat quod actum illum et obiectum apprehendat.

cod. C
fol. 53 Ra

Sed quia, ut dicit Commentator, tertio de Anima et iam etiam declaratum est, intellectus est aliqua forma in actu et intelligit formas materiales, dignius videtur quod intelligat intellectum agentem et formas non materiales. Et ex hoc etiam potest argui, sicut videtur sentire Augustinus in libro de Trinitate in pluribus locis, scilicet decimo et decimo quarto: cum intellectus sit forma et actus et possit intelligere formas materiales et ab ipsa essentialiter differentes et distantes, cum etiam in patria homo totus compositus ex corpore et anima visurus et intellecturus sit alias substantias separatas quae non possunt intelligi per phantasmata, et hoc cognitione naturali qua dicuntur res cognosci non in verbo, sed in propria natura, et anima coniuncta sit eiusdem rationis cum est in corpore secundum vitam praesentem et futuram, et ipsa, prout dicit Augustinus, semper sit sibi praesens, immo praesentior quam aliqua alia natura, — videtur quod ipsa etiam secundum se sit intelligibilis a se ipsa etiam³ praeter hoc quod intelligatur per intellectum aliorum.

cod. P
fol. 115 Ra

Et ad hoc est⁴ intelligendum quod circa hoc videntur Commentator et Augustinus aliquo modo idem sentire et aliquo modo aliud. Nam Commentator videtur sentire quod intellectus noster, ut dictum est, prout noster est et prout nos ab initio per eum intelligimus, non intelligit se ipsum, nisi intelligat aliud; et per consequens patet quod nec potest intelligere ut sic substantias separatas,

cod. V
fol. 115 Va

¹ propria *cor.*, ² *m. C.* — ² per suum — cognoscere] *om. C.* — ³ *om. C.* — ⁴ et C.
⁵ est intelligendum] intelligendum est PC.

eo quod ut sic, ut scilicet noster est, et nos per eum intelligimus et nobis communicatur, non intelligit nisi mediantibus phantasmatibus; nunc autem intellectus non habet phantasmata nisi propter suam operationem quae est intelligere. Sed quia etiam intellectus noster est substantia dicto modo separata, secundum Commentatorem, semper intelligit se et intellectum agentem et alias substantias separatas; sed quia hoc non est per phantasmata, ideo tale intelligere non communicatur nobis quamdiu circa intellectum materialium per phantasmata occupamur, scientias diversorum scibilium acquirendo. Sed cum hoc ponit quod in postremo, scilicet quando omnino completa est generatio, intellectus qui est secundum habitum scientiarum dicitur haberi intellectus adeptus, et communicatur nobis etiam in hac vita mortali illud intelligere quod prius erat ipsius intellectus secundum se.

cod. P.
fol. 115 R^b

Augustinus autem videtur sentire quod anima, quia semper sibi praesens est, semper se intelligit. Tamen, quia secundum condicionem corporis animalis circa exteriora sensibilia occupatur, et etiam ex illis sumit anima cognitionem convenientem toti coniuncto, ideo dicit quod non semper se cogitat nec se discernit ab aliis, id est non se intelligit distincte in actu nisi per actum quo anima intelligit, id est de ipsa non communicatur nobis cognitio secundum cursum communem, nisi illa quam ex phantasmatibus habemus. Sed non exprimit quod illam perfectam cognitionem quam ponit Commentator in hac vita habere valeamus, sed illam in patria expectamus, cum iam non habebimus corpus animale sed spirituale, id est spiritui plene obediens et ad suas operationes aptum. Et secundum hoc videtur posse dici etiam, secundum Augustinum, quod intellectus corpori coniunctus aliquo modo est intelligibilis antequam intelligat aliqua naturalia, licet non communicetur nobis talis actus intelligendi in via. Vel Augustinus intelligit quod anima intelligit se semper, quia sibi semper praesto est, non referendo hoc ad actum secundum qui est intelligere in actu, sed ad actum primum qui est intelligere in habitu ex huiusmodi praesentia, quae tamen non sufficit secundum cursum vitae praesentis ad habendam cognitionem ipsius in se actualiter nisi praedicto modo.

cod. C.
fol. 53 R^b

Unde loquendo de anima secundo modo qui convenit ei pro statu beatitudinis, cum ut sic nullo modo a corpore impediatur ex modo intelligendi per phantasmata et ex occupatione circa illum modum intelligendi, quin possit etiam per se intelligere ea quae per se sunt intelligibilia, sicut ponit Commentator possibile esse in vita ista, quod tamen est falsum. — sic anima est intelligibilis a se et ab aliis et etiam alia separata sunt ei intelligibilia, non autem in vita praesenti quia, licet sit eiusdem rationis secundum essentiam, non tamen secundum essendi modum. Unde, sicut anima separata a corpore non potest habere illum modum intelligendi quem habet in corpore, ita etiam existens in

¹ om. PV. et P m. C. — ² insuper V. — ³ actu-in] om. P.

corpore animali non potest habere illum modum quem habet in corpore ¹ spirituali. cod. P
fol. 115 Va

Ad argumentum in oppositum est dicendum quod, cum dicit Aristoteles quod intellectus nullam habet naturam nisi hanc ² quod est possibilis, et quod nihil est in actu eorum quae sunt ante intelligere, respondet ad hoc Commentator quod intellectus est in potentia ad omnes formas materiales, et propter hoc non est aliqua forma materialis, nec ante intelligere habet aliquam de formis materialibus, quia intus apprensus prohiberet extraneum, et obstrueret ³ et sic intellectus nullam habet naturam de formis materialibus ⁴ nisi hanc ⁵ quod est possibilis, id est nisi hanc ⁶ quod est in potentia ad omnes formas materiales, et nihil est eorum quae sunt de formis materialibus ante intelligere, id est antequam eas intelligat. Et, quanquam non sit unum de genere entium materialium, est tamen unum entium de formis non mixtis et abstractis in actu existentibus. cod. V
fol. 117 Ra Unde passio et potentia intellectus possibilis respectu formarum materialium et ipsius materiae est multum aequivoce dicta, ut patet per dicta Commentatoris et Philosophi. Quod autem formae rerum materialium, secundum quod actu intellectae, sint sicut forma substantialis intellectus possibilis nullam formam de se habentis, sicut dicitur de materia respectu earundem formarum, et sic multotiens substantialiter generaretur et corrumperetur intellectus ⁷, est omnino ridiculosum. Unde non est intelligendum quod Philosophus, dicendo quod intellectus nullam habet naturam nisi hanc ⁸ quod est quid possibile vel aliquid consimile, voluit intelligi illud quod intellectus quaedam substantia sit quae est pura potentia recipiens esse substantiale in actu per formam intellectam, sicut forte aliqui opinantur ipsum intellexisse. Sed modo praedicto intelligenda sunt talia ⁹.

QUAESTIO X

Utrum quilibet possit salvari.

Consequenter circa naturam humanam quantum ad ea quae nata sunt et extrinsecus convenire quaerebantur quaedam pertinentia ad omnes homines generaliter, quaedam pertinentia ad quosdam homines specialiter. Circa horum primum quaerebantur quaedam pertinentia ad consecutionem finis ipsius hominis, quaedam pertinentia ad actus et habitus quibus ordinatur ad finem suum qui est Deus sine quibus etiam illum non attingit. cod. P
fol. 115 Vb

¹ ita — corpore] om. P. — ² habeat P. — ³ obstrueret P. — ⁴ om. P. — ⁵ habeat P. — ⁶ habeat P. — ⁷ quod add. 2^a m. C. — ⁸ habeat P. — ⁹ alia C.

Circa primum horum quaerebatur inquit, scilicet utrum quilibet possit salvari. Et arguitur quod non quilibet possit salvari, quia nullus praescitus potest salvari, alioquin posset divina praescientia falli; sed multi sunt praesciti; ergo multi homines non possunt salvari.

Contra. Et qui non potest aliquid consequi non est imputandum si illud non assequatur. Ergo, si aliquis homo non posset salvari, iniuste imputaretur et quod non salvaretur. Nunc autem cuilibet imputatur si non salvatur. Ergo quilibet potest salvari.

Respondeo dicendum quod ad hoc quod aliquis salvetur requiritur natura susceptibilis salutis et ad suam salutem modo convenienti cooperans et Deus illum principaliter efficiens¹ dando auxilium supernaturale sufficientis, eo quod ad hoc naturalia per se non sufficiunt. Si ergo consideretur subiectum salutis, scilicet homo secundum se et absolute et etiam causa principalis effectiva salutis, sic patet homo potest salvari, quia habet id quod est gratiae et virtutum susceptivum. Deus etiam habet potestatem illa cuilibet munendi. Si autem consideretur homo salvandus et Deus salvans secundum ordinem determinatum ad salutem consequendam secundum cursum communem, qui continet quod parvuli usum rationis non habentes et ad salutem suam cooperari non valentes illam a Deo non consequuntur secundum cursum communem omnino immediate, sed mediante quibusdam adiutoris exterioribus, scilicet mediante fide parentum in lege naturae et mediante quibusdam sacramentis in lege scripta veteri et nova, puta mediante circumcissione in populo israelitico tempore legis mosaicae

cod. C
fol. 13 V^a

quantum ad masculos et mediante bapuzismo in omni populo a tempore divulgationis Evangelii, sic omnes illi et soli parvuli possunt salvari a quibus possunt huiusmodi adiutoria applicari; et omnes salutem consequi si ita quos dicta adiutoria applicata existerint si intra² annos discretionis decesserint, quia habuerunt sufficienter id quod pertinet ad talem salutem.

cod. P
fol. 119 R^a

Dicitur ordo etiam quantum ad adultos continet quod etiam mediante sacramento gratiam et virtutes quibus salvamur³ a Deo non consequuntur nisi ad hoc aliquo modo se disponendo et consentiendo, quod tamen etiam non contingit nisi supposita quidam generali motione divina quam secundum cursum communem in omnibus efficit et paratus est efficere quantum in se est, licet a pluribus repellatur qui illam non assequuntur nec illi consentiunt vel inhaerent libertate arbitrii a illa divertendo. Continet etiam quod vel post adeptam gratiam perseverent in illa sine peccato vel quod si peccando illam amittant per aliud sacramentum poenitentiae illam recuperent ante mortem, ita quod in gratia mors illos inveniat, sive quod in gratia finaliter perseverent, et quia hoc est possibile in omnibus habentibus usum liberi arbitrii quod sic salutis adiutoria consequuntur. Nam per rationem et voluntatem, supposita dicta influentia divinae motionis quam Deus omnibus offert et quantum in se est facit in omnibus, possunt facere quod in se est et se disponere ad hoc quod Deus eis det gratiam et virtutes mediante dictis sacramentis corporaliter et actualiter susceptis cum adest facultas; vel mentaliter et in proposito quando non suppetit facultas. Vel forte si aliqui haberent ignorantiam de tali modo consequendi salutem, — cuius ignorantiae ipsi non essent causa nec esset eis imputanda et, quantum ductu naturalis rationis possent, se dirigerent ad id quod est conveniens salutis nec divinae motioni in influentiae gratiae obicem ponerent, — Deus, qui est liberalissimus et quantum in se est dat omnibus affluenter secundum ordinem suae sapientiae se disponentibus⁴, illis infunderet dona salutis prout suae congruit bonitati. Si autem sint aliqui adulti qui nec

cod. V
fol. 117 R^b

cod. P
fol. 119 R^b

¹ principaliter efficiens om. P. — ² salvantur *om.*; *et m.* V. — ³ perseverant P. — ⁴ potest C. — ⁵ dispositibus P., disponentibus C.

usum rationis habent nec per homines sacramenta suscipiunt, de eis est iudicandum sicut et de parvulis sine baptismo decedentibus ¹ quantum ad cursum communem, quia nec quantum ad istos nec quantum ad parvulos Deus suam potestatem sic sacramentis alligavit quin possit dona salutis prout sibi placuerit impertiri ². Sic ergo patet quomodo est dicendum quod quilibet homo potest salvari.

Ad argumentum in oppositum est dicendum quod verum est quod multi sunt praesciti ³, et illi non salvabuntur; tamen verum est simpliciter et absolute quod salvari possunt, quia nec Dei praescientia vel praedestinatio necessitatem simpliciter imponit salvandis vel dammandis. Unde non est vera ista: simpliciter praescitus non potest salvari; immo falsa, sed vera est cum reduplicatione sic: praescitus, in quantum praescitus et cetera.

Ad hoc ergo quod praescientia Dei non fallatur non oportet quod praescitus non possit salvari, sed solum quod non salvetur. Hoc tamen, scilicet quod non salvetur, simpliciter et absolute contingenter et ex libero arbitrio praesciti eveniet, et cetera.

QUAESTIO XI.

Utrum eadem cognitione cognoscatur de Deo si est et quid est.

Consequenter circa pertinentia ad actus et habitus quibus homo ordinatur ad consequendum finem, sine etiam quibus ipse finis non attingitur, quaerebantur quaedam pertinentia ad actus apprehensivae potentiae, quaedam pertinentia ad actus appetitivae. Circa primum quaerebatur unum, scilicet utrum eadem cognitione cognoscatur de Deo si est et quid est. Et arguitur quod sic; quia, sicut se habet aliquid ad entitatem, ita etiam ad veritatem et ad cognitionem. Sed eadem est veritas et entitas esse Dei et quidditas eius; quare et cetera.

Contra. Si eadem esset cognitio tunc, cum de Deo certitudinaliter sciatur si est, | de eo etiam sciretur certitudinaliter quid est. Consequens est falsum; ergo et cetera.

cod. C.
fol. 53 V^b

Respondeo. Circa hoc est primo intelligendum quid per cognitionem si est et quid est intelligere debemus; deinde quomodo diversimode de rebus | quibuscumque cognitionem habere possumus; tertio, quomodo has cognitiones ad Dei cognitionem applicare debemus.

cod. P.
fol. 116 V^a

Quantum ad primum est ⁴ intelligendum quod, cum quid est et quia est (quod aliquando accipitur pro si est) sint praecognitiones et etiam quaestio-

¹ discedentibus PC. — ² impertari PC. — ³ praescisi PC. — ⁴ om. C. — ⁵ sicut PC.

nes, prout patet per principium primi Posteriorum et secundi, hoc est aliter et aliter. Quia praescire vel cognoscere de aliquo quid est, ut est praecognitio, intelligitur notitia quae de significato nominis simpliciter et absolute habetur, non concipiendo an sit aliquid in rerum natura necne, sed solum quod est quid secundum apprehensionem intellectus; unde tale quid est dicitur quid nominis, id est scire quid per nomen significatur et est primum quod de aliquo cognoscitur praecedens omnem aliam cognitionem qua cognoscitur de re significata si est aliquid vel quid est in rerum natura. Prout enim dicitur secundo Posteriorum, significare est per nomen ea quae non sunt sicut ea quae sunt; et ideo hoc modo accipiendo quid est sic est praecognitio quod nullo modo potest esse quaestio, sed antecedit omnem quaestionem.

cod. V
fol. 117 Va

Quid est vero, prout refertur ad rerum essentias, quaestio est. Similiter, si est (vel quia est in quantum pro eo lem accipitur) potest esse praecognitio et quaestio, sed secundum diversas rationes. Nam supposita prima notitia qua cognoscitur de aliquo quid est nominis, potest ignorari an sit res et natura aliqua; et cum refertur ad ea quae sunt prima in esse respectu aliorum et quorum esse per alia priora, via scilicet ratiocinativa et discursiva intellectus, directe probari et manifestari non potest, sed per ea, cum nota sunt alia via, scilicet per simplicem apprehensionem ex sensu procedentem, possunt alia notificari,

cod. P
fol. 116 Vb

hoc modo si est proprie non est quaestio eo quod quaestio est proprie dubitabilis propositio quae potest per viam ratiocinativam et discursivam intellectus vel via demonstrativa vel via diffinitiva certificari et terminari in aliqua scientia; sed est praecognitio, quia est cognitio eius quod necesse est praecognoscere ad hoc¹ quod quaedam alia posteriora vel in esse vel in cognitione per illud² et de illo cognoscantur; puta: statim scito quid est quod dicitur per hoc nomen ens, scitur etiam quia est vel si est, prout scilicet statim apprehenditur, quod importat quandam unitatem analogiae; et scito quid est quod dicitur per nomen entis mobilis, statim scitur etiam quia est vel si est; et illa de quibus sic cognoscitur si est vel quia est sunt illa quae sunt subiecta primarum scientiarum.

Cum autem refertur ad ea quae non sunt sic prima in esse, quin esse eorum [possit] per alia vel priora in esse simpliciter et natura, vel saltem in esse cognito a nobis in quibus habent locum principaliter quae de praecognitionibus et quaestionibus traduntur³, possit probari et manifestari via ratiocinativa et discursiva sive inquisitiva, sic est quaestio simpliciter.

Sed, cum ordo sit in rebus a nobis cognoscibilibus, et per unum cognitum possimus in notitiam incogniti devenire, illud de quo cognoscitur si est vel quia est dicto modo per aliam viam⁴ ratiocinativam potest accipi ut praecognitum quoddam et cognitio eius si est ut praecognitio respectu aliorum de ipso vel circa ipsum sciendorum, ut illa quae probata sunt esse in una scientia possunt

¹ huiusmodi P; id C. — ² respondentur PC. — ³ via C.

esse subiecta in aliis scientiis in quibus cognitio habita de talibus in priori scientia habet rationem praecognitionis in alia.

Prout in unaquaque scientia de subiecto oportet praecognoscere si est vel quia est, quod quidem si est sive ut est praecognitio sive ut est quaestio vel ut importat notitiam quae habetur de esse subiecti vel rei alicuius vel secundum se absque discursu praedicto quod pertineret ad notitiam quae dicitur praecognitio vel ¹ ex discursu rationis dicto modo quod pertinet ad notitiam quae habetur de aliquo de quo prius quaerebatur et dubitabatur an esset, dicit notitiam rei quantum ad eius entitatem maxime confusam et indistinctam sub ratione etiam maxime communi sive entis sub unitate analogiae quam importat ens ad decem praedicamenta et prout | est unum subiectum metaphysicae ². Unde, cum scitur de aliquo quod est | aliquid in rerum natura et non solum secundum conceptionem vel imaginationem et fictionem unde scitur in generali vel communi quod est res quae est substantia vel accidens, sed cum praeter conceptum substantiae et accidentis non possit poni alius conceptus communior aliquo modo unus in quo possit sistere intellectus, nec intellectus potest scire de aliquo quod est ens sive quod habet esse in rerum natura sistendo in hoc confuso intellectu entis analogi, sed oportet quod intelligat illud esse ens determinate quod est substantia vel quod est accidens, tunc cognitio ³ si est est cognitio alicuius secundum rationem generis generalissimi, scilicet quod est substantia vel accidens, quod est quantitas vel qualitas. Cognitio autem qua cognoscitur de aliquo quid est rei est cognitio omnino determinata et perfecta rei secundum speciem continentem genus et differentias, et est illa cognitio per diffinitionem investigatam ⁴ via ratiocinativa, quae docetur secundo Posteriorum, ita, inquam, perfecta quod non remaneat locus quaestioni quid est, quod contingit quando completa est definitio per ultimam differentiam.

Ut autem ampliorem | intellectum habeamus illarum cognitionum si est et quid est, et quomodo se habent per ordinem ad invicem, est intelligendum quod quadruplex est rei cognitio, sicut etiam quadruplex est rei entitas sive unitas, scilicet numero, specie ⁵, genere, analogia sive proportione, secundum Philosophum, quinto Metaphysicae. Cognitio autem rei secundum proportionem et analogiam est secundum quod res habent identitatem analogiae et proportionis ad invicem; unde quorumcumque est analogia et proportio ad invicem unum ex alio secundum talem proportionem et similitudinem cognosci potest; unde cognitio secundum analogiam duplex est: una est secundum analogiam quae est unius entis ad aliud, quae non comprehenditur sub uno genere, propter quod nec de ipsis potest formari unus conceptus, sicut cognoscitur accidens in quantum est aliquid substantiae quae est primum et per se ens. Unde, ut dictum est, non concipitur | res aliqua conceptu aliquo communi sic quod post illum

cod. P
fol. 117 Ra
cod. C
fol. 54 Ra

cod. V
fol. 117 Vb

cod. P
fol. 117 Rb

¹ et *add.* P.; etiam *add.* C. — ² *om.* C. — ³ *cognitio* PC. — ⁴ *investigata* C. — ⁵ et *add.* PC.

concipiatur ut ens per se quod est substantia vel ut ens quod est dispositio substantiae; immo quicquid concipitur, sub ratione alicuius praedicati determinati concipitur.

Sed ultra hunc conceptum qui est alicuius sub ratione entis quod est substantia sive sub ratione entis quod est accidens, absolute est ponere alium conceptum alio modo determinatum et hoc secundum quandam analogiam quae non est ex habitudine unius entis ad aliud, sed etiam non entis ad ens. Propter quod non entia aliqua cum habent proportionem et attributionem ad entia, ut sunt figmenta et privationes vel etiam negationes, aliquo modo cognosci possunt. Propter quod dicit Philosophus quarto Metaphysicae, quod negationes praedicamentorum ad praedicamenta attributionem habent et ad ens et ideo non ens esse non ens dicimus. Et Avicenna dicit quod esse notius est quam non esse; esse enim cognoscitur per se, non esse vero cognoscitur per esse aliquo modo¹; non ens autem quod nullam similitudinem vel proportionem habet ad ens nullo modo conceptum in nobis facere potest, quia non ens in quantum huiusmodi nullum conceptum facit. Ex similitudine ergo entium possumus² formare conceptus non entium; nam ex conceptu auri et montis formamus conceptum aurei montis. Et ex tali proportionis cognitione quae est communis enti et non enti fit nomen inpositio. Qui enim talem ad minus cognitionem non habet non potest imponere nomen ad significandum.

Et ex hoc ulterius patet quod sicut ex rerum cognitione per analogiam et proportionem non oportet quod cognoscatur esse rei vel non esse, licet etiam res sit, ita non oportet quod qui intelligit quid significatur per nomen quod intelligat rem significatam per nomen esse vel non esse, quia nomen non imponitur rei enti vel non enti secundum quod huiusmodi, sed rei conceptae secundum quod huiusmodi³, quod est commune enti et non enti⁴, quia tam ens quam non ens potest concipi ex proportione et similitudine unius ad alterum. Unde, ex hoc quod concipitur mente quod profertur hoc nomine Deus vel quocumque alio, non sequitur Deum esse vel quodecumque aliud nisi in intellectu; nec oportet illud quod nomine significatur esse aliquid extra in rerum natura.

Hoc tamen non est sic intelligendum quod cognitio de aliquo si est includat quod illud sciatur esse sic in rerum natura quod existat extra in actu in propria forma et materia; immo sufficit quod habeat esse in rerum natura vel dicto modo in actu vel in potentia et in virtute suorum principiorum, prout rosa non existente in actu de ipsa scitur quod est aliquid in rerum natura, quia est vere flos et vere substantia in potentia; de chimera autem scitur quod non est aliquid in rerum natura, quia nec in actu nec in potentia et cetera. Unde ex hoc patet quod cognitio quid significat nomen separatur a cognitione

cod. C
fol. 54 Rb
cod. P
fol. 117 Va

¹ dicitur PC. — ² om. P. — ³ possumus C. — ⁴ sed — huiusmodi] om. P. — ⁵ et — enti] om. C. — ⁶ om. C.

si est, eo quod quid est nominis est commune enti et non enti. Et haec etiam cognitio in unaquaque re secundum rationem proportionis, quae est maxime confusa, est prima omnium cognitionum; post istam vero est cognitio rei si est. Cognitio¹ enim quid nominis de aliquo, statim quaeritur utrum sit ens, quod est quaerere utrum sit aliqua res et natura in illo genere entis quod per huiusmodi nomen significatur. Unde cognoscere aliquid si est proprie est cognoscere quid est illud, saltim sub ratione generis generalissimi; propter quod, sicut genus generalissimum pertinet ad quidditatem rei, ita cognitio si est pertinet ad cognitionem quid est. Unde dicit Aristoteles, secundo Posteriorum, quod cognitio si est est pars cognitionis eius quod quid est et quantum habemus de re si est tantum habemus de ea quid est; et haec cognitio si est sequitur cognitionem quid est nominis, sicut cognitio minus confusa magis confusam. Magis confusa enim sunt nobis semper magis manifesta et certa, ut dicit Philosophus, in primo Physicorum. Sicut ergo unitas generis sequitur unitatem analogiae, ita cognitio si est, quae est cognitio rei secundum rationem generis, sequitur cognitionem quid est | nominis sive quid significat nomen, quod est cognitio secundum rationem analogiae modo supradicto.

cod. V
fol. 118 Ra

cod. P
fol. 117 Vb

Et ex his ulterius patet quod cognitio quid est rei qua cognoscitur res complete et determinate secundum rationem speciei, et hoc est per rationem diffinitivam dicentem quid est res, sequitur alias duas cognitiones praedictas sicut magis determinata magis confusas; et sicut cognitio generis tanquam magis confusa praecedit cognitionem speciei magis determinatam, ita cognitio si est praecedit cognitionem quid est; et sicut cognitio speciei non potest esse sine cognitione generis, ita nec cognitio quid est sine cognitione si est. Unde dicitur, secundo Posteriorum: impossibile est scire quid est ignorantem si est, quia de eo quod non est non contingit scire quid est. Et sicut sciens quid significat nomen, quaerit si est, ita sciens si est quaerit quid est; et sicut cognitio quid significat nomen separatur a cognitione si est et non e converso, ita cognitio si est separatur a cognitione quid est et non e converso; quia communius et prius separatur a posteriori et specialiori et non e converso. Unitas autem et entitas proportionis analogiae est communior quam unitas generis, et unitas generis est communior quam unitas speciei, quia, ut dicit Philosophus, quinto Metaphysicae: quae sunt unum genere sunt unum proportionem et non e converso; et quae sunt unum specie sunt unum genere et non e converso. Ex his patet quod istae cognitiones, scilicet quid est nominis et si est et quid est sunt idem cum cognitionibus quibus cognoscitur aliquid vel secundum proportionem vel secundum genus vel secundum speciem. Nec sunt plures modi cognoscendi rem cum etiam omnis entitas et unitas reducat²ur ad illa.

Quarto modo entitatis et unitatis quae dicitur unitas numeralis sive qua

¹ cognitio PC. — ² inducatur *corr.* 2^a m. C.

dicitur aliquid unum numero non respondet aliquis modus cognitionis intellectivae de qua nunc loquimur, eo quod talia non sunt intelligibilia per se, sed sensibilia.

cod. P
fol. 118 R^a

Deinde est intelligendum quod duplex est modus cognoscendi res, unus quidem naturalis, scilicet per se immediate et quasi intuitive acceptus ab ipsis rebus secundum se, quemadmodum videre colorem dicitur cognitio naturalis; alius autem modus cognoscendi res est per inquisitionem et investigationem via ratiocinationis et discursus. Et, secundum Philosophum et Commentatorem, differentia est inter istas cognitiones, quia prima dicitur cognitio naturalis quae est modo sensus, quae non acquiritur per cognitionem praecedentem; secunda vero cognitio acquiritur ex aliqua cognitione praecedente, ita quod in omni tali cognitione oportet quod praecedat cognitio qua nobis sunt aliqua naturaliter nota et per quorum notitiam intellectus per inquisitionem et investigationem deveniat¹ in notitiam aliorum.

cod. C
fol. 54 V^a

Item, in cognitione naturali non contingit error et dubitatio, ut patet in cognitione sensitiva; haec autem contingunt in cognitione² intellectus quae fit per inquisitionem et investigationem. Item, in cognitione naturali ipsum cognitum per se et immediate et secundum modum secundum quem existit in propria natura movet ipsam potentiam cognitivam; et hoc naturaliter, ut patet in cognitione sensitiva. Sed in alia, cum ipsa intellecta non habeant per se esse secundum quod intelliguntur, sed per abstractionem agentis intellectus, non nisi mediantibus phantasmatibus movent intellectum.

De tertio articulo, scilicet quomodo haec duplex cognitio specialiter de Deo habetur est intelligendum quod de Deo potest a nobis haberi praedictus duplex modus cognoscendi, primus in gloria ubi cognoscitur cognitione immediate accepta³ ab ipsa essentia divina in se ipsa per simplicem intuitum absque aliqua investigatione et inquisitione; in quo modo nullus error potest contingere vel defectus; alius modus cognoscendi Deum est per inquisitionem et investigationem rationis dividendo et componendo, syllogizando etc., qui accipitur ex comparatione et proportionem aliqua aliorum ad ipsum et mediantibus phantasmatibus ex aliis rebus acceptis, propter quod in isto modo cognoscendi potest contingere error, quia sensibilia et materialia a quorum cognitione et mediantibus quorum phantasmatibus ascenditur ad cognitionem divinam habent defectivam et imperfectam habitudinem et proportionem ad divina.

cod. V
fol. 118 R^b

cod. P
fol. 118 R^b

Loquendo ergo de cognitione primo modo, dicendum est quod eadem cognitione cognoscitur de Deo si est et quid est; nam, cum Deus sit actus purus in simplici et actuali singularitate unius essentiae omnino secundum se indistincte et ab aliis distincte existens, et ideo nec illa natura prout in se ipsa cognoscitur nude⁴ et immediate potest intelligi sub ratione communi et indis-

¹ deveniant PC. — ² sensitiva — cognitione] om. C. — ³ accepte P. — ⁴ unde PC.

tineta sive universali determinabili per aliquid sub ratione formalis determinationis, sicut contingit in his quae sunt composita ex genere et differentia, ideo in se non potest intelligi nisi intellectui completo et determinato. Unde, secundum Philosophum et Commentatorem, separata a materia, quae etiam non ponebant proprie in genere, cognitione qua in se ipsis cognoscuntur non possunt cognosci per definitionem procedendo a confusa et indeterminata cognitione eorum ad determinatam secundum descensum generis in speciem per differentias, sed aut penitus ignoratur eorum substantia, sic scilicet quod de ipsis in se nihil cognoscitur, aut totaliter et perfecte mente attingitur. Et multo magis hoc secundum veritatem de Deo est tenendum et sic dicendum quod de Deo est eadem cognitio qua cognoscitur si est et quid est, non quia in eo sit idem esse essentiae ¹ et esse existentiae quod dicitur quidditas, sed referenda est utraque cognitio ad ipsam essentiam et naturam quae in sua entitate non est nata cognosci secundum aliquem conceptum generalem communem et confusum, sub ratione scilicet generis communis, deinde per specificationem actualium differentiarum sub ratione speciei determinatae entitatis et perfectionis.

Loquendo autem de cognitione Dei quoad modum cognoscendi secundum ², qui ³ habet locum in hominibus viatoribus, videtur aliquibus quod de Deo nullo modo possit haberi cognitio quod est. Nam dicit Damascenus, libro primo, capitulo secundo : quid est Dei substantia vel quid est Deus secundum substantiam ignoramus et dicere non possumus; incomprehensibile ⁴ hoc et omnino ignotum. Dicit enim quod incorporeum esse Deum et incorruptibilem et cetera huiusmodi, haec quid est Deus non significant ⁵, sed quid non est. Et capitulo quarto : quoniam quod ⁶ est manifestum est, quid autem est secundum substantiam et naturam incomprehensibile et ignotum est. Et Gregorius super Ezechiel : quantumcumque mens in contemplatione profecerit non ad id quod ipse est, sed ad aliquid quod sub ipso est pervenit ⁷. Et ideo aliqui videntur dicere quod solum de Deo scitur si est, loquendo non ⁸ de esse quo Deus in se ipso subsistit, sed de esse quod significat compositionem intellectus sive quod vera est propositio qua dicitur Deus est, quod quidem potest etiam sufficienter ⁹ ex divinis effectibus demonstrari. Sed, quia inquisitio et investigatio laboriosa philosophorum in philosophia et sanctorum in Sacra Scriptura circa acquisitionem cognitionis de Deo apparet non solum fuisse ad cognoscendum de Deo si est solum dicto modo, — patet enim quod non solum conati sunt inducere motiva ad probandum Deum esse sive quod illa propositio qua dicitur Deus est sit vera, — quin immo cum hoc certitudinaliter scitum est ex aliis ulterius quid est Deus

cod. P
fol. 118 Va

cod. C
fol. 54 Vb

¹ existentiae PC. — ² sed P. — ³ quia C. — ⁴ incomprehensibilem PC. — ⁵ significat V. — ⁶ quidem VPC. — ⁷ provenit PC. — ⁸ enim PC. — ⁹ etiam sufficienter] sufficienter etiam P, sufficienter C.

secundum rem per illos qui sollicitè studuerunt devenire in eius notitiam magis specialem, quod patet in his quae de Deo sancti et philosophi tractaverunt.

Item, de Deo non potest sciri ipsum esse isto modo, scilicet sciendo illam propositionem complexam dicentem quod Deus est esse veram, nisi sciendo etiam, licet modo incompleto, de Deo si est sive eius aliqualem entitatem. De eo enim de quo solum cognoscitur quid nominis sive quid dicitur per nomen, non scitur si est etiam complexum, id est quod propositio qua tale quid dicitur esse sit vera. Sciendo enim quid nomine *hircocervi*¹ dicitur, non scitur quid sit dicto | modo, scilicet quod ista propositio qua dicitur hircocervus est sit vera vel etiam falsa. Nunc autem de eo de quo contingit sciri si est, cum haec cognitio sit quodammodo pars cognitionis quid est, ut visum est, potest etiam sciri de illo quid est. Quare etiam scitur de Deo quid est.

cod. P
fol. 118 Va

Item, nullo modo cognosceremus quae de Deo negantur nisi aliquo modo cognosceremus quae de Deo affirmantur, quod est aliquo modo cognoscere quae ad eius naturam et quidditatem pertinent. Dicendum est ergo quod in via possimus aliquo modo cognoscere de Deo quid est quia, prout dicit Augustinus, de Orando Deum, ad probandum si omnino Deum quid sit nesciremus omnino eum non amaremus | nec etiam eum invocarem, ut dicit in principio Confessionum : quis te invocat nesciens te et cetera. Unde auctoritates quae videntur dicere contrarium sunt intelligendae sic quod non possumus | de Deo in vita ista scire quid est secundum se et immediate, scilicet sumendo cognitionem ex ipso secundum primum modum cognoscendi supradictum. Intelligendae enim sunt sic quod in via certitudinaliter et perfecte potest sciri si est et quod ista propositio vera est qua dicitur Deus est ; sed non potest certitudinaliter et perfecte sciri quid est. Minus enim sufficit ad sciendum si est quam ad sciendum quid est, sicut circa complexa minus sufficit ad sciendum quia est quam ad sciendum propter quid est. Et potest sciri de aliquo certitudinaliter quia est et ignorari propter quid est et cetera.

cod. V
fol. 118 Va

Ex praedictis autem patet quomodo se habent dictae cognitiones, scilicet ⁴ si est et quid est circa Deum quantum ad istum modum cognoscendi ipsum, quia ita videntur ⁵ se habere sicut circa alia, non propter ipsum Deum cognitum simpliciter et absolute, sicut contingit in creaturis, sed propter modum cognoscendi ipsum, ut sic scilicet ex proportione eius ad materialia et ex materialibus cognoscibilia. Propter quod, sicut in materialibus sive ex materialibus cognoscibilibus per investigationem et inquisitionem discursivam rationis primo est cognitio confusa magis, deinde minus confusa modo supra expo- | sito, ita etiam fit in Deo secundum dictum modum cognoscendi. Primo enim cognoscimus quid nominis de Deo ex aliqua proportione et habitudine ad materialia, puta

cod. P
fol. 116 Ra

¹ hircocervi. — ² quae de Deo] de Deo quae C. — ³ possumus C. — ⁴ om. C. — ⁵ videtur PC.
— ⁶ vere (?) C.

cum videamus quod in inferioribus sunt¹ aliquae causae principales respectu aliorum et unum ens regitur ab alio ut familia a patrefamilias, servus a domino, vel secundum aliquid huiusmodi; impositum est hoc nomen Deus ad significandum aliquid in universo quod sit una causa prima omnium et quo maius cogitari non possit, sed hoc cognito non cognoscitur statim si est² de ipso, id est quod illud quod hoc nomine significatur habea[n]t esse in rerum natura; sed solum ex huiusmodi cognitione cognoscitur quid est aliquid secundum conceptionem intellectus.

Per alia autem investigatur de ipso cognitio si est, prout ex hoc quod in motibus et motoribus non est procedere in infinitum, ut ostendit Philosophus in septimo Physicorum, ubi³ probatur unum esse motorem primum ex quo arguit Deum esse. Cognitio⁴ autem de Deo sic si est, adhuc non scitur de eo quid est. Sed ex eo quod motus primi mobilis est continuus et semper in actu, id est saltem natus est esse semper et continuari in actu per suum motorem, Philosophus, in octavo Physicorum ostendit primum motorem esse perpetuum et actum | purum absque omni potentia.

cod. C
fol. 55 Ra

Deinde, in libro Metaphysicae, accipiens et supponens si est de Deo, magis in speciali investigat et inquit quid est eius, ut patet per speciales et nobiles condiciones plures quas in ipso esse eminenter concludit, huiusmodi condicionibus quasi pro differentiis utens in processu a cognitione si est quasi secundum rationem generis confusam ad cognitionem quid est quasi secundum rationem speciei determinatam.

Quamvis autem circa materialia sic se habeant dictae cognitiones quod fiunt realiter secundum processum a genere ad speciem per differentias determinatas, prout etiam sunt vere in genere et sic utriusque⁵ modo cognoscendi respondet res ipsa secundum se, tamen, quia Deus nullo modo est in genere, talis diversa cognitio si est et quid est non est ponenda de Deo ex eo quod ei convenit | in se ipso secundum se, sed ex eo quod⁶ convenit ei in^o habitudine et proportione ad creaturas in quibus secundum talia applicata ei secundum supereminentiam et analogiam quod quid est de Deo cognoscitur. Unde, quantum est ex parte cognoscentis et tali modo cognoscendi, Deus primo cognoscitur si est confusa cognitione quasi secundum rationem generis generalissimi; deinde aliquantulum specificatur haec eius cognitio et incipit fieri cognitio quid est magis in speciali, cognoscendo de ipso quod est substantia incorporea vivens; deinde magis cognoscendo quod est substantia incorporea vivens et intelligens, et potest esse prima sine⁷ secunda et sic deinceps non propter potentialitatem in ipso quae sic⁸ secundum diversos gradus actualitatum perficiatur, sed propter potentialitatem quae est in his ex quorum habitudine et proportione

cod. P
fol. 119 Rb

¹ si est] esse C. — ² om. PV. — ³ cognitio PC. — ⁴ uterque P, et 1^a m. C. — ⁵ convenit — quod] om. C. — ⁶ ex C. — ⁷ sive PC. — ⁸ sit corr. 2^a m. C.

hoc de Deo cognoscimus. Huiusmodi enim cognitionem habemus de creaturis secundum modum quo intelligimus eas esse in genere et determinari per differentias.

cod. V
fol. 118 Va

Sed ex tali modo cognoscendi licet diversificato sic ex parte cognoscentis et cogniti non in se, sed in aliis dicto modo nullo modo intelligimus Deum esse in genere, sed tantum illa ex quorum habitudine de Deo secundum tales modos distinctos cognoscendi si est et quid est concipimus. Cum enim quaeritur de Deo quid est, respondetur substantia; item, substantia incorporea; item, substantia incorporea vivens et intelligens. Ergo manifestum est quod talia de Deo cognoscendo cognoscimus de ipso quid est et cetera.

cod. P
fol. 119 Va

Et ex praemissis patet quomodo intelligendi sunt quidam articuli (1) ab Episcopo Parisiensi condemnati qui tamen praedictis contrarii videntur. Unus enim sic dicit: Deum in hac vita intelligere possumus per essentiam; error alius dicit: de Deo non potest cognosci nisi quia est sive ipsum esse. Error primus enim non potest stare cum secundo nisi aliquo modo distinguatur de cognitione qua cognoscibilis est Deus per essentiam et haec distinctio ex praedictis satis est manifesta.

Ad argumentum in oppositum patet responsio: quia, licet idem sit in Deo esse et quid est, tamen ipse non innotescit nobis ut secundum se est, sed mediantibus creaturis; et licet certitudinaliter et perfecte possit cognosci per creaturas si est, non tamen per eas scitur certitudinaliter et perfecte quid est, quia aequivocus effectus deficit a repraesentatione suae causae non attingendo ad perfectionem suae naturae; non tamen deficit in ostendendo ipsum esse, cum esse eius dependens sit ab ea.

Nec tamen est hoc intelligendum solum in Deo specialiter, quia verum sit quod idem sit esse eius et quod quid est, id est essentia eius, sicut videtur argumentum supponere. Hoc enim verum est in omnibus, scilicet quod esse non dicit aliquam rem additam essentiae et tamen, cum alia, puta materialia, secundum rationem abstractam sint nata cognosci secundum suas essentias in se ipsis ab intellectu humano, alia est cognitio qua cognoscitur de ipsis si est quam quid est; et ideo planum est quod alterum istorum non refertur ad esse existentiae et alterum ad esse essentiae, sicut etiam videtur argumentum supponere; immo utrumque refertur ad esse essentiae ut si est referatur ad esse essentiae in generali, quid est vero ad esse essentiae in speciali; alioquin, cum in creaturis naturaliter prius esset esse essentiae quod est quasi aeternum et incor-

¹ et cetera om. PC. — ² quod quid quicquid PC. — ³ essentiam C. — ⁴ sicut P., 1^a m. VC. — quomodo P. — ⁵ ad 1^a m. C. — ⁶ ut = essentiae, del. 2^a m. C.

(1) Denifle et Chatelain, *Chart. Univ. Paris.*, t. I, Opinions deuxcentae undeviginti etc., n. 39, p. 545 et n. 215, p. 555.

ruptibile secundum aliquos et acquiritur ei esse existentiae per agens, tunc si quaestio si est quaereret de rei ¹ actuali existentia et quaestio quid est de simplici rei essentia, quaestio quid est esset prior quam quaestio si est. Nam scito quid est aliquid secundum essentiam, cum illa sit indifferens ad esse essentiae et existentiae, adhuc habet locum quaestio si est in ² existentia. Ergo, cum in creaturis non dicantur differre cognitio si est a cognitione quid est propter differentiam esse existentiae et essentiae, nec in Deo debet poni quod propter hoc sit una cognitio si est et quid est, quia esse et essentia realiter non differunt, sed propter causam praedictam. Ubi ergo est aliquid secundum essentiam suam ex natura sua cognoscibile primo sub ratione confusa et indeterminata, deinde sub ratione determinata, ibi differunt tales cognitiones. Hoc autem in cognitione est omnium quae a nobis per investigationem rationis cognoscuntur. Et ideo quia essentia Dei et esse eius, quae sunt idem omnino, non innotescit nobis nisi per investigationem, ideo, licet cum nobis innotescet ³ notitia simplicis visionis quae dicitur naturalis ex parte rei cognoscendae, non erit differens cognitio haec et illa; tamen modo est differens, cum de ipso cognitiones has habemus per investigationem.

cod. C
fol. 55 Rb

cod. P
fol. 116 Vb

QUAESTIO XII.

Utrum caritas possit augeri in infinitum.

Deinde circa pertinentia ad actus et habitus quibus homo ordinatur ad finem suum quantum ad ea quae pertinent ad potentiam appetitivam quaerebantur quaedam pertinentia ad ipsam appetitivam in ordine ad finem ipsum qui est Deus et quaedam pertinentia ad ipsam potentiam appetitivam in ordine ad id quod est ad finem, scilicet ad proximum. Circa primum quaerebatur unum pertinens ad habitum caritatis qua Deus principaliter diligitur. Et erat illud: utrum caritas possit augeri in infinitum. Et arguitur quod sic, quia per caritatem fit ⁴ assimilatio ad Deum; sed creatura rationalis nunquam tantum ⁵ assimilatur Deo quin possit ei magis assimilari propter eius infinitam perfectionem. Ergo creatura non potest habere tantam caritatem quin possit habere maiorem. Hoc autem ponit caritatem augeri in infinitum; quare et cetera. |

cod. V
fol. 117 Ra

Contra. Secundum Philosophum, processus quo itur ad perfectionem et

¹ re PC. — ² del. 2^a m. C. — ³ innotescat PC. — ⁴ om. P. — ⁵ nunquam tantum] in quantum P; nunquam Deum C.

formam non potest ire in infinitum; sed in augmento caritatis fit processus ad formam; ergo augmentum caritatis non potest procedere in infinitum.

cod. P
fol. 120 Ra

Respondeo dicendum quod, cum caritatis augmentum procedere in infinitum sive caritatem ¹ posse esse maiorem in infinitum sit ipsam in natura sua esse vel posse esse in infinitum perfectiorem, quia, secundum Augustinum, in his quae non mole sunt magna, hoc est melius esse quod est maius esse sive perfectius esse, ponere caritatem augeri ² posse in infinitum est ponere quod possit esse natura creata non continens certum gradum perfectionis ultra quem non possit ad maiorem perfectionem deduci. Potest tamen intelligi processus in infinitum secundum perfectionem creaturae dupliciter: uno modo secundum diversas perfectiones creaturarum et in diversis speciebus; alio modo in una et eadem natura speciali. Primo modo non videtur ita irrationale ponere processum in infinitum sicut secundo modo, quia quod ³ quaecumque creatura data possit esse alia perfectior non ponit infinitatem et illimitationem in perfectione in aliqua creatura determinata; nam quaecumque nata est esse ponitur finita et finitae perfectionis et virtutis. Sed secundum modum alium ponitur aliqua determinata creatura infinitatem virtutis et perfectionis in sua essentia virtualiter importare, licet etiam non ponatur quod in aliquo uno individuo actu illud totum habeat explicatum, sed quod quantaecumque perfectionis ponatur in actu esse in aliquo possit in eodem vel in alio perfectior esse. Nunc autem non videtur tantum inconveniens quod in tota universitate entium possibilem esse secundum successionem quandam, non autem simul, possit esse quaedam infinitas perfectionum et processus secundum gradus perfectionum in infinitum dicto modo, sicut ponere in una natura determinata infinitatem praedictam.

cod. C
fol. 55 Va

Sed de hoc primo articulo ad praesens nihil determinando, hoc solum dico quod ex uno dictorum modorum alius sequitur. Nam, si sit ⁴ ponere processus in infinitum secundum gradus perfectionum in creaturis rationalibus de quibus inter alias magis videtur, et quaelibet esset capax perfectionis quam caritas significat et secundum diversos gradus perfectionum naturalium esset diversitas graduum secundum habilitatem et proportionem naturalium, videtur quod etiam caritas posset in infinitum ⁵ procedere secundum perfectionum gradus in diversis.

cod. P
fol. 120 Rb

Et ex hoc etiam sequitur quod in uno; nam, cum omnis creatura rationalis eo quod ad imaginem Dei est creata sit capax particepsque Dei per cognitionem et ⁶ amorem, considerando capacitatem remotam quae fundatur in natura rationali, absolute secundum hanc condicionem, in quantum scilicet est ad imaginem Dei, quaelibet videtur esse aequalis capacitatis respectu caritatis, licet considerando capacitatem propinquam quae consistit in huiusmodi natura secundum determinatum gradum perfectionis secundum quod etiam una quodammodo

¹ caritate P. — ² om. C. — ³ in perfectione] imperfectuone PC. — ⁴ sic P. et 1^a m. C. — ⁵ rationalibus PC.

dicitur perfectius ad imaginem Dei quam alia, una sit maioris capacitatis quam alia. Supponitur enim quod tantae capacitatis est anima beatae Mariae respectu caritatis sicut mens cuiuslibet angeli. Constat tamen quod minimus angelus secundum genus naturae est perfectior anima beatae Mariae. Et ponitur exemplum de materia respectu omnium rerum materialium; quia considerando potentiam primam et remotam, sic materia quae est sub aliqua determinata forma capax est cuiuscumque formae materialis vel in potentia est ad quamcumque formam aliam, sicut existens sub quacumque alia; loquendo autem de potentia propria et propinqua, non. Si ergo supponatur primum, scilicet quod in perfectionibus naturalibus vel essentialibus creaturae rationalis sit procedere in infinitum, videtur etiam secundum ¹ esse ² concedendum, scilicet quod in augmento caritatis sit processus in infinitum.

Sed, sicut alias (1) dixi, ita adhuc etiam dico, non asserendo tamen ita esse, sed recitando, me non videre quod possibilis | sit processus in infinitum secundum gradus perfectionum naturalium in diversis speciebus. Ex quo sequitur quod adhuc minus videtur quod hoc sit possibile in una ³ et eadem creatura. Sine praeiudicio ergo dico quod, cum augeri caritatem, ut dictum est, sit ipsam procedere de imperfecto ad magis perfectum gradum, potest autem distingui duplex perfectio in re aliqua: scilicet una quae consistit in natura et essentia rei quam dicitur res habere quando attingit extremum quantitatis virtutis convenientis suae formae et speciei; alia vero est quae in sua propria operatione consistit quam habet res quando habet naturam | suam quae est principium et ratio suae operationis ita perfecte et tali modo quod per illam opus habet fieri modo perfectiori quo natum est fieri. Quantum ad primum modum sive primam perfectionem non videtur possibilis processus in infinitum in augmento caritatis. Nam, secundum quod dicit Philosophus secundo de Anima, omnium natura constantium statuta est ratio et ⁴ terminus magnitudinis, scilicet in minimo et augmenti, scilicet in maximo; per naturam autem intelligitur hic ⁵ omne ens creatum; ponere autem caritatem sic secundum augmentum procedere in infinitum est ponere ipsam secundum suam speciem et naturam esse quoddam ⁶ infinitum, quamvis non ponatur sic actu participari a subiecto. Cuius tamen ratio nulla potest poni; nam, cum natura rationalis in se habeat capacitatem, quia hoc est habere potentiam receptivam respectu cuiuscumque perfectionis quantaecumque quam Deus potest in ea ⁷ efficere, — nam augmentum capacitatis quod ponitur ex dispositione caritatis supervenientis debet ad ipsam caritatem referri ita quod ipsa caritatis augmentatione superveniente capacitas propinqua

cod. V
fol. 116 Rb

cod. P
fol. 120 Va

¹ etiam secundum] et hoc C. — ² del. 2^a m. C. — ³ et creaturae add. P. — ⁴ om. C. — ⁵ hoc PC. — ⁶ in add. V. — ⁷ in ea] om. C.

(1) *Quodl.* IV, q. 3. (t. II, p. 243)

augmentata est. — nam sola et pura capacitate naturali supposita potest Deus statim et simul efficere caritatem ita perfectam sicut nata esset fieri per magnum processum secundum augmentum et caritatis et alterius capacitatis in voluntate, — non debet ergo dici quod per caritatem supervenientem sic augeatur capacitas ad suscipiendum caritatem quod per hoc anima sit capax caritatis secundum aliquem gradum secundum quem Deus non posset eam infundere animae absque hoc quod augmentum talis capacitatis duratione praecedere oporteret. Patet igitur quod ex parte animae non est ratio quare non possit participari caritas actu secundum suam quantacumque quantitatem, etiam si infinita sit secundum suam infinitatem, et hoc etiam si anima in se nude consideretur absque cuiuscumque caritatis informatione. Nec per hoc quod advenit caritas secundum aliquem gradum efficitur — capax anima caritatis secundum aliquem¹ alium perfectiorem gradum quin illius statim ab initio capax esset.

cod. P
fol. 120 Va^b

cod. C
fol. 55 Va^b

Item, nec ex parte Dei potest assignari ratio, quia Deus secundum se habet potentiam infinitam qua potest producere producibile. Si ergo capacitas creaturae est capax caritatis quantacumque et ipsa caritas secundum se sive in sua natura et essentia infinitatem includit, Deus infinitus in creatura rationali infinitam caritatem posset efficere. Si autem dicatur quod hoc repugnat rei, scilicet quod secundum modum essendi in gradu infinito existat et ideo Deus non potest facere, non videtur ad hoc esse ratio, supposito quod in sua natura infinitatem graduum perfectionis importet; hoc enim non minus videtur repugnare creaturae quam in sua infinitate existere; immo unum, scilicet infinitas in natura dicto modo includit aliud secundum possibilitatem, scilicet existentiam actualem et potest poni in esse absque inconvenienti; quod tamen non videtur conveniens propter Christum qui, ut videtur, habet caritatem tantam quantacumque² nata est haberi a creatura cum datus sit ei spiritus id est gratia sive caritas non ad mensuram; et tamen gratia vel caritas Christi creata quantum ad eius essentiam et naturam finita est et terminata, licet ei competat quidam modus infinitatis ratione unionis ineffabilis naturae humanae cum divina in unitate suppositi.

Nec est simile, sicut alias dictum est (1), de divisione continui quae importat potentiam quandam infinitam sive ad infinitum, quae tamen non est reducibilis perfecte ad actum, quia illa potentia est talis naturae quod nunquam potest esse cum actu nisi simul existente illo actu permixto cum potentia, eo quod] secundum Philosophum sic dividi est ire vel procedere ad materiam, sed augmentari in infinitum est procedere ad formam et ideo non est simile.

cod. V
fol. 116 Va

Item, arguitur ad principale propositum, scilicet quod praemisso modo non

¹ gradum — aliquem] *om.* C. — ² quantam C. — causata PC.

(1) *Ibid.*, *loc. cit.*

possit esse augmentum caritatis sic. Quia, cum Deus in se habeat ideas rerum quibus natae sunt causari in existentia modo illo quo habent esse per ideas in divina intelligentia, si natura caritatis | importat infinitatem secundum gradus perfectionum dicto modo, Deus autem illius ideam habet non secundum diversos gradus secundum quos diversimode nata est perficere diversos vel unum et eundem diversificatam, sed secundum totam naturam et virtutem et infinitatem caritatis quam in se continet, et secundum quam participabilis est a creatura simpliciter et absolute. Ergo oportet quod Deus actu cognoscat naturam creatam infinitam in perfectione et virtute; quod videtur inconveniens, quia secundum hoc poneretur quod aliqua creatura secundum suam naturam esset perfectionis et actualitatis infinitae. Nec ex eo quod caritas est quaedam participatio caritatis infinitae ¹ increatae debet poni quod huiusmodi infinitatem contineat, immo potius contrarium; nam infinitas secundum formam et perfectionem soli enti perfecto per essentiam et non enti perfecto per participationem potest convenire, immo quaelibet creata perfectio certis gradibus limitata continetur.

cod. P
fol. 121 Ra

Nec potest dici quod verum est quantum ad gradum qui sumitur secundum habitudinem generis ad differentiam speciem constituentem, non autem quantum ad alium qui sumitur secundum habitudinem naturae ad perfectionem et virtutem respectu operationis suae sibi competentem ²; quia eo dicitur aliquid determinatum ad certum gradum entis secundum determinatam differentiam in natura quod est etiam determinatum secundum quamcumque perfectionem sibi possibilem convenire et unum in alio necessario includitur; rei ³ enim determinatae in natura et essentia determinata est virtus et perfectio. Et ideo videtur dicendum quod considerando perfectionem caritatis simpliciter et absolute et ut consistit in sua natura et essentia et etiam secundum habitudinem ad operationem sibi convenientem et propriam, quia ista sese invicem consequuntur, non videtur possibilis processus in infinitum secundum eius augmentum. Et sic videtur quod tanta possit esse caritas viae in aliquo de potentia Dei absoluta quod ea non posset esse maior et similiter in patria.

Sed propter convenientem ordinem et gradus perfectionum convenientium homini in diversis statibus, supposita finitate caritatis in natura sua, tum | propter obiecti excellentiam tum etiam propter subiecti, ut dictum est, capacitatem, amplam tantam potest intelligi continere in perfectione eminentiam ⁴ quod secundum cursum communem vitae humanae a Deo statutum | et ordinatum non posset purus homo viator ad summum eius attingere in via; et, quia datur in patria secundum rationem praemii et hoc secundum proportionalitatem ad perfectionem quam habuerit in via, potest etiam dici quod nunquam pervenitur ad summum eius gradum in patria. Et hoc modo possunt exponi auctori-

cod. P
fol. 121 Rb

cod. C
fol. 56 Ra

¹ et *add.* 2^a m. C. — ² competente P. — ³ ei C. — ⁴ eminentia P.

tates quae videntur dicere caritatem et praecipue viae terminum non habere, eo quod contra rationem viatoris videtur esse quod non possit plus perficere.

Sed, si consideretur caritas secundum dictos diversos status ad invicem comparatos, aliquo modo aliter est dicendum de augmento eius secundum perfectionem in essentia et aliter de augmento eius in operatione in qua consistit alia perfectio rei, ut supra distinximus; quia si caritas secundum suam essentiam sit eiusdem rationis in via et in patria, prout videtur secundum Apostolum qui dicit quod caritas non excedit sed manet, cum cognitio fidei et apertae visionis sunt essentialiter differentes et ¹aequivoce sive multum analogice rationem cognitionis participant, caritas autem in suo actu dependet ab intellectus actu, ideo, propter connexionem eius cum cognitione tan diversarum rationum, oportet etiam esse variationem circa modos actuuum suorum et eos habere modos diversarum rationum sic per accidens. Unde secundum hoc videtur posse dici quod in caritate viae potest intelligi quidam processus in infinitum secundum eius augmentum quantum ad modum perfectionis in actu, licet non in essentia. Nam, sicut si cognitio viae cresceret in infinitum, nunquam tamen attingeret ad perfectionem minimae cognitionis patriae, quia etiam nec inter eas proprie esset proportio vel comparatio quia sunt diversarum rationum; ita etiam, si cresceret caritas in infinitum in sua essentia ita quod etiam in actu posset esse quantum ad essentiam maior caritas | alienius viatoris quam | cuiusdam comprehensoris, tamen nunquam attingeret minimam caritatem patriae quantum ad modum perfectionis actus quae convenit illi minori caritati secundum essentiam in comprehensore existentis, et hoc etiam propter diversas earum et non proportionales vel comparabiles rationes. Et ponitur exemplum de angulo recto et contingentiae; nam angulus contingentiae, quanto circulus est maior tanto angulus est maior, sed nunquam tamen attingere potest ad hoc quod aequetur angulo recto, cum tamen ²quocumque circulo dato maior posset imaginari circulus et per consequens angulus contingentiae. Et hoc modo potest dici quod comparando caritatem viae ad caritatem patriae secundum hos modos perfectionum secundum suos actus, caritas viae posset augeri in infinitum, non quidem simpliciter et absolute, sed sub conditione scilicet quod potius augmentaretur caritas viae in infinitum quam posset illi adaequari; quia etiam nunquam ei posset adaequari, quia secundum hunc modum caritatis viae, quantumcumque perfecta ³vel magna secundum essentiam et operationem sit, est tamen modica et imperfecta respectu caritatis patriae ad quam in via non possumus ⁴pervenire; et ideo semper etiam si in infinitum prolongaretur via nostra, debemus niti pervenire ad illam et nos ipsos imperfectos et imperfectam caritatem habentes reputare quousque ad

cod. A
fol. 116 Vb
cod. P
fol. 121 Va

¹ em. C. — ² per accidens] operationis corr. 2^a m. C. — ³ ens PC — ⁴ in C. — ⁵ em. C. — ⁶ sic PC. — ⁷ possumus PC. — ⁸ et C.

illam attingamus. Sic etiam videntur loqui sancti de continuo processu caritatis secundum augmentum eius, referendo scilicet ad desiderium quod debet in nobis semper esse et crescere. Et hoc videtur dicere quaedam glossa Philipenses tertia ¹: curramus et intendamus ². In via enim sumus; non retrospectivamus, sed in anteriora extendamur intentione et desiderio. Vita enim christiani boni desiderium est. Quod autem desideras, nondum tenes, sed desiderio capax efficiaris: ut cum | venerit quod non vides, implearis. Deus differendo rem extendit desiderium, desiderium extendendo extendit animam, animam extendendo facit capacem. Desideremus ergo et implendi sumus. Haec est vita nostra, ut desiderando exerceamur. Tantum autem nos exercet sanctum desiderium, quantum desideria nostra amputaverimus ab amore saeculi. Item ibidem super illo verbo: quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus. Glossa: scilicet ³ quantumcumque perfecti cursores et viatores simus respectu aliorum, imperfecti tamen sumus comparatione futuri status. Per praedicta patet quomodo possunt exponi auctoritates sanctorum quae contrarium quodammodo videntur dicere circa propositam materiam.

cod. P
fol. 121 Vb

Ad argumentum in contrarium dicendum quod creatura rationalis | assimilabilis est Deo in infinitum quantum est ex parte termini, scilicet Dei qui in se infinitatem in perfectione omnino a creaturis inexhaustibilem comprehendit, sed non ex parte subiecti sive assimilabilis, quia e contra propter limitationem in gradu perfectionis quem includit oportet eam esse limitatam et certo termino conclusam. Et sic, sicut creatura quaelibet in sua essentia est finita et limitata et Deo secundum determinatum gradum perfectionis primae et connaturalis assimilatur in esse simpliciter, ita etiam ⁴ in sua quacumque perfectione accidentali superaddita naturae finitatem oportet ponere et secundum gradum perfectionis secundae et supernaturalis quantum ad bene esse secundum talem perfectionem secundum quam divinae infinitae perfectioni assimilatur.

cod. C
fol. 56 Rb

QUAESTIO XIII.

Utrum dare non indigenti sit meritorium.

Deinde circa pertinentia ad potentiam appetitivam in ordine ad proximum quaerebatur unum, scilicet utrum dare non indigenti sit meritorium. Et arguitur quod sic; quia meritorium est facere id quod in Evangelio praecipitur vel

¹ quarta C. — ² procedamus C. — ³ etiam *add.* C. — ⁴ est VC.

consultitur; sed in Evangelio Lucae, sexto, dicitur: omni petenti te tribue; ergo non indigenti si aliquid petat illud est ei dandum.

cod. P
fol. 122 R^a

Contra. Facere contra Evangelium non solum non est meritorium, sed demeritorium; sed in Evangelio Lucae, decimo quarto, dicit Christus quod cum aliquis facit convivium ad refectionem corporum non debet vocare divites, sed pauperes indigentes; ergo qui aliis quam indigentibus dat demeretur.

cod. V
fol. 120 R^a

Respondeo dicendum quod dare est actus cuius materia vel obiectum sunt bona exteriora quae in usum hominum veniunt, quae sub nomine bonorum temporalium vel divitiarum comprehenduntur et, quamvis huiusmodi bona sint ¹ propria materia liberalitatis in quantum ad liberalitatem pertinet quod homo per eam se sit dispositus secundum affectum circa divitias quod bene possit uti divitiis secundum quod huiusmodi, tamen sunt etiam materia vel instrumenta plurium aliarum virtutum, puta misericordiae et beneficentiae et amicitiae et aliarum quorumdam; et sic dare potest esse actus respiciens diversas virtutes. Indigens etiam proprie dicitur aliquis respectu alterius qui actu caret re aliqua quam per se non potest convenienter habere et in qua potest sibi per alium subveniri.

cod. I
fol. 122 R^b

Est ergo intelligendum quod dare refertur ad indigentem vel non indigentem proprie secundum quod est actus beneficentiae vel misericordiae, in quantum ex affectu misericordiae inclinatur quis ad sublevandum defectum alterius suo dono. Et hoc modo est dicendum quod non solum *non* meritorium, sed demeritorium est per se loquendo dare non indigenti; sicut e converso per se loquendo bonum est dare indigenti. Unde qui vult eleemosynam dare vel ad subveniendum ² necessitati alicuius aliquid impendere, debet hoc facere respectu magis indigentis et sibi subvenire ex se minus potentis, ceteris paribus; alioquin aliter datus vel benefaciens ³ respiceret in subveniendo condicionem quam respicere non deberet et in hoc male ageret. Sed, quia isti actus non sunt omnino sic per se boni vel mali quin ex circumstantia aliqua et ex ordine ad aliquem alium finem possunt esse boni et mali, sicut dare indigenti propter vanam gloriam malum est, ita etiam dare non indigenti propter vitandum aliquod magnum malum potest esse bonum. Et possunt poni multa exempla de tyrannibus et praelatis exactiones facientibus et de aliquibus existentibus in statu pauperum qui alios possunt infamare et gravare.

Prout autem est actus respiciens virtutem liberalitatis et amicitiae non respicit per se indigentem vel non indigentem, sed ordinem et habitudinem dantis ad eum cui datur in ⁴ honeste et amicabiliter convivendo; et sic dare non indigenti non est malum, sed frequenter bonum; et prout unus alium non indigentem ad comestionem invitat et prout unus alteri dat aliquod iocale et

¹ sicut P. et 1^a m. V. — ² et C. — ³ sed — demeritorium] om. C. — ⁴ indigenti add. V. — ⁵ benefaciens V. — ⁶ etiam P.

huiusmodi. Sed, si etiam talia fiant ex aliqua intentione mala, sic sunt mala etiam iudicanda.

Et haec confirmantur per auctoritates ; nam super illud Lucae, sexto : omni petenti te ¹ tribue, dicit Augustinus : non dicit omnia petenti ut id des quod iuste et honeste potes ; et cui iuste negaveris quod petit iudicanda est ipsa iniustitia et aliquando aliquid melius tribuere cum petentem iniusta correxeris. Ex qua auctoritate patet quod petenti vel indigenti aliquando est dandum quod petit, aliquando non ; et per consequens aliquando malum, aliquando bonum. Item, super illud Lucae, decimo quarto : cum facis prandium aut cenam noli vocare amicos tuos neque ² vicinos ³ divites, sed pauperes, debiles, et cetera, Beda : fratres et amicos et divites alterutrum celebrare convivia non ob scelus interdicat, sed sicut ⁴ cetera[e] ⁵ necessitatis humanae commercia ad promerenda vitae caelestis praemia nihil valere ostendit ; si autem hoc propter Deum facit, in exemplum filiorum Job, sicut cetera fraternae dilectionis officia ⁶, ipse qui iussit ⁷ remunerat. Ex qua auctoritate etiam patet quod etiam non indigenti dare est bonum quandoque, licet aliquando sit malum ; et sic patet veritas quaestionis et ad argumenta utriusque partis patet solutio.

cod. C.
fol. 56 Va

QUAESTIO XIV.

Utrum retinentes quod eis impositum est teneantur illud restituere et hoc illi qui recipit dictam collectam ad firmam.

Deinde circa ea quae pertinent ad quosdam homines specialiter quaeruntur ⁸ quaedam pertinentia ad quosdam homines tam fideles quam infideles communiter, quaedam pertinentia ad fideles tantum. Circa primum quaerebatur unum pertinens ad superiores in comparatione ad inferiores, scilicet posito quod aliquis dominus alicui communitati sibi subditae imponit aliquam exactionem iniustam, rectores dictae communitatis pro se et pro communitate ut maius malum evitent promittant eidem domino quandam pecuniae summam, et statuunt quendam modum recipiendi sive colligendi dictam pecuniam a singulis de illa communitate vel imponendo cuilibet personae certam summam pecuniae solvendam secundum aestimationem suorum honorum vel alio modo ; posito etiam quod aliquis civium dictam summam pecuniae vel simul vel per partes promittens solvere dicto domino recipiat ad firmam pecuniam impositam communitati dicto modo colligendam ; demum posito quod aliqui ⁹ de dicta communitate aestimantes huiusmodi exactionem iniustam, et ideo non solvendam nisi per

cod. P
fol. 122 Va

cod. V
fol. 120 Rb

¹ om. C. — ² nec PC. — ³ magnos corr. 2^a m. C. — ⁴ sic C. — ⁵ exercere C. — ⁶ efficientia P. — ⁷ misit C. — ⁸ quaerebatur C. — ⁹ aliquid V.

violentiam et coactionem, aliquam pecuniam summamque inpositam clam vel occulte retineant — rebus sic se habentibus, quaeritur, utrum sic retinentes ad quod eis impositum est teneantur illud restituere, et hoc illi qui recipit dictam collectam ad iudicem. Et arguitur quod non tenent, qui retinet id quod de iure non est alteri debitum, non tenetur illud restituere; ita est in proposito; ergo et cetera.

Contra. Qui retinet illud quod est impositum pro bono communis utilitatis iudicem facit, et illud tenetur restituere; ita est in proposito; ergo et cetera.

Respondeo. Item bonum quod est commune pertinet ad utilitatem communis, ut sunt pars unum corporis quod debet fovet ex mutua contributione et mutua utilitate continet ad invicem secundum proportionem iustitiam habentem, bona et proventus proportionabiliter participando, et in diversa sive damna communia proportionabiliter etiam sustinendo, quando pro utilitate rei publicae sive communis ad quod omnes alii sunt exactores ab illis qui communitatem habent regere rationabiliter imponitur, hinc debent se omnes de communitate tanquam partes unius totius voluntate esse socii, et illud pro eis imponitur, tenentur contribuere; et si contingat quod aliqui illud pro eis non retinuerint, illud tanquam debitum restituere tenentur. Nunc autem in casu proposito licet illi cui pecunia sive communitate iniusta et ab ea exacta tribuitur iniuste, non de iure recipiat, et si recipit, tunc recipit iniuste, sed ad hunc volens a extorquet, et eam etiam statim recipit, quia tenent a rectoribus communitatis in manus malum totius communitatis iniuste tanquam malum iniuste obligant, ut vexato indubitate finatur, ideo ab eis iuste communitati imponitur. Ista enim bene statim simul, sicut etiam potest in pluribus casibus inveniri quod aliqui iniuste ab aliquo recipiat, et tamen iuste potest ab aliis exigere; puta si dominus terrae pro utilitate rei publicae opponens se inimicis iniustum bellum habentibus capere nec possit liberari nisi per aliquam exactiorem a communitate solvendam, constat quod retores communitatis possunt iuste aliquam summam pecuniae a communitate solvendam communitati imponere, et qui hoc tenentur summam contumacem solvere. Ille tamen cui traditur illam iniuste recipiet et restituere tenetur.

Per hoc patet solutio ad argumentum in oppositum; quia licet portio imposita alicui singulari personae sive etiam in communi omnibus de communitate non sit de iure debita illi cui de iure non tribuitur, potest etiam nec ei propter se et ex amore, sed ex timore maioris mali datur, tamen in ordine ad hunc finem quod manus malum vitetur, unusquisque tenetur id quod impositum est dare ex debito quod respicit iustitiam legalem per quam actus omnium virtutum specialium in bonum communis ordinantur. Est enim debitum ut unusquisque tanquam pars tribuat ad bonum commune conservandum secundum suam proportionem¹, sicut etiam unusquisque tenetur pro salute propria conservanda dare vel perdere bona exteriora; puta tyranus potius debet dare persona singularis aliquod bonum temporale quam permittat se perire ab eodem; prout etiam quis tenetur potius perdere merces prociendo in mare quam permittere se periclitari cum eis.

¹igitur C. — ² hoc PC. — ³ portionem C. et 2^a m. V.

cod. P¹
fol. 122 V¹

cod. C
fol. 5^b V^b

cod. P¹
fol. 123 R^a

QUAESTIO XV.

*Utum sacerdos celebrans missam et verba pertinentia ad formam sacramenti
eucharistiae varians et transmutans conficiat.*

Deinde circa ea quae pertinent ad homines fideles specialiter quaerebantur quaedam pertinentia ad quosdam clericos specialiter et | quaedam pertinentia ad sacerdotes, quaedam pertinentia ad doctores. Circa primum quaerebantur quaedam pertinentia ad sacerdotes quantum ad ministerium eorum circa dispensationem sacramentorum, quaedam pertinentia ad ipsos quantum ad ministerium eorum circa executionem officiorum ecclesiasticorum. Circa primum quaerebantur duo, unum pertinens ad sacerdotes quantum ad ministerium eorum circa sacramentum eucharistiae et unum pertinens ad sacramentum poenitentiae. Primum horum erat utrum sacerdos celebrans missam et verba pertinentia ad formam sacramenti eucharistiae varians vel ¹ transmutans respectu materiae sic quod verba haec : hoc est corpus meum, adaptat vino ; alia vero : hic ² est calix sanguinis mei, adaptat pani, conficiat. Et arguitur quod sic, quia in sacramento baptismi potest fieri mutatio circa formam verborum, utpote si dicam : in nomine patris et filii et cetera, et tamen per hoc non impeditur effectus baptismi ; ergo ita erat in proposito.

cod. V
fol. 120 Va

Contra. Verba non efficiunt nisi applicata materiae ; sed in hoc casu non applicantur verba convenienti materiae ; ergo et cetera.

Respondeo | dicendum, cum secundum Augustinum sacramentum ex duobus constet, scilicet ex forma verborum et materia sensibili exteriori, ubi ³ alterum istorum deficit non potest esse veritas sacramenti. In sacramento autem altaris continente corpus et sanguinem Christi sub duplici specie, panis scilicet et vini, requiritur respectu cuiuslibet propria forma verborum, et ideo, si sit materia praesens et deficiant verba, deficit sacramentum. Si autem sint verba et deficiat materia, etiam deficit sacramentum in toto. Si autem sit materia determinata cui forma determinata applicetur, est veritas sacramenti quantum ad hoc. Unde, si forma verborum dicendorum super materiam panis materiae convenienti applicentur, est ibi vere corpus Christi sacramentaliter ; si autem deficiat applicatio verborum dicendorum super illam materiam, deficit sacramentum quantum ad hoc. Et similiter intelligendum est de applicatione verborum dicendorum super materiam vini. Nunc ergo quia in casu proposito, licet sit materia praesens et prolatio verborum propriorum unicuique parti materiae, quia tamen non applicantur verba propriae materiae, ideo omnino deficit ibi materia quantum ad sacramenti constitutionem, eo quod forma non est ibi alicui parti materiae propriae applicata. Unde, cum vinum non sit propria materia respectu verborum quibus transsubstantiatio fit in corpus, nec panis sit propria materia respectu verborum quibus transsubstantiatio fit in sanguinem, ideo referendo formam verborum ad materiam cui applicantur deficit ibi sacramentum propter defectum materiae, non

cod. P
fol. 123 Kb

¹ et P. — ² hoc PC. — ³ cum C.

secundum se, quia realiter est praesens, sed secundum esse subiectum debitaе formae. Unde non debet dici proprie defectus in sacramento propter mutationem factam circa formam, nam supponitur quod forma verborum perfecte proferatur, sed propter defectum materiae debitaе non subiectae tali formae, quia materia s. praesens, ut sic consideratur, non plus est materia conveniens huic sacramento quam quaecumque alia. Non plus enim est materia, ex qua debet transsubstantiatio in sanguinem fieri panis quam pomum vel caro vel quodcumque aliud; nec plus est materia transsubstantianda in corpus Christi vinum quam aqua vel quicumque alius liquor; et ideo debet dici defectus sacramenti in proposito, sicut si loco panis esset supposita caro vel huiusmodi et loco vini esset supposita aqua vel aliquid huiusmodi; sicut etiam in sacramento baptismi, si loco aquae supponeretur alius liquor essentialiter differens, et proferrentur perfecte verba formam illius sacramenti continentia, non diceretur defectus ¹ circa sacramentum propter mutationem circa formam vel circa verba, sed propter defectum materiae debitaе. Sed, si forma verborum propriae materiae applicaretur et tunc esset aliqua variatio circa verba vel addendo vel subtrahendo vel litteras vel syllabas variando, tanta variatio fieri posset quod contingeret defectus sacramenti propter mutationem circa formam vel verba et non propter defectum in materia.

Per hoc patet solutio ad argumentum.

QUAESTIO XVI.

Utrum sacerdos qui alicui contenti talem ¹ contentiam inunxit ex qua morbus istius secula est ex hoc irregularitatem incurrit.

Post haec proponebatur aliud pertinens ad sacerdotes quantum ad ministerium eorum circa sacramentum poenitentiae et erat tale: ² posito quod aliquis sacerdos poenitentiam importabilem alicui contenti inunxit, credens tamen secundum suam conscientiam talem poenitentiam fuisse convenientem; dictus autem poenitens volens dictam poenitentiam pro viribus adimplere ³ ex hoc mortem incurrit, quaeritur utrum dictus sacerdos ex hoc incurrit irregularitatem. Et arguitur quod sic per simile; quia, si medicus det alicui aegroti medicinam corporalem credens illam secundum conscientiam suam et artem medicinae convenientem et dictus aegrotus ex hoc incurrit mortem, consultatur ⁴ tali medico a domino ⁵ papa quod abstineat a promotione si habeat conscientiam quod occasione sua incurrit dictus aegrotus mortem, ut patet, Extra, de Aetate et Qualitate ordinandorum, capitulo: ad Aures. Hoc autem non consultit ei nisi propter irregularitatem quam ex dicto facto videtur incurrisse; ergo similiter debet in proposito iudicari. In decretali enim dicitur: si super praemissis conscientia te remordet, ad maiores ordines de nostro consilio non accedas.

¹ esse *add.* C. — ² defectum C. — ³ talis, — ⁴ et *add.* 2. m. C. — ⁵ consulti C. — ⁶ a domino] dominus C.

Contra. Ea quae propter bonum exitum fiunt, si ad malum exitum vergant, non debent facientibus imputari, ut dicitur, vigesimo tertio, quaestione quinta, capitulo : de *Occidendis* 1; ita est in proposito; ergo et cetera.

Respondeo dicendum quod irregularitas est quaedam poena sive quoddam impedimentum promotionis consequens ad actum homicidii aliquo modo voluntarii. Quaecumque ergo aliquis voluntarie occidit hominem vel facit aliquid ex quo contingit eum mori, incurrit irregularitatem. Nunc autem, cum per laborem nimium possit corpus tantum gravari quod ex hoc 2 homo 3 mortem incurrat, si quis debens alicui poenitentiam imponere laborem sive aliquid quo corpus gravetur ut satisfaciat pro peccatis et imponat voluntarie improporcionatam poenam ipsi poenitenti ex qua probabiliter mors sequi posset, poenitens autem volens periclitari poenitentiam sibi iniunctam, quia etiam ad hoc reputat se teneri, ex hoc moritur, videtur ex hoc incurrere sacerdos irregularitatem. Sed est intelligendum quod tunc voluntarie intelligitur quis 4 imponere talem poenitentiam improporcionatam inductivam mortis, quando non adhibet diligentiam quam debet et potest circa condicionem poenitentis, considerando scilicet fortitudinem corporis et discretionem animi per quam, si per huiusmodi poenitentiam perciperet nimis se gravari, possit illam omittere et aliud consilium habere et circa quantitatem poenitentiae et comparationem ad condicionem ipsius poenitentis. Si autem ex intentione mala tantam poenitentiam iniungit in gravamen poenitentis, aut ex negligentia crassa hoc facit, et poenitens ex sua indiscretionem percipiens illam esse intolerabilem, nihilominus eam continuat, quia propter iniunctionem sacerdotis ad hoc reputat se teneri et ex hoc moritur, irregularitatem incurrere videtur. Si autem adhibet circa hoc diligentiam quae consuevit communiter in talibus adhiberi nec vellet aliquo modo quod poenitens ex huiusmodi poenitentia mortem incurretet, nec moriatur postea, | non incurrit irregularitatem.

Est tamen intelligendum quod in medicina spirituali poenitentiae adhibenda minor diligentia sufficit | quam in corporali, quantum ad hoc quod huiusmodi medicinam exhibens irregularitatem non incurrit. Nam, cum aliquid est inductivum mortis ex necessitate naturae etiam contra voluntatem morientis, sicut contingit de rebus quae per medicos administrantur, ad hoc quod minister illius rei evitet hunc effectum et ostendatur non velle mortem illius, debet multo maiorem diligentiam adhibere ad hoc quod illud secundum convenientem proportionem indigenti ministretur quam respectu illius quod non est inductivum de necessitate. Sed potest talis effectus per voluntatem liberam suscipientis faciliter evitari. Cum enim aliquis ministrat aliquid tale, puta poenitentiam nimis gravem alicui sanae mentis, potest probabiliter aestimare quod si sentiat se tali poenitentia nimium gravari et affligi, quod peteret eam alleviari et mutari 5, alioquin ipsemet voluntarie se interficeret; et ideo minorem diligentiam adhibens circa hoc non videtur ex hoc dici habere voluntatem | illum interficiendi, quia potest supponere quod ille non faciet sibi iniunctum ultra vires. Sed, si esset poenitens adeo simplex quod videretur nescire iudicare quod non sit intentio iniungentis quod non faciat de sibi iniuncto nisi quod poterit sustinere bono modo, secundum 6 hoc debet iniungens in iniungendo maiorem diligentiam adhibere, et saltem poenitentem simplicem in hoc informare quod si videatur sibi quod non possit dictam poenitentiam tolerare quod faciat illam alleviari vel mutari et quod de illa non faciat aliquid ultra posse et cetera.

Per hoc patet *solutio* ad argumenta. Littera autem in decretali posita se ipsam solvit; nam

1 audiendis. — 2 *del. C.* — 3 hoc C. — 4 aliquis C. — 5 mutigari *corr. 2^a m. C.* — 6 sed PC.

cod. P
fol. 124 Ra

cod. C
fol. 57 Rb

cod. V
fol. 121 Ra

ibi dicitur : si super praemissis conscientia te remordet, ad maiores ordines de nostro consilio non accedas. Glossa : remordet, ut si forte imperite medicinam dedisset vel si negligens fuit et cetera. Praeterea, ut dictum est, non est simile de medico corporis et de medico animae.

QUESTIO XVII.

Utrum sacerdotes, praecipue curati, teneantur quolibet dicere officium mortuorum.

cod. P
fol. 124 R¹

Deinde circa pertinentiam ad sacerdotes quantum ad ministerium eorum circa executionem ecclesiasticorum officiorum quaerebatur verum, scilicet utrum sacerdotes praecipue curati, teneantur quotidie dicere officium mortuorum. Et arguitur quod sic : quia si illud quod minus videtur inesse iusti, et illud quod magis. Sed minus videtur quod canonici teneantur dicere quotidie huiusmodi officium, cum sint simpliciter clerici et in gradu inferiori et ideo ad minus officium videtur teneant. Sed tales teneantur quia qui recipit stipendium debet facere illud propter quod est institutum : sed bona temporalia in Ecclesia sunt stipendia clericorum collata a delincentibus ut clericis orent pro eis : ergo et cetera.

Contra. Si sacerdotes praescripti teneantur ad tale officium dicendum, viderentur per aliquod statutum ad hoc obligari : sed tale statutum non invenitur in iure : ergo et cetera.

Respondetur dicendum quod ad dicendum officium ecclesiasticum teneantur personae ecclesiasticae vel ex iure divino vel natura, vel ex statuto sive iure humano sive Ecclesiae sive ex consuetudine quae statuta vel iura positiva occupat. Nunc autem de iure divino et natura est quod quaelibet creatura rationalis insistat ad divinis laudibus et orationibus pro bonis obtinendis et malis vitandis et gratiarum actionibus pro bonis iam adeptis et malis vitatis. Sed personae ecclesiasticae ratione status sui, ratione curae principaliter ad laudandum et orandum Deum ordinantur, ad hoc principaliter teneantur, et licet omnibus generaliter deputaverit lex divina data per Moysen statutum tempus quo fideles praecipue debent intendere et insistere scilicet diebus divinis, scilicet diem sabbati, in lege tamen Evangelii non invenitur tempus ad hoc specialiter deputatum : per quod innuitur quod hi qui sunt sub lege Evangelii tanquam perfectiores quasi nullo tempore cum ad hoc offert se facultas a divinis obsequiis et laudibus vacare debent.

cod. C
fol. 57 V^a

cod. P
fol. 124 V^a

Verumtamen, quia non semper aequaliter possunt homines intendere talibus propter multas necessarias occupationes circa alia, quia etiam non omnes possunt aequaliter talibus intendere, Ecclesia, cui Christus reliquit potestatem, determinavit omnibus generaliter certum tempus, scilicet diem dominicum, ut tunc specialiter et in loco speciali et hora certa magis intendant talibus, laici meditando et orando, clerici officia publice exercendo. Et cum hoc specialiter clericos instituit et ordinavit sive deputavit ad hoc quod singulis diebus determinatis laudibus divinis et orationibus, scilicet septem horis canonicis, sint intenti secundum exemplum Prophetiae dicentis in psalmo : septies in die laudem dixi tibi. Unde, quia canon idem est quod regula,

¹ Id C. — ² insistit C. — ³ om. CV. — ⁴ relinquit P.

eo quod dictae horae sunt ab Ecclesia generaliter omnibus clericis qui ad statum clericalem per sacros ordines et per susceptionem beneficiorum ecclesiasticorum assumuntur quasi pro communi regula impositae et quae secundum determinatos modos et tempora ¹ secundum determinatas regulas, ab omnibus etiam ² generaliter et regulariter sunt dicendae; propter hoc etiam dicuntur horae canonicae sive regulares. Ad illas ergo ex praecepto et statuto Ecclesiae generali omnes clerici beneficiati vel in sacris ordinibus constituti tenentur, nisi aliquando legitimo [

cod. V
fol. 121 Va

impedimento excusentur. Et de hoc sunt iura satis expressa: Extra, de Celebratione missarum: Praesbyter ³ mane, et cetera; Dolentes referimus. Et vicesima prima distinctione, capitulo: Ultimo ⁴. Hoc etiam ex usu et consuetudine Ecclesiae supponitur.

Sed de officio mortuorum et de quibusdam aliis observandis circa divinum officium qui et quomodo ad illud tenentur non est expressum in iure communi tanquam in communi regula omnium clericorum. Quia etiam circa hoc diversae sunt ⁵ consuetudines et observationes secundum ⁶ diversis ecclesias speciales, ideo dicendum est de illis quantum ad officium mortuorum de quo est quaestio specialiter proposita quod, sicut omnes clerici generaliter tenentur ad horas quae communiter appellantur canonicae sive regulares modo supradicto, ita clerici unius specialis ecclesiae [tenentur ad officia quae vel ex statuto vel ex consuetudine in illo loco quasi regularia sive canonica reputantur. Regularia ⁷ autem sive canonica intelligo reputari ad quae dicenda est modus regularis ex statuto impositus vel ex communi consuetudine observatus; alia autem non reputantur canonica, sed voluntaria et quasi consilia et indeterminata. Sicut ergo universalis Ecclesia consuevit solemniter dicere vigiliis et officium mortuorum die determinato ad hoc regulariter ⁸ deputato, scilicet in festo Omnium Sanctorum ⁹ post vesperas; et ideo omnes clerici qui tenentur ad officium Ecclesiae, quod per horas canonicas intelligimus, tenentur dicere illud officium sive sint in ecclesiis suis sive non, cessante legitimo impedimento, — ita, cum in qualibet ecclesia sit circa officium tale aliqua specialis consuetudo (puta ut dicatur ordinarie officium mortuorum semel in septimana vel qualitercumque aliter secundum certum tempus et modum; puta etiam in aliqua ecclesia statutum est vel communi consuetudine observatum quod si non eveniat festum novem lectionum nec sit funus praesens nec aliquod anniversarium speciale), nihilominus dicitur officium mortuorum vel cum tribus lectionibus extra quadragesimam vel cum novem in quadragesima, tale officium secundum hunc modum videtur posse dici in tali ecclesia canonicum sive etiam cum horis canonicis computandum, quantum ad hoc quod ad illud dicendum omnes clerici praecipue in tali ecclesia beneficiati obligantur. Nam, cum talia officia mortuorum videantur instituta generaliter in remedium defunctorum qui ob hoc bona sua temporalia ecclesiae reliquerunt nec habent specialia anniversaria instituta, videtur ergo quod, sicut cum occurrit determinatum anniversarium [alienus qui deputavit certa bona pro suo anniversario faciendo, illi qui portionem recipiunt de bonis illis tenentur dicere officium mortuorum pro tali, ita etiam qui indistincte recipiunt portiones suas de bonis ab aliis defunctis collatis provenientes tenentur dicere praedictum officium mortuorum.

cod. P
fol. 124 Va

cod. C
fol. 57 Va

cod. P
fol. 125 Ra

Cum ergo quaeritur utrum sacerdotes, praecipue curati, tenentur omni die dicere officium mortuorum, generalius loquendo videtur dicendum quod, cum clericus teneatur dicere officium ecclesiasticum non solum secundum statuta generalia Ecclesiae, sed etiam secundum statuta vel consuetudines ecclesiae cui specialiter deputatur, quilibet clericus beneficiatus in aliqua

¹ ipsa PC. — ² om. C. — ³ praebetur PC. — ⁴ ultime PC. — ⁵ diversae sunt] sunt diversae P. — ⁶ et C; ad ² m. C. — ⁷ irregularia P. — ⁸ naturaliter PC. — ⁹ scilicet *add.* C.

ecclesia, etiam si sit absens, tenetur dicere officium mortuorum quod, ut dictum est, regulari observantia et secundum consuetudinem dicitur in eadem ecclesia et etiam aliud officium mortuorum specialius sicut quod dicitur in anniversario alicuius qui pro ad hoc certa stipendia deputavit tenetur dicere, saltem cum percipat beneficium ad hoc specialiter deputatum. Aliquando autem dicitur officium mortuorum in ecclesia extraordinarie propter aliquam causam specialiter emergentem, puta ad preces alicuius personae vel propter aliquid inusitatum et ad illud officium non tenetur quis nisi cum est in ecclesia cum illis qui hoc concesserunt vel ordinaverunt. Sed hoc habet magis locum in clericis beneficiatis in ecclesiis collegiatis, in quibus propter multitudinem clericorum est divinum officium ampliatum et etiam solemnius exercendum.

cod. V
fol. 121 Va

Sed quantum ad sacerdotes parochiales videtur esse dicendum quod consuetudo ecclesiae ad quam assumuntur est ab eis observanda quantum ad modum dicendi vigilias communes et regulares, id est quae dicuntur vel debent consueverunt a sacerdotibus illius ecclesiae, etiam cum non occurreret casus specialis, puta praesentationis vel anniversarii specialis. De anniversariis autem est tenendum quod pro singulis sunt singula officia exsolvenda, si occurrant distinctis diebus nec superveniat in praedictam alicuius festivitatis ratione cuius debet populo celebrari officium de testis vel nisi superveniat aliquid impedimentum legitimum. Intellego autem in talibus recurrendum ad consuetudinem in tali ecclesia et etiam in aliis vicinis, et ad consuetudinem praecedentium sacerdotum illius ecclesiae, si fuerint vicini et si credatur quod officium mortuorum quod dicuntur quasi regulariter etiam extra castros praedictos non ex propria devotione, sed ex obligatione ratione sua officii talia dicere consueverunt. Hoc etiam dico, si non sit super modum dicendi talia officia per ordinatum aliquid statutum synodale editum. Nam de talibus essent statuta facienda cum invenitur negligentia sacerdotum qui in hoc et in aliis tenentur statuta synodalia observare. Per praedicta patet responsio ad obiecta.

cod. P
fol. 125 Rb

QUAESTIO XVIII.

Utrum magister in theologia debet dicere contra articulum episcopi si credat oppositum esse verum.

Deinde circa pertinentia ad doctores quaerebatur unum, scilicet si proponatur magistro in theologia quaestio aliqua, cuius unam partem tenet firmiter tanquam veram propter rationes et auctoritates ex quibus iudicio eius illa pars concluditur tanquam vera, illa tamen pars per sententiam alicuius episcopi (1)

(1) ad C. = 3 quod C. = 1 et C. = 3 solutio P.

(1) Stephanus, episcopus Parisiensis, Cf. *Chart. Univ. Paris.*, t. I, p. 543, n. 473: « Ea totaliter condemnamus, excommunicantes omnes illos, qui dictos errores vel aliquem ex illis dogmatizaverint, aut defendere seu sustinere praesumpserint, quocumque modo, recron et auditores... »

condemnatur tanquam falsa et excommunicationem incurrunt quicumque illam asserunt sive docent, quaeritur quam partem debeat determinare dictus magister. Et arguitur quod illam quam reputat falsam et non aliam, quia nullus debet facere illud per quod sententiam excommunicationis incurreret. Sed talis magister, si determinaret pro parte quam reputat veram, incurreret sententiam excommunicationis; ergo illam non debet determinare, sed oppositam.

Contra. Nullus debet mentiri¹, maxime etiam doctor theologiae in doctrina veritatis. Sed, si determinaret talem quaestionem pro parte quam reputat falsam, mentiretur; ergo et cetera.

Respondeo dicendum quod praecepta affirmativa quae sunt de bonis faciendis sub quibus cadit actus docendi veritatem obligant semper, sed non ad semper. E contrario est de negativis quae sunt de malis vitandis sub quibus cadit non docere falsitatem. Unde, quamvis nunquam falsitas sit docenda, non tamen semper veritas est docenda, sed pro loco et tempore adhibitis debitis circumstantiis. Unde dicit Augustinus super illud Psaltis: perdes omnes qui loquuntur mendacium; aliud est mentiri sive falsum dicere, aliud verum occultare sive non dicere. Manifestum autem est non esse culpam quandoque verum occultare; falsum autem dicere non invenitur concessum.

cod. C.
fol. 58 R^a

cod. P.
fol. 125 Va

Circa propositum casum ergo est dicendum quod veritas quam reputat se doctor scire aut est de necessariis ad salutem, aut est de aliis indifferentibus sic quod quaecumque pars asseratur nec per se et directe nec per reductionem est contra fidem rectam vel bonos mores. Tunc si talis quaestio proponatur magistro reputanti se scire veram esse partem quam praelatus iudicat esse falsam et ideo eam tanquam erroneam condemnans² sub poena excommunicationis praecipit quod nullus illam partem audeat docere vel quoquo modo sustinere, talis magister neutram partem debet asserere. Non partem quam reputat veram eo quod ratione praecepti affirmativi tenetur dicere veritatem quam sentit et hoc tempore et loco, tantum adhibitis debitis circumstantiis: nunc autem praeceptum superioris de contrario excludit ista eo quod in praeceptis prohibitoriis quae sunt de talibus quae non facere secundum se non est malum, praelatis quamdiu tolerantur est obediendum; et ideo rebus sic se habentibus, scilicet aliquo existente in loco in quo praelatus habet iurisdictionem, praecepto eius etiam durante, non est tempus nec locus dicendi talem veritatem quam aliquis sentit.

cod. V.
fol. 121 Vb

Verumtamen, si certa ratione vel auctoritate appareat quod sit vera pars quam praelatus condemnat tanquam falsam et erroneam aut si etiam non sit omnino certa, sed probabilem veritatem contineat ita quod, ratione probabilitatis, possit tanquam verum probabile³ sustineri sive etiam circa illud possint esse opiniones contrariae, videtur talis excommunicatio et condemnatio erronea,

¹ et *add.* 2^a m. C. — ² *om.* C. — ³ *aliam* C. — ⁴ *condemnat* C. — ⁵ *om.* C.

cod. P
fol. 125 V^b

quia per illam impeditur inquisitio et notitia veritatis. Verum | tamen singularis persona non habet se opponere, ut scilicet in tali casu dicat contrarium et dicat praelato tolerato ab Ecclesia non obediendum in hoc; nam, cum non immineat casus necessitatis ad docendum talem veritatem quae pro falsitate condemnatur, si sic liceret unicuique personae singulari se praelatis opponere, vinculum obedientiae rumpere; sed esset instandum apud praelatum quod talem condemnationem et excommunicationem revocaret. Quamvis enim malum contra salutem ex hoc non eveniat, tamen malum contra perfectionem intellectus ex hoc contingit; nam homines non possunt libere tractare veritates quibus eorum intellectus non modicum perficeretur.

Item, scandalum evenit exinde apud infideles et etiam apud multos fideles de ignorantia et simplicitate talium praelatorum in hoc quod illud reputatur erroneum et fidei contrarium quod tamen non repugnat fidei nec bonis moribus, et sic etiam intelligentes non fideles minus reputant fidem.

Si autem sit de pertinentibus ad salutem, aut omnino certum est veritatem quam doctor aestimat se habere esse tenendam ex evidentia auctoritatis sacrae Scripturae vel rationis veridicae, tunc sententia et inhibitio est omnino erronea nec aliquem ligat, quia sententia excommunicationis continens manifestum errorem non ligat, puta quod si aliquis dicat docens quod Deus creavit caelum et terram sit excommunicatus et huiusmodi; et ideo in tali casu debet doctor dicere illud quod sentit, non obstante quod ¹ si ex hoc quod videtur inobediens aliqui scandalizantur; quia, ut dicit Gregorius, super Ezechiel, si de veritate scandalum surgit, utilius scandalum nasci permittitur quam veritas subiciatur; et secundum Boetium: quod pro caritate est institutum non debet contra caritatem militare.

cod. C
fol. 58 R^b
cod. P
fol. 126 R^a

Idem autem est iudicium cum illud quod condemnatur tanquam falsum, etsi falsum sit, ab aliquo tamen verum reputatur sive auctoritate Scrip-; turae sive ex ratione quam ad hoc credat aliquis se habere et reputat illud esse necessarium ad salutem. In tali quidem casu debet quis conscientiam deponere. Sed si illam non deposuerit, illa stante, debet inhibitionem et excommunicationem erroneam reputare, licet secundum rem non sit ita; et sic debet dicere illud quod ² reputat se scire circa hoc tanquam verum; semper enim agens contra conscientiam erroneam magis peccat quam agens secundum eam. Unde in proposito peccaret gravius si timore poenae, volendo scilicet praecepto ³ superioris ratione excommunicationis adiunctae obedire, ommitteret dicere illud quod secundum conscientiam erroneam iudicat esse tale verum quod ad veritatem doctrinae pertinet, quam inobedientiam hominis et poenam excommunicationis

¹ om. PV. — ² del. 2^a m. C. — ³ pro caritate; per caritatem PC. — ⁴ quia C. — ⁵ praecepta PV — ⁶ committeret P.

incurrando, illud quod verum aestimat affirmando, in quantum gravius peccat directe peccans contra Deum quam contra hominem.

Quia tamen non est de facili supponendum in talibus praelatum manifeste errare ¹ quamdiu ab Ecclesia toleratur, si forte inveniatur aliquid condemnasse tanquam erroneum, et contrarium aestimetur verum prout ex superficie dictorum apparet, fidelis doctor debet conari illud exponere bono modo. Per praedicta patet responsio ad obiecta.

Explicit septimum quolibet. Incipit octavum ².

CORRECTIONS ET ADDITIONS

- Page 5. ligae 34, lisez avec CP : Corpus, et corrigez la note comme suit : incorporea V.
 » 20, » 34 et ss. lisez : glossa.
 » 31, » 13-14, adoptez la leçon de V : continentur, et changez la note ainsi : continentur PC.
 » 31, » 16, lisez : cetera.
 » 32, » » en marge, Cod V, lisez fol. 61 R^o.
 » 38, 39, 40, lisez partout : condiciones.
 » 57, » 3, » se ipsum.
 » 57, » 36, » negligentes, ideo.
 » 41, n 6, Le codex G = cod. Bibl. nation. fonds latin, n^o 11694.
 » 93, » 3, après similiter, ajoutez : est, et changez la note comme suit : om. P.
 » 79, » 13, écrivez : condiciones.
 » 82, » 7, lisez : nonnulli credimus.
 » 99, » 17, écrivez : condicionem.
 » 101, » 26 : 102 2 : 103 2 : lisez : in quantum.
 » 105, » 15, lisez ab invicem.
 » 107, » 2-3, » appetit : ita.
 » 110, » 10, » eundem.
 » 115, » 27, » in quantum.
 » 122, » 19, » quaedam ignis, et calere.
 » » » 28, » in duobus subiectis.
 » 122-123, » 30-1, » avec PC : subiectis, et changez la note comme suit : substantiis V.
 » 135, » 14, » huiusmodi.

¹ in talibus praelatum manifeste errare] praelatum manifeste in talibus errare P. — ² septimum — octavum] om. VC. ; quartum *alia m. C.*

- Page 156, ligne 2-3, écrivez : se ipsam.
- * 154, » 32, » se ipsum.
- * 155, » 21, » ».
- 172, » 22, lisez : phantastica. Quomodo.
- 190, » 12, écrivez : tanquam.
- 230, » 4, lisez : habet rationem, formam et speciem; et supprimez les variantes en notes.
- 252, » 29, en marge, supprimez : Cod. C, fol. 35 V^o (copie après : prospectum).
- 254, » 12, lisez : tanquam.
- 295, » 12, note 5, lisez : et in m. CP.
- 296, » 18, lisez : lallit : una.
- 299, » 21, » quae unum.
- 274, » 19, » quendam.
- 292, » 41, écrivez : se ipsis.
- 295, » 21, en marge, supprimez : Cod. V, fol. 103 V^o (copie après : artem).
- * 302, » 34, 303 13 : 303 17 : 304 12, écrivez : se ipsa.
- * 304, en marge au lieu de Cod. C, lisez : Cod. P.
- 308, » * » * » C, » V.
- 312, » 5-6, écrivez : se ipsam.
- 315, » 9, » se ipsa.
- * 323, » 7, lisez : extensione.
- 371, » 6-16, » potentialis.
- * 391, » 10, » continet.
- * 394, » 15-16, » potentialitatis.
- * 394, » 29, » mensurandi.
- 370, » 31, » Unde licet.
- 371, » 8, » se ipsum.
- * 371, » 20, » excludit nulla.
- 379, » 36, » [m].
- 383, » 20, » quid et ajoutez en note : quod.
- 383, » 32, allez à la ligne après demonstrant.

Table des Auteurs cités dans l'édition ⁽¹⁾

- Actus Apostolorum*, c. II, v. 26, 27, p. 17, 20.
- AMBROSIUS, *De Sacramentis*, p. 4.
— *De Officiis*, p. 260.
- ANSELMUS, *De Concordia praesentiae et praedestinationis*, q. III, c. XI [al. XXI] (MIGNE, *Patrologie latine*, t. 155, col. 534-537), p. 55, 148, 167, 215.
— *De Libero Arbitrio*, c. III, et IV, (*ibid.*, col. 494, 495), p. 208.
— *De Processione Spiritus Sancti*, c. V (*ibid.*, col. 293-294), p. 286, 299.
— c. XXV (col. 320), p. 286.
— c. XXIX (col. 324-325), p. 290.
— *De Veritate*, c. V (*ibid.*, col. 472), p. 142.
— c. XI [al. XII] (col. 480), p. 141, 144.
— c. XII [al. XIII] (col. 481), p. 229, 235, 236.
- ARIUS vel ARRIANUS (II. DENZIGER, *Enchiridion symbolorum*, Symbolum Athanasii, VI, 3), p. 280.
- Articuli condemnati a Stephano Episcopo Parisiensi*, 7 martii, anno 1277, p. 22-23, 240, 244, 259, 402.
- ARISTOPHANES, p. 212.
- ARISTOTELES (vel PHILOSOPHUS) p. 41, l. 10; p. 149, l. 19; p. 166, l. 26; p. 239, l. 8; p. 247, l. 26; p. 368, l. 21; p. 382, l. 9; p. 383, l. 5; p. 387, l. 38; p. 390, l. 36.
— *Analytica posteriora*, Lib. I, c. 1 (ed. BEKKER, Berolini 1831, vol. I, p. 71, a), p. 378, 381.
— Lib. II, c. 1 (*ibid.*, p. 89-90), p. 378, 381.
— Lib. II, c. 2 (*ibid.*, loc. cit.), p. 378, 381.
— Lib. II, c. 7 (*ibid.*, p. 92, b), p. 378.
— Lib. II, c. 13 (*ibid.*, p. 96), p. 379.
— *Categoriae*, c. 5 (*ibid.*, vol. I, p. 2, b), p. 329.
— c. 7 (*ibid.*, p. 6), p. 337.
— c. 7 (*ibid.*, p. 8), p. 121.
— *De Anima*, Lib. I, c. 1 (*ibid.*, vol. I, p. 402, a), p. 170.
— Lib. II, c. 1 (p. 412, b), p. 255.
— Lib. II, c. 2 (p. 413, b), p. 186.
— Lib. II, c. 4 (p. 416, a), p. 389.
— Lib. III, c. 4 (p. 429 a), p. 369, 371, 375.
— Lib. III, c. 4 (p. 429, b), p. 352.
— Lib. III, c. 5 (p. 430, a), p. 252.
— *De Animalium motione*, c. 10 (*ibid.*, vol. I, p. 703), p. 157.
— *De Generatione*, Lib. I, c. 1 (*ibid.*, vol. I, p. 314-315), p. 303, 317.
— Lib. I, c. 4 (*ibid.*, p. 320, a), p. 11.
— Lib. I, c. 6 (*ibid.*, p. 322), p. 341.
— *De Morte et Vita*, p. 167.
— *Ethica Nicomachea*, Lib. I, c. 1 (*ibid.*, vol. II, p. 1094, a), p. 173.
— Lib. II, c. 1 (*ibid.*, p. 1103, a), p. 45, 53-54.
— Lib. II, c. 1 (*ibid.*, p. 1103, b), p. 225.
— Lib. II, c. 3 (*ibid.*, p. 1105, a), p. 236.
— Lib. II, c. 3 (*ibid.*, p. 1105 b), p. 235.
— Lib. III, c. 7 (*ibid.*, p. 1113, b), p. 45.

(1) Cette table a été dressée par M. Hoffmans. Le chiffre indique la page.

- Lib. III, c. 7 (*ibid.*, p. 1114, *a*), p. 57, 169, 225.
 — Lib. III, c. 7 (*ibid.*, p. 1114, *a*, *l*), p. 59, 197, 224.
 — Lib. III, c. 8 (*ibid.*, p. 1114), p. 159.
 — Lib. V, c. 7 (*ibid.*, p. 1132, *a*), p. 202.
 — Lib. VI, c. 2 (*ibid.*, p. 1136, *a*), p. 209.
 — Lib. VI, c. 13 (*ibid.*, p. 1144, *l*), p. 59.
 — Lib. VIII, c. 2 (*ibid.*, p. 1155, *a*), p. 201.
 — Lib. VIII, c. 2 (*ibid.*, p. 1159, *l*), p. 197.
 — Lib. VIII, c. 2 (*ibid.*, p. 1161), p. 202.
 — Lib. IX, c. 9 (*ibid.*, p. 1179, *a*, *l*), p. 191.
 — Lib. X, c. 10 (*ibid.*, p. 1179), p. 53.
 — *Metaphysica*, lib. II, p. 352, l. 15 ;
 — Lib. III, c. 2 (*ibid.*, vol. II, p. 1093, *a*), p. 389.
 — Lib. IV, c. 6 (*ibid.*, p. 1019, *a*), p. 379, 359.
 — Lib. IV, c. 6 (*ibid.*, p. 1017), p. 381.
 — Lib. IV, c. 13 (*ibid.*, p. 1020), p. 27, 328, 335.
 — Lib. V, c. 4 (*ibid.*, p. 1027), p. 149.
 — Lib. VI, c. 1 (*ibid.*, p. 1028, *a*), p. 123.
 — Lib. VI, c. 6 (*ibid.*, p. 1031, *a*, *l*), p. 368, 336.
 — Lib. VI, c. 7 (*ibid.*, p. 1032, *a*), p. 11.
 — Lib. VI, c. 8 (*ibid.*, p. 1034), p. 326.
 — Lib. VI, c. 11 (*ibid.*, p. 1036, *l*), p. 255.
 — Lib. VI, c. 12 (*ibid.*, p. 1037), p. 352, 357.
 — Lib. VI, c. 17 (*ibid.*, p. 1041, *b*), p. 351-352, 357, 358.
 — Lib. VII, c. 5 (*ibid.*, p. 1045, *a*), p. 11.
 — Lib. VIII, p. 358, l. 8.
 — Lib. VIII, c. 1, p. 104, l. 13.
 — Lib. VIII, c. 1 (*ibid.*, p. 1046, *a*), p. 152.
 — Lib. VIII, c. 2 (*ibid.*, p. 1046, *b*), p. 168.
 — Lib. VIII, c. 5 (*ibid.*, p. 1048, *a*), p. 163.
 — Lib. VIII, c. 8 (*ibid.*, p. 1050, *b*), p. 6.
 — Lib. IX, p. 249, l. 3.
 — Lib. IX, c. 6 (*ibid.*, p. 1057), p. 349.
 — Lib. IX, c. 10 (*ibid.*, p. 1058, *l*), p. 7.
 — Lib. X, c. 10 (*ibid.*, p. 1059), p. 351, 358.
 — Lib. XI, c. 7 (*ibid.*, p. 1072), p. 385.
 — Lib. XI, c. 8 (*ibid.*, p. 1074, *a*), p. 329.
 — Lib. XI, c. 9 (*ibid.*, p. 1075, *a*), p. 199.
 — *Physica*, p. 336, l. 2 *a*.
 — Lib. I, c. 16 (*ibid.*, vol. I, p. 184, *a*), p. 384.
 — Lib. I, c. 2 (*ibid.*, *a*, *l*, *l*, p. 185, *l*), p. 254.
 — Lib. I, c. 7 (*ibid.*, p. 199, *a*), p. 1.
 — Lib. I, c. 7 (*ibid.*, p. 199), p. 7.
 — Lib. I, c. 9 (*ibid.*, p. 192, *a*), p. 118.
 — Lib. II, p. 361, 336, l. 99.
 — Lib. II, c. 1 (*ibid.*, p. 193, *a*), p. 25.
 — Lib. II, c. 7, p. 7.
 — Lib. III, c. 5 (*ibid.*, *a*, *l*, *l*, p. 294, *l*), p. 341.
 — Lib. IV, c. 13 (*ibid.*, p. 222, *a*), p. 28.
 — Lib. V, c. 10 (*ibid.*, 15, *a*, *l*, p. 249, *l*), p. 25.
 — Lib. VI, c. 1 (*ibid.*, p. 242, *a*), p. 29.
 — Lib. VII, c. 1 (*ibid.*, p. 242, *a*), p. 385.
 — Lib. VIII, p. 385, l. 19.
 — Lib. VIII, c. 4 (*ibid.*, p. 255, *a*), p. 159.
 — Lib. VIII, c. 5 (*ibid.*, p. 257, *a*), p. 155.
 — Lib. VIII, c. 6 (*ibid.*, p. 258), p. 155.
 — *Politica*, lib. II, c. 4 (*ibid.*, 2, *l*, *l*, vol. II, p. 1262, *l*), p. 212.
 — *Topica*, lib. VIII, c. 10 (*ibid.*, vol. I, p. 159), p. 295.
 ATHANASIUS, *Sym. 3. m* (H. DENZIGER, *Enchiridion*), p. 286.
 AUGUSTINUS, p. 93, l. 21 ; p. 76, l. 36 ; p. 162, l. 16 ; p. 200, l. 32 ; p. 153, l. 4 ; p. 294, l. 4 ; p. 388, l. 9 ; p. 397, l. 20.
 — *Confessiones*, c. I (MUSE, *Patrologie latine*, t. 32, col. 661), p. 383.

- *Contra Faustum*, Lib. XXII, c. 27 (*ibid.*, t. 42, col. 418,) p. 231.
- *De Catechizandis rudibus*, c. XVII, 29 (*ibid.*, t. 40, col. 332), p. 94.
- *De Civitate Dei*, Lib. XII, c. IX, 2 (*ibid.*, t. 41, col. 357), p. 162.
- Lib. XIX, c. XIX (*ibid.*, col. 647), p. 84.
- *De Diversis quaestionibus LXXXIII*: VIII (*ibid.*, t. 40, col. 13), p. 162.
- *De Genesi ad litteram*, Lib. IV, c. XII, 22 (*ibid.*, t. 34, col. 304, p. 95).
- Lib. IV, c. XXXII (*ibid.*, col. 317, p. 169).
- Lib. VII, c. XII, 19 (*ibid.*, col. 362, p. 2, 6).
- Lib. VIII, c. XX (*ibid.*, col. 388), p. 166-167.
- Lib. VIII, c. XXIII etc. XXIV (*ibid.*, col. 390), p. 23.
- Lib. VIII, c. XXVI, p. 119.
- Lib. XI, c. XXVII (*ibid.*, col. 444), p. 23.
- Lib. XII, c. XVI, 33 (*ibid.*, col. 467), p. 36, 250.
- *De Libero Arbitrio*, Lib. I, c. V, 13 (*ibid.*, t. 32, col. 1228), p. 262, 263.
- Lib. I, c. VI, 15 (*ibid.*, col. 1229), p. 262.
- Lib. III, c. 1, 3 (*ibid.*, col. 1272), p. 237.
- Lib. III, c. XXV, 74 (*ibid.*, col. 1307), p. 234.
- *De Trinitate*, Lib. I, c. XIII (*ibid.*, t. 42, col. 841), p. 180.
- Lib. I, c. XXII, p. 211.
- Lib. V, c. VIII et c. X (*ibid.*, col. 917, 918), p. 281, 282.
- Lib. VI, c. X (*ibid.*, col. 931), p. 274-275.
- Lib. VIII, c. X (*ibid.*, col. 960, p. 184, 191, 211, 212).
- Lib. IX, p. 122.
- Lib. IX, c. VII (*ibid.*, col. 967), p. 30.
- Lib. X, c. 1, 1 (*ibid.*, col. 971), p. 96.
- Lib. X, c. III (*ibid.*, col. 975), p. 373, 374.
- Lib. XI, c. VII (*ibid.*, col. 993) et c. VIII (col. 994), p. 31.
- Lib. XI, c. VIII, 15 (*ibid.*, col. 995) et c. IX (col. 996), p. 96, 97, 193.
- Lib. XII, c. II (*ibid.*, col. 999), p. 250, 251, 253.
- Lib. XII, c. III (*ibid.*, col. 999), p. 251.
- Lib. XII, c. IV (*ibid.*, col. 1000), p. 250, 294.
- Lib. XII, c. XIV, 22 (*ibid.*, col. 1010), p. 112.
- Lib. XIII, c. IV, 7 (*ibid.*, col. 1018) et c. VIII (col. 1023), p. 105.
- Lib. XIV, p. 373, l. 24.
- Lib. XIV, c. IV, 6 (*ibid.*, col. 1040), p. 94.
- Lib. XIV, cc. IV, VIII, X, XII, etc., p. 294.
- Lib. XIV, c. VIII (*ibid.*, col. 1044), p. 33.
- Lib. XIV, c. XII, 15 et 16 (*ibid.*, col. 1048), p. 33.
- Lib. XIV, c. XV (*ibid.*, col. 1052), p. 30, 56, 232, 254, 262.
- Lib. XV, c. V, 8 (*ibid.*, col. 1062), p. 265.
- Lib. XV, c. X, 19 (*ibid.*, col. 1071), p. 15.
- Lib. XV, c. XIV, 26 (*ibid.*, col. 1077), p. 16.
- Epistulae. De Videndo Deo*, c. IX, 22 (*ibid.*, t. 33, col. 612), p. 95.
- c. XV, 37 (*ibid.*, col. 613), p. 181.
- *De Orando Deum*, epist. 130 [al. 121], c. I (*ibid.*, col. 494), p. 384.
- In Iohannis Evangelium enarratio*, p. 218, l. 14 ; p. 227, l. 10.
- In Lucae Evangelium enarratio*, p. 395, l. 5.
- In Psalmum V, 7, enarratio* (*ibid.*, t. 36, col. 85, 86), p. 403.

- In Ps.* XC VIII, c. — (*ibid.*, t. 37, col. 1265), p. 112, 114.
- In Ps.* XLIII, c. — (*ibid.*, t. 36, col. 130), p. 29-30.
- *Sermo de Assumptione B. M. Virgini*, c. V (*ibid.*, t. 40, col. 1145), p. 21.
- c. VI (*ibid.*, col. 1146), p. 17.
- *Soliloquia*, Lib. I, c. VIII (*ibid.*, t. 32, col. 877), p. 30.
- c. XII, p. 212.
- [PSEUDO-AUGUSTINUS, *De Fide et Petenium*, Prolog. 4 (*ibid.*, t. 3), p. Appendix, col. 753), p. 286.
- AMÉLIORIS CONDUCENSIS (vol. COMMENTARIORUM), p. 35, l. 7; p. 158, l. 19; p. 230, l. 8.
- *De Anima*, Lib. III, p. 252, l. 12.
- Lib. III, co. 5 (*Vetus 1562*, vol. VIII, fol. 138 V^a), p. 366, 371, 375; et (fol. 136 R^a), p. 371, 372.
- Lib. III, co. 5 (*ibid.*, fol. 151 V^a), p. 373, 374.
- Lib. III, co. 8 (*ibid.*, fol. 155 V^a), p. 373.
- Lib. III, co. 6 (*ibid.*, fol. 156 R^a), p. 352.
- Lib. III, co. 17 (*ibid.*, fol. 160 V^a), p. 35.
- Lib. III, co. 18 (*ibid.*, fol. 161 R^a), p. 35, 38.
- Lib. III, co. 18 (*ibid.*, fol. 161 V^a), p. 40.
- *De Celo et Mundo*, Lib. I, c. VI, 20 (*ibid.*, vol. V, fol. 15 R^a et 1^b), p. 6.
- *De Morte et Vita*, p. 107.
- *De Substantia Orbis*, c. 1 (*ibid.*, vol. IX, fol. 3 V^b et 4 R^a), p. 327.
- c. 1 (*ibid.*, fol. 4 R^a), p. 120, 127, 132.
- c. 1 (*ibid.*, fol. 4 V^a), p. 320.
- c. 1 (*ibid.*, fol. 4 R^b et V^a), p. 327.
- *Ethica*, Lib. VI, c. 2 (*ibid.*, vol. III, fol. 82 R^b et V^a), p. 208.
- Lib. VI, c. 13 (*ibid.*, fol. 63 R^a), p. 108.
- *Metaphysica*, Lib. II, co. 15 (*ibid.*, vol. VIII, fol. 35 R^a), p. 225.
- Lib. VI, co. 2 (*ibid.*, fol. 65 V^a), p. 118.
- Lib. VII, co. 17 (*ibid.*, fol. 180 V^a), p. 255.
- Lib. VII, co. 28 (*ibid.*, fol. 178 V^a), p. 320.
- Lib. VII, co. 31 (*ibid.*, fol. 181 R^a), p. 115.
- Lib. VIII, co. 4 (*ibid.*, fol. 224 V^a), p. 357.
- Lib. IX, co. 2 (*ibid.*, fol. 220 V^a et 1^b), p. 194.
- Lib. IX, co. 2 (*ibid.*, fol. 227 R^b), p. 196, 194, 195.
- Lib. IX, co. 3 (*ibid.*, fol. 228 V^a), p. 193.
- Lib. IX, co. 3 (*ibid.*, fol. 229 R^a), p. 193.
- Lib. X, co. 22 (*ibid.*, fol. 248 V^b), p. 351, 352, 355.
- Lib. X, co. 20 (*ibid.*, fol. 279 V^b), p. 331, 358.
- Lib. XII, co. 30 (*ibid.*, fol. 318 V^a), p. 193.
- Lib. XII, co. 30 (*ibid.*, fol. 319 R^a), p. 193, 195.
- Lib. XII, co. 30 (*ibid.*, fol. 322 V^a), p. 44, 270.
- Lib. XII, co. 40 (*ibid.*, fol. 333 V^a), p. 320.
- Lib. XII, co. 51 (*ibid.*, fol. 336 R^a), p. 196.
- *Physica*, Lib. I, co. 60 (*ibid.*, vol. IV, fol. 36 R^b), p. 225.
- Lib. I, co. 60 (*ibid.*, fol. 36 V^b), p. 16.
- Lib. II, p. 196, l. 20.
- Lib. II, co. 48 (*ibid.*, fol. 66 V¹), p. 158.
- Lib. VIII, co. 30 (*ibid.*, fol. 307 R^b), p. 146, 155.

(1) Le sigle co. désigne le commentaire conformément aux indications marginales de l'édition citée.

- Lib. VIII, co. 30 (*ibid.*, fol. 367^{Va}), p. 156, 155.
- Lib. VIII, co. 40 (*ibid.*, fol. 380^{Rb}), p. 149, 165, 169.
- AVICENNA, p. 134, l. 29; p. 140, l. 16; p. 141, l. 22; p. 369, l. 10.
- *Metaphysica*, Tract. 1, lib. 1, c. 2 (*Venetiis 1495*), p. 380.
- Tract. 1, lib. 11, c. 1 (*ibid.*), p. 137.
- Tract. V, c. 1 (*ibid.*), p. 39.
- Tract. V, c. 3 (*ibid.*), p. 353, 355.
- Tract. V, c. 4 (*ibid.*), p. 320.
- BEDA, *In Lucae Evangelium expositio*, l. IV, c. 14 (MIGNE, P. L., t. 92, col. 315), p. 395.
- BOETHIUS, p. 404, l. 25.
- *De Duabus Naturis*, c. VI (*ibid.*, t. 94, col. 1349), p. 5.
- *De Trinitate*, c. 1 (*ibid.*, t. 64, col. 1249), p. 319.
- c. V, (*ibid.*, col. 1254), p. 284.
- c. VI (*ibid.*, col. 1254-1256), p. 349, 347.
- *In Porphyrium Commentarium*, l. III, (*ibid.*, col. 105-106), p. 319.
- COLLECTIO DECRETALUM GREGORII IX, c. 1, X, *De celebratione missarum*, III, 41. (E. FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, Lipsiae 1879, Paris 11^a, col. 635), p. 401.
- c. 9 *loc. cit.* (*ibid.*, col. 642), p. 401.
- c. 7, X, *De Actate et qualitate ordinandorum*, l. 14 (*ibid.*, col. 127), p. 398, 399-400.
- c. 24, X, *De Privilegiis*, V, 33 (*ibid.*, col. 886), p. 89.
- DECRETUM GRATIANI, c. II, D. XXI (*ibid.*, Pars. I, col. 70), p. 74.
- c. 4, C. X, q. 2 (*ibid.*, col. 620), p. 68.
- c. 25, C. XVI, q. 1 (*ibid.*, col. 768), p. 82.
- c. 26, C. XVI, q. 1 (*ibid.*, col. 768), p. 82.
- c. 1, C. XIX, q. 1 (*ibid.*, col. 830), p. 78, 81.
- c. 2, C. XIX, q. 2 (*ibid.*, col. 830), p. 78, 80, 81.
- c. 8, C. XXIII, q. 5 (*ibid.*, col. 932), p. 399.
- c. 35, D. II, *De Consecratione* (*ibid.*, col. 1325), p. 112-113.
- c. 44 *loc. cit.* (*ibid.*, col. 1330), p. 112.
- DIGESTUM, 2. 15. 8, 10, p. 68.
- [PSEUDO] DIONYSIUS AREOPAGITA, *De Divinis Nominibus*, c. IV, § 13 (MIGNE, *Patrologie grecque*, t. III, col. 712), p. 85.
- (*ibid.*), § 15 (*ibid.*, col. 713), p. 184, 191, 211.
- c. V, § 4 (*ibid.*, col. 820), p. 265.
- c. V, § 6 (*ibid.*, col. 821), p. 266.
- Evodus*, XX, 8-11, p. 400.
- XXXIII, 13, p. 181.
- EZECHIEL, p. 72, 464.
- GENESIS, IV, 7, p. 57.
- GLOSSA DECRETI GRATIANI, c. II, C. XIX, q. 2, p. 81.
- COLLECTIONIS DECRETALUM GREGORII IX, c. 7, X, *De Actate et qualitate ordinandorum*, l. 14. Ut si forte, p. 400.
- GLOSSA S. S. BIBLIORUM INTERLINEARIS, *Actuum liber*, II, 27, p. 20.
- *Ad Philippenses*, III, 16, p. 393.
- ORDINARIA, p. 79.
- *Actus*, II, 27, p. 20.
- *Lucae Evangelium*, X, 1, p. 73.
- *Mathaei Evangelium*, XXIV, 40, 41, p. 72, 79.
- *Ad Philippenses*, III, 13, p. 393.
- *Psalmum*, XV, 10, p. 20.
- — CNVIII, 20, p. 173.
- GREGORIUS, *Homilia XVII*, I, n^o 1552 (MIGNE, P. L., t. 76, col. 1197), p. 225.
- *In Ezechielem, liber I, Homilia VII*, n^o 1225 (*ibid.*, col. 842), p. 404.
- *Moralia*, lib. V, c. XXXVI, 169 (*ibid.*, t. 75, col. 716), p. 383.

- HIERARIUS, p. 337, l. 6.
 — *De Trinitate*, lib. III, 2 (*ibid.*, t. 10, col. 76), p. 14.
 — Lib. IX, 54 (*ibid.*, col. 525), p. 285, 287.
 — Lib. X, 1 (*ibid.*, col. 544), p. 228.
Iob liber, I, 4, p. 365.
 IOHANNES, (APOSTOLUS), p. 14, l. 9 ; p. 20, l. 24.
 — *Epistula Prima*, III, 2, p. 211.
 — *Evangelium*, III, 20, 21, p. 142.
 — VI, 53, 54, p. 112.
 IOHANNES DAMASCENUS, *De Duabus in Christo Voluntatibus*, 2 (MIGNE, *Patrologie grecque*, t. 65, col. 130), p. 319-320.
 — *De Fide Orthodoxa*, Lib. I, c. 2 (*ibid.*, t. 94, col. 703), p. 383.
 — Lib. I, c. 4 (*ibid.*, col. 707 et 800), p. 383.
 — Lib. I, c. 10 (*ibid.*, col. 838), p. 283.
 — Lib. II, c. 3 (*ibid.*, col. 809), p. 22.
 — Lib. II, c. 27 (*ibid.*, col. 960), p. 208, 233.
 — Lib. II, c. 30 (*ibid.*, col. 922), p. 221.
 — Lib. III, c. 5 (*ibid.*, col. 1000), p. 283.
 — Lib. III, 10 (*ibid.*, col. 1056), p. 250.
 — Lib. III, c. 28 (*ibid.*, col. 1097-1100), p. 18, 19, 20.
 LUCAS, *Evangelium*, VI, 30, p. 304, 305.
 — X, 1, p. 73.
 — XIV, 12, 13, p. 304, 305.
 — *Actus*, II, 26, 27, p. 17, 20.
 MATHAEUS (APOSTOLUS), *Evangelium*, XIX, 21, p. 71.
 — XXII, 39, p. 183.
 — XXIV, 40, p. 72.
 OSEE, IX, 10, p. 230, 237.
 PAULUS (APOSTOLUS), *Epistula ad Romanos*, XIII, 1, p. 70.
 — *Ad Corinthios*, IX, 27, p. 227.
 — — XIII, 8, p. 170, 392.
 — *ad Hebraeos*, V, 1, p. 75.
 — *ad Philippenses*, I, 23, p. 84.
 — — III, 13, 16, p. 393.
 PETROS (APOSTOLUS), p. 17, l. 10 ; *Epistula Secunda*, I, 4, p. 180.
 PETRUS LOMBARDEUS, *Sententiae*, Lib. I, dist. XVI (*Lovanii*, 1549, p. 35), p. 287.
 — Lib. IV, dist. X, B. (*Lovanii*, 1557, p. 380), p. 114.
 PLATO, p. 40, l. 13 ; p. 310, l. 26.
 PORPHYRIUS, *In Categoriais (Scholia in Aristotelem*, CHRISTIANUS BRANDIS, *Berolini* 1850, p. 2^b et 3), p. 319.
 PROCLUS, *Instituto theologica*, c. 11 (ed. FR. CREUZER), p. 350.
Psalms, IV, 6, 7, p. 231.
 — XV, 9, p. 20.
 — XV, 10, p. 15, 20.
 — CXVIII, 20, p. 173.
 — CXVIII, 104, p. 400.
 RICARDUS A SANCTO VICTORE, *De Trinitate*, lib. IV, c. XVII (MIGNE, P. L., t. 196, col. 941), p. 284.
 — Lib. VI, c. XVI (*ibid.*, col. 980), p. 14.
 SABELLIUS (apud DENZIGER, *Enchiridion Symbolorum*, VI, 2 p. 12, ed. 1854), p. 43, 280, 282.
 SENECA, *Epistulae*, p. 218.
 SIMPLICIUS, *Categoriae*, p. 121, l. 5 et 22 ; p. 337-338 ; p. 353, l. 13 et 18 ; — p. 359, l. 10.
 THEOPHRATES, *De Anima*, Lib. II, p. 45.
 — Lib. III, p. 203.

TABLE GÉNÉRALE DES MATIERES.

Avant-Propos	III
-------------------------------	-----

QUODLIBETUM QUINTUM

	Pages
I. Utrum Deus posset transsubstantiare naturam spiritualem in substantiam corporalem.	1
II. Utrum Deus possit ex materia corruptibilis producere aliquod corpus incorruptibile	7
III. Quid est illud positivum quod est substractum negationi quae importatur in hoc nomine innascibilitas quae est notio Patris	12
IV. Utrum verbum in divinis sit solum personale soli Filio conveniens vel sit aliquod verbum substantiale in divinis	15
V. Utrum incorruptionis corporis Christi fuit causa acceleratio resurrectionis vel conservatio miraculosa alicuius formae quae prius erat in corpore vivo.	17
VI. Utrum in angelo sit aliquod principium activum aliud ab intellectu et voluntate	21
VII. Utrum substantia cœli per se ipsam sit mobilis	25
VIII. Utrum intellectus agens sit imaginis certa pars quae dicitur memoria	29
IX. Utrum intellectus agens habeat operationem in aperta visione essentiae Divinae	32
X. Utrum intellectus agens efficit aliquam dispositionem circa phantasma	35
XI. Utrum intellectus humanus ex naturalibus possit cognoscere Deum esse principium effectivum creaturarum.	40
XII. Utrum ratione manente erronea per actus appetitus posset homo fieri virtuosus	45
XIII. Utrum ille qui vovit quod certa die tota abstineret a vino quotiens illo die bibit vinum sit transgressor voti	60
XIV. Utrum licitum sit emere redditus ad vitam et recipere de redditibus emptis ultra sortem	63

XV.	Utrum ille qui a iudice non habente potestatem ipsum absolvendi in foro interno paenitentiae, ab eodem iudice absolutus in foro exteriori, si de contumacia non confiteatur proprio sacerdoti, sit in statu salutis	66
XVI.	Utrum status religiosorum sit perfectior quam status praelatorum et specialiter sacerdotum parochialium	73
XVII.	Utrum tantum valeat una missa pro pluribus quantum valet cuilibet una sola	86
XVIII.	Utrum religiosi habentes privilegium tempore interdicti familiares suos recipendi ad divina, post latum interdictum possunt nevos familiares recipere	88
XIX.	Utrum bona spiritualia facta per religiosos quorum bonorum faciunt participes non religiosos sibi familiares tantum valeant multis quantum valerent paucis	89
XX.	Utrum, posito tali casu quod maritus moriatur tantis debitis obligatus quod sint obligata dotalia et relinquat sola dotalia, uxor et filii tenentur tale debitum restituere	90

QUODLIBETUM SEXTUM.

I.	Utrum, intellectu et voluntate existentibus perfectis habitibus gloriosis, Deus posset se abstrahere	92
II.	Utrum Deus possit eundem motum numero qui fuit reparare	116
III.	Utrum corpus Christi gloriosum quod est in caelo habet vere esse in altari sub speciebus panis	112
IV.	Utrum substantia creata possit esse immediatum principium alicuius sui actus	114
V.	Utrum aliquid accidens unum numero possit esse in duobus naturis	122
VI.	Utrum veritas de re quae est apud intellectum se habeat in ratione informantis vel moventis	133
VII.	Utrum voluntas potest se movere per aliquam dispositionem dato quod non potest sine dispositione	148
VIII.	Utrum perniciosum sit dicere quod actus voluntatis non possit per se esse obiectum voluntatis	173
IX.	Utrum intellectu vidente Deum immediate per lumen gloriae voluntas potest co frui a seque habitu	178
X.	Utrum actus intelligendi sit perfectior actu diligendi	182
XI.	Utrum voluntas habeat dominium super actum intellectus tam speculativi quam practici	218
XII.	Utrum bonitas vel malitia actuum moralium rationalis creaturae sit magis attribuenda intellectui quam voluntati	228

XIII.	Utrum pluribus instantibus mesurantibus plura mutata esse in motu angeli successivo respondeat unum instans temporis nostri	238
XIV.	Utrum anima humana tota producat in esse in fine generationis.	247
XV.	Utrum intellectus agens pertineat ad rationem superiorem	250
XVI.	Utrum si corpus humanum resurgeret sine quantitate esset idem numero quod prius	254
XVII.	Utrum praelatus beneficium ecclesiasticum tenetur conferre meliori sic quod peccet conferendo minus bono	260
XVIII.	Utrum filius servi morientis cuius bona debent devolvi ad dominum, si retineat de bonis patris, non habens alia bona, tenetur illa restituere domino	264

QUODLIBETUM SEPTIMUM

I.	Utrum distinctio attributorum divinarum accipiat per comparisonem ad intrinseca vel respectu extrinseca sive ad ea quae reperiuntur in creaturas	264
II.	Utrum distinctio personarum in divinis fiat per absoluta vel relativa	279
III.	Utrum procedere vel esse ab alio ponit aliquam indignitatem in persona procedente	285
IV.	Utrum Spiritus Sanctus possit dici procedere per modum voluntatis si non procederet a Filio, sed a solo Patre	287
V.	Utrum suppositum addat aliquam rem supra essentiam vel naturam	290
VI.	Utrum unum et idem sic possit differre a se ipso quod possit reali relatione referri ad se ipsum	336
VII.	Utrum essentia angeli sit composita ex genere et differentia	349
VIII.	Utrum esse omnium sempiternorum sive angelorum mensuretur una mensura	364
IX.	Utrum intellectus humanus antequam actu intelligat sit talis res vel natura quod sit secundum se intelligibilis	369
X.	Utrum quilibet possit salvari	375
XI.	Utrum eadem cognitione cognoscatur de Deo si est et quid est	377
XII.	Utrum caritas possit augeri in infinitum	387
XIII.	Utrum dare non indigenti sit meritorium	393
XIV.	Utrum retinentes quod eis impositum est teneantur illud restituere et hoc illi qui recipit dictam collectam ad firmam	395
XV.	Utrum sacerdos celebrans missam et verba pertinentia ad formam sacramenti eucharistiae varians et transmutans conficiat	397

XVI.	Utrum sacerdos qui alicui confitenti talem poenitentiam iniunxit ex qua mors istius secuta est ex hoc irregularitatem incurrit.	398
XVII.	Utrum sacerdotes, praecipue curati, teneantur quotidie dicere othi- cium mortuorum	400
XVIII.	Utrum magister in theologia debet dicere contra articulum epi- scopi si credat oppositum esse verum	402
	Corrections et additions	405
	Table des auteurs cités dans l'édition	407



DATE DUE

JUN 15 1992

5/9/97

JUL 25 1997

DATE DUE

DATE DUE

417292



B
765
.G593
Q6
Fasc. 5-7

GODEFROID de Fon-
taines, 13th cent.

Bapst Library
Boston College
Chestnut Hill, Mass. 02167

